


Presso L'Institutum Carmelitanum
L 20.000
Order # 10567



ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS FRATRUM B. V. MARIAE DE MONTE CARMELO

VOL. I.

AB ANNO 1318 USQUE AD ANNUM 1593

CUM NOTIS

PRAECIPUE A R. P. BENEDICTO ZIMMERMAN O. C. D. MUTUATIS

AUCTORITATE RMI P. PII M. MAYER PRIORIS GENERALIS

EDIDIT

EX LIBRO ORDINIS OFFICIALI

FR. GABRIEL WESSELS

ASSISTENS GENERALIS ORD. CARM. CALC.



ROMAE

APUD CURIAM GENERALITIAM

VIA SFORZA PALLAVICINI, 10

1912

AD LECTOREM

Ob maximam documentorum penuriam, quae Carmelitarum historiam respiciunt, gratissimum plurimis erit, quod **Acta Capitulorum Generalium** tandem in lucem edimus.

In primo Volumine operis: « **Monumenta historica Carmelitana** » R. P. Benedictus Zimmerman O. C. D. jam a pluribus annis publicavit Decreta aliqua antiquorum aliquot Capitulorum Generalium, magno zelo undique collecta; hic autem praeter Acta Cap. Gen. 1287, quae a praedicto P. Zimmerman omissa fuerunt, dabimus Acta prout ex officio scripta sunt in **Libro Ordinis**.

In *primo Tomo* libri praedicti continentur Acta omnium Capitulorum Generalium ab anno 1318, usque ad annum 1680 inclusive. Constat foliis 353 seu paginis 706 membranaceis (0,295 × 0,195). Usque ad annum 1362 quo hic Tomus incoeptus est (exscriptis ex priori Libro Actis Capitulorum praecedentium) pauca Decreta adnotata sunt. Quod tamen mirum esse non potest, quia celebratis singulis Capitulis, curae fratribus congregatis erat, ut cuique Provinciae acta Capitulorum transmitterentur. Tradebantur autem probabiliter acta

scripta in schedulis seu rotulis, ut apud alios Ordines fiebat, quae postea in libello speciali vel in Constitutionibus transcribebantur et post novas Constitutionum editiones rejiciebantur.

Paucas tantum notas textui addemus, praesertim quas R. P. Zimmerman nobis maxima cum benevolentia subministraturus est ex diversis Bibliothecis congestas, pro quibus gratias ex corde hic agimus. Intentio nostra enim est non Commentarium scribere sed textum edere, qui pro futuris Ordinis historiographis maximi momenti est.

Adnotamus etiam, saepissime Decreta in Capitulis facta non denotare generalem Ordinis statum et conditionem, sed multoties ordinata esse, ut communiter fit in magnis Coetibus (qui non videntur esse organa magis apta pro legislatione) ex propositione alicujus membri majoris auctoritatis, qui pro casu valde particulari legem generalem statuere intendit.

Caveat etiam lector, ne juxta moderna instituta de antiquis judicet; omnia enim, quae ad rem monetariam, bona fratrum personalia, aliaque similia pertinent, non ex principiis juris Concilii Tridentini, sed ex antiquis juris regulis dijudicanda sunt atque interpretanda.

Necessarium non judicavi addere paginam, quando *Bibliotheca Carmelitana* allegatur; ibi enim nomina ordine alphabetico posita sunt. Opus autem illud est magni valoris tum communiter ob criticas notiones quum ob varias fontes ibi assignatas.

Romae, die festo S. Andreae Corsini 1912.

Fr. Gabriel Wessels.

TITULUS COMPLETUS
LIBRORUM PLURIES CITATORUM

Analecta Ordinis Carmelitarum, Decreto Capituli Generalis anno 1908 celebrati in lucem edita. Romae, 1909-1912.

Bibliotheca Carmelitana, notis criticis et Dissertationibus illustrata (Villiers Cosmas a S. Stephano O. C.) Aurelianis 1752, 2 Tomi in fol.

Billick Eberhard, Der Karmelit, von Dr. Alois Postina. Freiburg 1901.

Bullarium Carmelitanum a fr. Eliseo Monsignano 1715 (2 tomi in fol.) et Joseph Alberto Ximenez 1768 (2 tomi in fol.) Romae

Koch, Die Karmeliten-Klöster der Niederdeutschen Provinz Freiburg 1889.

Lezana, Annales sacri... Ordinis... B. V. Mariae de Monte Carmeli. Tomus quartus. Romae 1656. In fol.

Monumenta historica Carmelitana Vol. I edidit R. P. Benedictus Zimmerman, O. C. D. Wincantonensis. Lirinae 1907.

Paulus Heliä, Der Karmeliter, — von Ludwig Schmitt, S. J. Freiburg 1893.

Speculum Carmelitanum, auctore P. Daniele a Virgine Maria. Antverpiae 1680. IV Partes in fol.

Vaghi, Commentaria fratrum et sororum O. B. M. V. de Monte Carmelo Congregationis Mantuanae. Parmae 1725. Pp. 492 in fol.

Ventimiglia, Historia Chronologica Priorum Generalium Ord. B. V. M. de Monte Carmelo. Neapoli 1773, 350 Pp. in fol.

Vinea Carmeli, opera P. Danielis a V. Maria. Antverpiae 1662. Pp. 776 in-4.

ACTA
Capituli Generalis apud Montempessulanum
celebrati anno 1287 (1) - XI Cal. Augusti.(2)

(*Ex Archivio Postulatoris Generalis: Vitae Servorum Dei, Tom. VII)* (3)

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Invocantes ejus auxilium qui dat affluenter, et non improperat, fundamentum fundamus solidum super petram firmissimam, quod aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est Jesus Christus, sine quo boni hospitii aedificium nunquam poterit solidari : et ut super fundamentum aedificati parietes pondus lignorum suscipiant, ne ante soliditatem novitatis suae humore siccato cunctam suam fabricam ad terram deponant, suffragium imploramus G. V. Mariae Matris Jesu, in cujus obsequio et honore fundata est nostra Religio de Monte Carmeli, in monte utinam coagulato et pingui, monte in quo beneplaceat D.no habitare. Recolentes qualiter haec Sancta plantatio a prima sua origine tamquam novella plantula plantata Radices radicatas emittens, ramos propagando virtutum in amplam segetem pullularat, sollicitis excitari vigiliis summopere nos decet intendere jugo excusso negligentiae sedula vigilantia vigilando, ut qui cujus partem sollicitudinis gerimus genimina propagare virtutum, statuenda statuere, evellenda evellere, de bono in melius prospicere nitamur, ex quibus animarum salutis augmentum, et decor Religioni proveniat honestatis. Sane facti evi-

---

(1) Eodem anno habita fuere in eadem Urbe et in vigilia Pentecostes Comitia Generalia Ord. S. Francisci. Waddingus ad an. ac Chron. Seraph. Ord.

(2) Circa hoc Capitulum confer *Bull. Carm.* I p. 35 etc. *Monumenta hist. Carm.* I, p. 220-224 et p. 195 et 204.

(3) Textum damus, prout invenimus, negligenter exaratum, quem tamen non omittendum putavimus, Alium vidimus adhuc peiorem.

dentia et a multis retro temporibus diuturna continuatione notum redditur, quod Fratres praefati Ordinis Clamides seu mantellos catebriatos seu varias continentes varietates et connectentes varietates colorum portare soliti sint usquequaque; et ne lingua aemula obiurgantium ficto conquisito colore quasi relictis originalibus ordinis Institutis obloqui valeat ex adverso, causam mutationis varietatis praedictarum Clamidum in unius redigendae unitatem coloris breviter referamus. Multa siquidem scandala ex hac varietate ordini proveniunt: ex ea etenim fratres ejusdem Ordinis facti sunt velut abiecti plebis, et quasi in derisum venerunt sicut saeculares homines ludibria exercentes; a viris insuper magnificis dignitatibus saecularibus et ecclesiasticis praedictis et gradibus excelsis pollentibus habiti sunt tamquam Laici, utpote vestes listatas (1) gerentes, et frequenter nota pudoris notabili sunt notati; et quod dolentes referimus, multi qui vellent sub nostri Ordinis Regula D.no Deo perpendere famulatum, propter varietatem praedictam, tanquam vilem vestem et despectam aspernantes a bono concepto proposito deveniant ac recusant ingredi, et stant retro propter quod subsequitur incommodum afficiens viscerosius intestina; quoniam ad cultum divinum pro viribus ampliandum multos, quos non habemus, Iuvenes perspicacis ingenii haberemus, qui in Theologiae studio opportunis temporibus proficerent, et dilatato sui tentorii loco suos funiculos facerent ampliores; plures etiam quos habemus capaces magnae scientiae in locis insignibus ubi magisteria conceduntur patiuntur convicia, qui tanquam Laici excluderentur a culmine quantamcunque acquirerent scientiae Margaritam: et panni tales etiam cum difficultate, cum sit eorum raritas, et ordientium seu texentium paucitas, reperiuntur; quare tam in quantitate pretii quam in aliis plura dispendia patiuntur: Multae sunt etiam causae aliae quas non expedit propter prolixae narrationis fastidium singulari commemoratione singulariter recensere sed causas motivas judicio recti animi discutiat quilibet compos mentis et ponderet: etiam unusquisque statera rectitudinis, cuius lances appendat aequo libramine, qui juxta Sacrorum Canonum statuta non debent reprehensibiles judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, in iis potissimum quae

(1) Id est. — ex limbis factas (*Ducange*).

non sunt contra substantiam et Ordinis disciplinam, res enim, quae per statutum nascitur per statutum tolli potest, cum nihil sit plus naturale quam eo genere quodque dissolvitur quo extitit colligatum; quod etiam jussit vetuitve superior contraria voluntate potest tollere vel remittere sicut placet. Etenim si pro varietate temporum vel locorum vel animorum variae consuetudines introducuntur, inventa opportunitate resecandae sunt potius quam servandae. Quapropter profusis fere per orbem terrarum excitationibus excitati et hortati per viros magnificos Ecclesiasticos, et etiam saeculares, et per Archiepiscopos Episcopos et Primates, et insuper a multis R.mis Patribus Ecclesiae Romanae Cardinalibus, qui de conscientia et voluntate certiorati fuerunt Summi Pontificis f. record. (1) Dni Honorii P. Quarti, piissimis specialiter hortationibus et inductionibus frequentati Dni Gervasii Summa Providentia tituli Sancti Martini Presbiteri Cardinalis (2) qui sua solita Clementia Ordinem praelibatum indefesse favore semper prosecutus est speciali, et ut patronus sub umbra alarum suarum protexit et adamavit more paternae potestatis. Attendentes quod cum saeculum reliquerimus, ut Creatori nostro possimus in arce contemplationis efficaciter famulari, propulsemus scandala et quae honestatem Religionis deformant, suffulto Dei auxilio falce moderationis quadam manu sollecitudinis resecemus, quod nobis etiam per privilegium est concessum, ut sicut intrinsecus mentaliter deserviendi Domino subiacet unitas, quae licet plura membra in pluralitate personarum constituat, unum tamen Corpus uni Capiti coniunguntur, sic forinsecus unius vestis varietas excludatur, ut interius, et exterius unio, et non scetio in uno eodemque subiecto valeat denotari. Considerantes insuper quod ait Magnus Basilius, sed neque ex sericis vestem texturis quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate vestimentorum. Animadvertentes nihilominus quod non curamus si vilibus etiam Religiosis vestimentis

(1) *Felicis recordationis* Honorius Papa IV vocatur eo quia annus eius emortualis fuit; imo 10 Kal. Augusti jam e vita discesserat. *Ciac. Baronius* ac alii Summorum Pontificum gest. scriptores.

(2) Gervasius Tit. S. Martini ad Montes Praesbit. Cardin. in conclavi celebrato post mortem Honorii IV occubuit. *Ciacc.* in Vit. PP.

Religioni decentibus simus amicti, cum non ad iactantiam vel corporalem ornatum, quae elationis habent calumniam, sed propter necessitatem vestibus vestiamur.

Nos igitur Fr. Petrus de Amiliano Totius prior Indignus Ord. generalis. Fr. Guillelmus de Sanvico Diffinitor Prov. Terrae Sanctae. Fr. Guillelmus Messanae prior pro.alis et Diffinitor Prov. Siciliae. Fr. Henricus de Hanna prior pro.alis et Diffinitor Prov., Angliae. Fr. Bernardus Catalani Diffinitor prov.' Provinciae; Fr. Garcia de Senis Diffinitor Romanae Provinciae (1) Fr. Robertus Fortini Diffinitor prov., Franciae. Fr. Benignus Mediolanensis prior pro.alis, et Diffinitor prov., Lombardiae. Fr. Henricus Invenis (2) Prior proalis, et Diffinitor prov.. Alemanniae, et frater Arnaudus Caillau prior pro.alis et Diffinitor prov. Aquitanae. In Generali nostro Capitulo apud montem Pessulanum, ut moris est secundum consuetudinem nostri Ordinis, congregati; consideratis et pensatis rationibus supradictis, et pluribus aliis, habita plena deliberatione et etiam praesentatis omnium, et singulorum fratrum in Capitulo existentium quorum interest et interesse potest et consensibus habitis eorum, de simili, et unanimiter pari consensu et voluntate, mutua ordinatione et praescientia *Ordinamus et Diffinimus* per nos et successores nostros nunc, et in perpetuum observandum ea solemnitate qua convenit, et nihil obmittere de contingentibus, Intendentes, protestantes, et praemissa etiam subsequenti protestatione, quod mutare non intendimus habitum Regularem; cum vestis superior, qui mantellus communiter dicitur, non sit de substantia Ordinis nec habitus Regularis: quod deinceps Clamides seu mantelli varii quos nunc portare consuevimus, a nobis et ordine nostro penitus sint exclusi, et eos abiicimus de praesent', ipsosque non ut habitum sed ut signum exterius in Cappas

(1) Romanae Provinciae Diffinitores recensentur; verum observandum ad annum usque 1333, quo anno Nemausi habitum fuit nostrum Generale Capitulum numquam in actibus Generalium Capitulorum leguntur Diffinitores vel Provinciales Provinciae Romanae, sed tantum Thusciae, quinto vocalium loco.

(2) Koch autem in *Die Karmeliten-Klöster* p. 28, eum nominat Henricum de Colonia, condictum Iuvenem (*Jonghen*), qui fuit Provincialis 1279. Conf. *Bibl. Carm.:* Henricus de Colonia et *Norbertum a S. Juliana* (Bruxellis, ms. 16492): Henricus Jonghen.

albas, quae clamidum loco succedant; nihil ex hoc Religioni nostrae seu Religioso statui detrahendo, diminuendo vel augendo ut sit dexterae excelsi haec mutatio, commutamus, prohibentes et praecipientes sub virtute obedientiae et sub poenarum indictionibus quas secundum Deum et Instituta Regularia infligere possumus et debemus, omnibus et singulis nostri Ordinis Fratribus, Clericis et Laicis, seu Conversis subdicti Ordinis habitum regulariter viventibus, et qui in posterum sub ferula et Regula nostra deservient D.no Jesu Christo, ne deinceps dictis clamidibus variis, sed Cappis albis utantur, et eos gestent sicut portare soliti sunt Clamides seu mantellos. Et ne sit diversitas in modo portandi dictas Cappas dictum modum expressius designamus; erunt siquidem cum caputio et a coniunctione caputii clausae desuper circa pectus et ab illa parte in longitudine usque in infimum erunt apertae ut per eam partem *Scapulare* quod est interius et habitus dilucide discernantur et sint habitus et cappa diversi coloris ut unum ab alio distinguatur. Cappae autem longitudine seu brevitate nimia non notentur, sed medium sit spectandum, et vestis interior in inferiori parte per unum palmum vel circiter appareat extra Cappam. Mantellos autem seu Clamides etiam coloris grisei aut alterius cuiuscumque gestare non elegimus sed potius diffinimus non portare quia nusquam vidisse meminimus nec videmus, quod Clamides portent qui sunt de approbatis ordinibus paupertatis; Cumque nostra Religio sit in paupertate fundata, et approbata sicut paupertatis ceterae approbatae dignum est ut qui similem vitam cum aliis suscipimus, similem sentiamus in moribus disciplinam, detestantes eos ea potissimum ratione quod nonnulli imo fere innumeri quod est. . . . . ferendum sub specie boni fingentes Religionis habitum quorum approbata conversatio non est nota et sicut Angeli Sathanae se in lucis Angelos transformant et mali priores pessimi homines profugii et abiecti mantellos plusquam alium habitum portare soliti sunt et sub simplicitate illarum clamidum se involvunt exterminantes facies suas, extrinsecus autem lupi rapaces existunt, pestis autem haec mortifera in diversis mundi partibus irrepsit et sicut cancer serpat potius in occulto quam in aperto vim suae iniquitatis extendat sed palliata Religionis specie multos decipit simplices, et quosdam seducit astutos, quare cum propter notam pudoris vi-

tandam tale signum seu indumentum a nostro Ordine duximus repellendum, congruit, decet et expedit ut non solum ipsum sed ejus speciem nihil retinendo de suis Reliquiis fugiamus, ne etiam malignorum praedictorum consortium imitari cum infamia videamur. Per haec autem quae praemissa sunt sicut bonis et bene conversantibus non intendimus detrahere, sic malorum versutias non intendimus palliare. Cappas vero albas praeëligimus, ne in assumptione coloris grisei seu alterius cujuscumque ullum impedimentum seu praejudicium aliis approbatis Religionibus (1) videatur afferri, seu eis molestia aut turbatio aliqua ingeratur, et in signum humilitatis, honestatis, et paupertatis ut amicti vestimentis albis sancta conscientia et puro corde possimus sequi Agnum Immaculatum Dominum Jesum Christum quod nobis concedat qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Acta sunt haec apud Montempessulanum in domo dictorum patrum de Monte Carmeli anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo octogesimo septimo, et decimo Calendas Augusti D.no Philippo (2) Rege Francorum Regnante, et D.no Berengario Magalonensi Episcopo praesulante (3) in praesentia et testimonio D.ni Bertrandi Mathaei Canonici Vivariensis et Officialis Magalonensis Henrici Bosatoris Ioannis Bari, et Ioannis Grimandi dicti D.ni Episcopi Notariorum, et mei Ioannis de Malobuxo publici auctuarii Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Tabellionis qui mandatus et rogatus a dictis Priore Generali, et Diffinitoribus hoc scripsi et signo meo sequenti signavi.

Post hoc anno quo supra et septimo Calendas Augusti praedicta Diffinitio, et ordinatio et omnia, et singula contenta in ea fuerunt publice recitata, et divulgata et lecta in Capitulo

---

(1) Cf. Mon. hist. p. *222*.

(2) Philippus IV dictus pulcher tunc in Galliis regnabat.

(3) Berengarius Magalonensis Episcopus cum Notariis Magalonensibus interfuit eo quia tunc temporis Monspelii ad eumdem Episcopatum pertinebat, nec adhuc erat Episcopali decoratus Cathedra. Cum antea Urbs Magalonensis ab hereticis eversa fuerit postulante Francisco I Galliorum rege, ac Paulo papa III permittente, Magalonensis sedes anno 1533 Monspellium translata fuit cum paucis milliaribus ab eadem distaret. — *Gallia Christiana* etc.

praedicto dictorum fratrum praesentibus dicto Priore Generali et Diffinitoribus, et aliis Prioribus proalibus et Prioribus Conventualibus atque lectoribus, et quam plurimum aliis fratribus dicti Ordinis in magna multitudine qui congregati fuerant pro praedicto Capitulo Generali et in praesentia et sub testimonio D.ni Bertrandi Mathaei Canonici Vivariensis Magalanensis Officialis, et Henrici Bosatoris, et Ioannis Bari supradicti domini Magalanensis Episcopi Notariorum et Magistri Ioannis de Malobuxo publici auctuarii Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Tabellionis, qui mandatus et rogatus a dicto Domino Priore Generali hoc scripsi, et signo meo subsequenti signavi et feci quondam Cancellariam subtus ponebando quae dicitur posatoris. (Fig. 1ª).

Ego vero supradictus Ioannes de Malobuxo feci superius quandam Interlineaturam quae dicitur vario et alia quae dicitur insuper, quare iterum hic signum meum appono. (*Eadem figura*).

Ego Henricus Posatoris publicus Rev. Patris, et D.ni Magalonensis Episcopi Notarius asserens me praedictis omnibus interfuisse ut superius dictum est, iisdem omnibus subscribo et signo. (Fig. 2ª).

Ego Ioannes Bari publicus Reverendi praedicti D.ni Magalonensis Episcopi Notarius asserens me praedictis omnibus interfuisse ut superius dictum est, iisdem omnibus subscribo et signo. (Fig. 3ª).

Ego Ioannes Grimandi publicus D.ni Magalonensis Episcopi notarius asserens me interfuisse omnibus et singulis conventis a principio hujus paginae usque ad paragraphum, *Post hoc*, anno quo supra, et septimo Calendas Augusti iisdem omnibus subscribo et signum meum appono. (Fig. 4ª).

In quorum testimonium, et quod Ioannes de Malobuxo sit D.ni Papae publicus notarius, et Ioannes Bari, et Henricus Posatoris, et Ioannes Grimandi sint publici D.ni Magalonensis Episcopi Notarii, nos, Bertrandus Mathaei Canonicus Vivariensis Officialis Magalonensis Sigillum nostrae Curiae hic duximus apponendum. Cum sigillo. (1)

---

(1) Joannes Herold † post annum 1566 scribit In « Continuatione Belli sacri historiae, » edita Basileae 1549, de Carmelitis: « Anno

Concordat cum exemplari authentico quod penes me est atque ex Tabulario Con.tus N.ri Balneolensis desumptum fuit. Ita testor Ego infrascriptus Prior Pro.alis Pro.ae Narbon. Ordinis Carmelitarum, Vesontione die 10° Ianuarii an. D.ni 1687.

FR. ANDREAS A S.to NICOLAO *Pro.alis.*

1285, quo etiam anno Carmelitarum familia Syria expellitur a Melechsaita levissimam ob causam, si spectes venerationem qua antea eam factionem coluerat Barbarus. Est Carmelus mons in Syria mora tam aliorum prophetarum, quam Heliae et Helisaei nobilis. Hunc locum sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha insederant Anachoritae ac cum sparsim circa montem agitarent, tandem coivere ad fontem, qui Heliae dicitur, in cacumine montis et Phanum et coenobium construxerunt, uni qui honesta praecipiebat, humiliter parendo, sine tamen certo instituto, sine peculiari cultu, sine ceremoniis. Albertus postea Hierosolymitanus sub Innocentio tertio, Patriarcha et legatus certas observationum regulas illis praescripsit, addidit et vestitui normam, pallium scilicet versicolorem, ex albo et canusino circulatum, Heliam ejusmodi cultu ornatum incessisse, Basilium ea vivendi forma usum fuisse, asserens. Erat tam gratus propheticus pallii habitus non solum Christianis, sed etiam Barbaris, ut magnis Sultani eleemosynis familia tota sustentaretur, locupletareturque. Sed pontifici Romano Honorio quarto non admodum probabatur, vel quod non Romano ingenio excogitatus aut confirmatus, vel quod religioni circulatus versicolorque habitus convenire non videretur. Igitur album illis pallium datum ita, ut sub eo camisiati essent, uterque color illis retineretur. Quod ubi factum resciit Melechsaites, tanta ira exarsit, ut congregatis copiis coenobium invaderet, expulsisque omnibus incendio et phanum et coenobium destrueret. Repullulavit haec brevi familia in omnibus regionibus Christiani nominis adeo, ut pudeat numerum referre locorum et initiatorum hujus factionis. Septem millia enim et quingenta Carmelitani nominis coenobia extare, qui sacris operentur centum octoginta unctorum millia dicuntur. At hoc relatum nolo, ut dignum ducam cui fides habeatur. Veri periculum sit apud auctores. Unum autem hoc certum esse nemo dubitabit, urusque rei signum et memoriam extare apud Francos scilicet Orientales, Mergatheim sodalitatis Teutonicorum aedes, quas a perdito praesidio denominari voluerunt posteri, deinde Carmelitarum per totam Europam coenobia. » *(Liber V cap. III continuatae historiae de Bello sacro Gulielmi Tyri † circa 1184)*.

Du Breul (*Le Théâtre des Antiquités de Paris 1612*) eundem nimis exaggeratum conventuum et religiosorum numerum refert.

SIGNA QUAE IN FINE DECRETI CAP. GEN. 1287 POSITA SUNT.

Fig. 1ª Fig. 2ª

Fig. 3ª Fig. 4ª

HABITUS ORDINIS ANTIQUUS
(Ex Actis SS. die 8 Aprilis)

Ex tabula Conv. Coloniensis picta circa an. 1522

Ex tabula Conv. Antverpiensis facta anno 1609.

In Cap. autem Gen. 1281 statutum est:

« Frater professus habeat unam carpetam quae est nostrae religionis signum, non de petiis consutam sed contextam, et habeat septem radios tantum ut simus uniformes. Quod moraliter significat circumamictos virtutum varietate per septiformem gratiam debere decorari, quod valeamus impetrare. » *(Mon. hist. p. 220).*

LIBER ORDINIS

(Fol. 1 a) In nomine dni. nri. ihu xpi. Amen.

Nos frater Johannes (1) humilis prior generalis et servus fratrum ordinis beate Marie de Monte Carmeli de consensu diffinitorum nostri capituli generalis Treveris celebrati anno Domini 1362 in festo Penthecostes mutavimus librum communitatis ordinis et incepimus in presenti libro scribere acta capitulorum generalium. Ordinavimus autem quod primo ponerentur in isto libro acta omnium capitulorum precedentium que erant scripta in alio libro priore isto prout sequitur. Acta vero dicti capituli Treverensis fuerunt consequenter posita et scripta in folio XII sequenti. (2)

Prior parisiensis fr. Nicolaus de Falasio. Pro sententiis legendis parysius (3) hoc anno proximo post capitulum Burdigalense fr. Petrus de casa. (4) Pro secundo anno fr. Guilelmus Geneste. Pro tertio anno fr. Petrus Poligij. (5) Pro quarto anno committitur priori generali.

Taxacio ordinis.

Pro provincia Cipri CXL toronenses grossos. (6) pro pro-

(1) I. e. Balistarius. Praecedentem librum capitulorum hucusque incassum quaesivimus. Circa hoc capitulum Burdigalae 11 Junii 1318 celebratum cf. Monumenta I, 196, 206, 228,

(2) In *Libro Ordinis* ante Cap. Trevirense adsunt tantum 5 folia, 6 alia fuerunt excisa; nunc Cap. Trev. habetur in folio 6. Praecedens autem nota scripta est eadem manu et eodem atramento ac Cap. Trevirense, sed postea alius sequentia Capitula, qui II folia implere potuissent, in 5 foliis scripsit.

(3) Est nomen indeclinabile, multoties adhibitum in medio aevo.

(4) Petrus de Casa, seu de Caesis. Cf. Monum. l. c. 233, 237 252, 381, 395. Bibliotheca Carmel.

(5) Petrus Poligii. Mon. 382. Biblioth.

(6) Juxta Decretum Philippi V 1319 Grossus Turonensis cum duobus o valebat 24 Denarios Parisios et Grossus cum uno o 12 Denarios Parisios. Sub Philippo VI 1329 Florenus (de quo in sequen-

vincia Cicilie CL grossos. Anglie CXX. Provincie LXXXX grossos propter honus prioratus generalis et curie romane. (1) Thuscie CX grossos. Alemanie inferioris LX grossos propter honus magistri actu regentis parisius. (2) Francie CLX grossos quia tempore preterito fuit subportata. Alemanie inferioris (3) LXX grossos propter honus magistri actu regentis parisius, cui habent providere in CCCC grossos. Pro provincia Lombardie CL grossos. Aquitanie CL grossos. Yspanie CL grossos. Hybernie CL grossos. Alemanie superioris CXL grossos quia non habent honus magistri regentis.

Hec sunt cause et articuli taxacionis supradicte.

1. pro vestiario prioris generalis, duorum sociorum et salario famulorum annuatim quingentos sexaginta grossos;

2. pro magistro regente parisius CCCC grossos de communi taxacione ordinis et totidem de provincia sua. Post translationem autem loci parisius (4) predictus magister non recipiet nisi CCCCL grossos, medietatem de communi taxacione ordinis, et medietatem de sua provincia;

3. pro procuratore ordinis fratre C grossos;

4. pro procuratore seculari ordinis LX grossos;

5. pro expensis magistri curie romane veniendo de Anglia ad curiam romanam CC grossos;

6. pro vestiario magistri curie romane annuatim C grossos.

7. pro hostiariis sive janitoribus domini pape L grossos quolibet anno.

---

tibus Capitulis) regalis aureus currebat pro 28 solidis Parisiis. (*Ducange* art. *Moneta).*

Ordo taxatus erat tantum pro expensis regiminis ordinariis. Alia solvebat unaquaeque Provincia secundum necessitatem.

Juxta Marres *(De Justitia*, lib. II nota ad n. 163) anno 1454 bos pinguis emebatur pro Lib. 3; vitulus pro Lib. 0,13; 456 ova pro Lib. 0,36; dolium vini (960 Lit.) pro Lib. 9,07; solvebatur pro mercede annua pistori Lib. 5,44, ceteris famulis Lib. 4,54. Nunc multi pro hoc non volunt laborare unum diem per decem horas. De saec. 14 nihil invenimus.

(1) Papa residebat in *Avignon*.

(2) Sibertus de Beka, mon. 190.

(3) Bis ponitur. Forte per errorem scribae.

(4) Cf. Monumenta, l. c. 283 n. 2.

Summa MCCCCLXX grossos.

Item in predicto capitulo fuerunt de gremio capituli generalis triginta duo fratres et tres magistri in theologia qui in virtute constitucionis que tunc erat fuere de gremio capituli generalis, et sic fuerunt in universo triginta et quinque fratres eligentes seu electores quorum in prima publicacione sive in prima conscripcione vocum viginti et sex fratres elegerunt Guidonem (1) in priorem generalem et sine aliqua reclamacione et excepcione omnes alii consenserunt, et confirmatus fuit a vicario generali, vel confirmatum virtute privilegii denunciavit et privilegium confirmacionis sibi tradidit solempniter in ecclesia dictis oracionibus in conspectu omnium cum sigillo.

(1 b) Isti fuerunt in priores provinciales in praedicto capitulo instituti :

Prior provincialis Terre Sancte frater Nicolaus de Tripoli. (2) Prov. Cicilie fr. Nicolaus de Messona. (3) Anglie mag. Joh. de Berkenstede (4) Provincie fr. G. Terreni (5) Thuscie fr. Joh. Florentinus (6) Francie mag. Symon (7) Alemanie inferioris mag. Synbertus (8) Lumbardie fr. Ambrosius de Marchallo (9) Aquitanie fr. P. Grossi (10) Yspanie fr. Bartholomaeus Morator (11)

---

(1) Guido Terreni seu de Perpiniano, Monumenta, l. c. 303. 378. Bibliotheca Carmel.

(2) Nicolaus de Tripoli, Mon. l. c. 290.

(3) Deinde episcopus Suanensis. Bullar I, 571 dat. 19 Aug. 1343 obiit 1360.

(4) Joh. de Berkhamstede, conventus sive Hitchinae sive Londinensis, mag. Oxoniensis. Per aliquod tempus prior Ipsvicensis, ab anno 1312 provincialis Angliae usque 1319. MSS Balaei; Bullar. I, 608, 609. Biblioth.

(5) seu de Perpiniano.

(6) Joh. Florentinus, vide in sequenti capitulo.

(7) Symon de Corbeya, Mon. 227, 284, 377. Biblioth.

(8) Sibertus de Beka. Supra P.

(9) Ambrosius de Marchallo.

(10) P. Grossi. In aliquo Documento dato die Veneris post festum S. Valentini (17 Febr. 1328-9) nominatur Petrus Grossi, Carmelita Conventus Castellionis, dioec. Burdigalensis (Archiv. Burdigal).

(11) Bartholomaeus Morator.

Ybernie fr. Guillelmus de Lechlinia (1) Alemanie superioris fr. Bertoldus. (2)

Procurator ordinis fr. R. Durandi (3) Socii prioris generalis fratres P. de Bellomonte, Johannes Boysseti. Capitulum generale assignatum fuit in Monte pessulano anno Domini 1321 in festo Penthecostes.

Hec sunt acta in capitulo generali (4) in festo Pentecostes Anno domini MCCCXXI in quo fr. Johannes de Clarano presidens extitit. (5)

Prior generalis fr. Johes de Alerio. (6)

Prior provincialis terre sancte fr. Bernardus de sto Ypolito. Cicilie fr. Franciscus de Sate (7) Anglie fr. Johes de Bergla (8) provincie Narbone fr. Johes de Clayrano. Thuscie fr. Angerianus. Francie fr. Symon de Corbeio. Alemanie inferioris fr. Augerius (9) Lumbardie fr. Johes de Rocha. Aquitanie fr. Jo Grossi. Yspanie fr. Jo de sta maria. Ybernie fr. David (10) Alemanie superioris fr. G.us de Vellento. Provincie fr. Augerius (11) Apullee

---

(1) Guilelmus de Lechlinia. Prior Lechlinensis, vir doctus, ita Balaeus.

(2) Bertholdus. Series provincialium incipit anno 1340, ita ut de prioribus parum memoriae traditum sit.

(3) Raimundus. Durandi. Monumenta, l. c. 383.

(4) De hoc capitulo quod 7 Junii 1321 in Montepessulano celebratum fuit cf. Monumenta, l. c. 197,206,228.

(5) Joh. de Clarano, Mon. 382.

(6) Joh. de Alerio, ib. 380 et passim.

(7) Franciscus de Sate; anno 1327 infra habet Salem.

(8) Lege Berkhamstede. Scriptor in pluribus nominibus erravit.

(9) Lege Sibertus.

(10) David Obuge, Kildariensis, insignis theologus. Una cum quibusdam aliis divisioni provinciae Angliae nequaquam consentiens a capitulo provinciali Londinensi anni 1305 Trevirim relegatus fuit (Monum. 225). « Tempore belli Hibernis pacem praedicavit », ita Balaeus passim. Obiit Kildarie, nescio quo anno.

(11) Augerius de Spuento, seu Spuneto, seu Spineto, Mon. 379. Biblîoth. In cod. 1669 (olim CXLII) S. Marci Venet., anno 1322 conscripto habetur dissertiuncula ipsius circa quaestionem « Utrum asserere Christum et apostolos non habuisse aliquid in communi sit haereticum », quam resolvit affirmative.

fr. Anselinus. (1) Procurator ordinis fr. P. de Bellomonte nisi prior generalis ipsum in socium velit assumere. Si autem ipsum assumpserit possit idem prior generalis de alio procuratore ydoneo providere.

Hec sunt ordinationes.

Sequens capitulum generale hinc ad triennium in Brugis celebrandum. Damus auctoritatem reverendo patri priori generali ut sibi duos socios assumat quos sibi videbuntur aptiores.

Item damus auctoritatem prioribus provincialibus cum diffinitoribus priorum capitulorum provincialium omnium provincialium ut inhabiles audito eorum bono et laudabili testimonio possint habilitare.

Item ordinamus et constituimus vicarium generalem super provinciam lumbardie ut celebret capitulum provinciale in ea atque inquirat et exequatur diligenter per nos et diffinitores injuncta fratrem Johannem de Florentia (2).

Item ordinamus ut vicarius quem capitulum provinciale Anglie consti (lc) tuet in Scotia prestet juramentum fidelitatis servande domino regi Anglie et ordini ac fratribus seu provincie supradicte.

Item ordinamus quod provincia Francie possit tenere parisius tres studentes absque contributione.

Hec diffinita per capitulum generale: Primo est ordinatum et statutum quod provincia provincie dividatur in duas, sic quod prima seu ultra Rodaneum vocetur provincia Narbone, ita tamen quod provincia Narbone teneat in statu et ordine primum gradum.

Item est ordinatum quod provincia Cicilie dividatur in citra farum, et insulam Cicilie sive ultra farum, sic quod citra seu domus Neapolis cum ceteris vocetur provincia Apulee, altera vero seu insula teneat unde prius ut Cicilia nominetur.

Ordinatum est etiam ut queste et procurationes stent ut stabant et steterunt

---

(1) Ancelinus de Arnata, vide Cap. 1324. Scribitur etiam Angelinus.

(2) I. e. Fr. Johannes de Florentia nominatur vicarius generalis Lumbardiae, forte idem qui in superiori capitulo provincialis Thusciae nominatus fuit, unde patet cur absit a Necrologio Florentino.

Item est ordinatum quod magister Symon de Corbei ut regat parisius usque quo habeat successorem.

Item est ordinatum quod magister Augerius legat in curia sub quo legat fr. R.us de Spavento super sententiis.

Item est ordinatum quod primus bachalarius qui legat parisius erit fr. Mathyas de Colonia (1) pro anno primo venienti et pro secundo anno fr. Johes de Parisiis (2), de tertio et quarto relinquimus voluntati et dispositioni reverendi patris prioris Generalis ita tamen ut infra instans festum Pasce inclusive ordinaverit eos specialiter nominando.

Item hec est taxatio ordinis pro negociis communibus. Provincia Cipri CL — Cicilie CXL — Anglie CXX grossos. — Narbonensis LX gr. — Thuscie CX gr. — Francie CLX gr. — Aquitanie CLX gr. — Alemanie inferioris CLX gr. — Lumbardie CXL gr. — Yspanie CXL gr. — Ybernie LX gr. — Alemanie superioris C gr. — Apulee LXXX gr. — Ultra rodanum LX gr. — Vicaria Scocie LX gr. — Summa M sexcenti XX.

Item sunt ordinata studia generalia Bononie, Colonie et Londoni ad quorum quodlibet mittant seu mittere possint provincie que voluerint.

Item ordinamus vicarium generalem super provinciam Cicilie ad inquirendum et injungendum que per nos et diffinitores injungentur auctoritatem plenam usque ad sequens capitulum generale infra dictum tempus prioris generalis ipsum duxerit revocandum. *(sic!)*

Retinemus nobis auctoritatem diffiniendi statuendi et ordinandi omnia ad gremium generalis capituli spectantia de communi et unanimi omnium diffinitorum usque ad instantem diem Martis inclusive preordinatis et publicatis non contraria quacumque constitucione non obstante contraria. *(sic !)*

Hec sunt pro quibus ordo taxatus est: lo pro magistro generali et sociis ac duobus famulis CCCCL turonenses.

Item pro procuratore ordinis Balde VI florenos (*saeculari !*). Item pro procuratore ordinis fratre C grossos. Item pro magistro

---

(1) Monum. 383.

(2) Forte Johannes de Baconthorpe qui ob diuturnam residentiam Parisiis id nomen nactus erat. Legi tamen potest etiam: *de Pisis.*

regente Parisius CCCC grossos. Item pro magistro regente in curia C grossos. Item pro janitoribus vel hostiariis pape L grossos. Summa MCLXXXVIII turonenses.

(Id.) Ista que secuntur sunt concessa fratribus Bartolomeo de Atrabato et C. de Bornaco. Primo fratri Bartolomeo quod possit tenere famulum ad expensas conventus. Item eidem quod cum uno socio possit se quandoque transferre ad aliquem alium conventum a parisius pro remedio infirmitatis sue et solacio. Item restituimus locum et vocem fratri G. de Bornaco ipsum ad omnem promotionem habilitantes.

Hec sunt que debentur communitati ordinis pro primo anno post capitulum burdigalense. Provincia Lumbardie VI florenos. Yspanie I grossus. Item episcopus Majoricensis (1) XC grossos. Item Alemania superior CXL. Item provincia Cicilie CL. Item episcopus Majoricensis CV grossos. Item provincia provincie XC turonenses. Item provincia Lumbardie CL turonenses. Hec sunt de taxacione non soluta. Summa MCCCLXII grossos. Preter hec tenentur provincia Alemania superior pro privilegiis conservatorum XVII flor. de Florentia. Item Cicilia pro consimilibus privilegiis VIII flor. de Flor. Item dominus Majoricensis VIII flor. de computo suo. Item preter hec duos florenos de littera absolucionis Francie quos prior generalis idem recepit testimonio fratris Ari de Lopurnii. Item Petrus de Capua vel Nicolaus de Messana L flor. de Flor. Summa florenorum LXXXV flor. de Flor. Item pro libris qui restant adhuc generalis defuncti (2). Primo pro volumine Galieni C et XX grossos (3) ss. (solidos). Item coligerium Averoys LX ss. Item Gibertina LX ss. Item Raxis XL ss. Summa libr. XIII, X ss.

Hec sunt que communitas Ordinis debet: Primo magistro regenti parisius pro primo anno post capitulum burdigalense CCCC grossos. Item pro secundo anno duobus magistris magistro regenti CCC. Item pro eodem anno procuratori Ordinis f.ri R. Durandi C. Item pro procuratore ordinis seculari VI florenos, valent LXXVIII grossos. Item magistro curie pro tertio anno C gros. Item provinciali Anglie XXVII gros. Item fratri Ioanni pro

(1) Magister Guido de Perpiniano. Monum. 378.

(2) Gerardus de Bononia qui obierat Avinione 17 April 1317.

(3) Vox grossos deleta est in cuius locum ss. substitutum est.

negotio ducto de parisius CXXXV turonenses. Summa MCCCL turonenses.

Sciendum quod computato cum magistro Symone inventum est quod tenetur ordo eidem in ducentis XX grossis. Item sciendum quod computatis omnibus et resolutis supersunt LXXXV floreni et XIII libr. turonenses X ss et XXII grossi computato valore librorum.

Hec sunt acta in capitulo generali Barchinone (1) in festo pentecostes anno d.ni MCCCXXIIII.

Primo fuit confirmatus in priorem generalem fr. Joh. de Alerio. Prior provincialis terre sancte fr. W.us de Solentone. Provincialis Cicilie fr. W.us de Wesentone. Anglie fr. Ricardus de Bliton (2). Narbone fr. Ray.us Tabuse (3). Tuscie fr. Andreas (4). Francie fr. Symon de Corbeya. Alemania inferioris fr. Sibertus. Lumbardie fr. Petrus de Felicianis (5). Aquitanie fr. Petrus de Casis. Yspanie fr. Garcias. Ybernie fr. David. (2-a) Alemanie superioris fr. Johes de Sublobiis (6). Apulee fr. Anceli-

(1) Circa hoc capitulum quod 3 Junii celebratum fuit cf. Monumenta, 229.

(2) Electus in capitulo provinciali Stamfordiae anno 1319 celebrato. Patria Lincolniensis, magister Oxoniensis, Eduardo II a confessionibus erat quam ob causam provincialatui renuntiavit 1326. Obiit tandem Lincolniae in decrepita aetate 31 Julii 1361. Ita Balaeus.

(3) Pro Tabulae, in s. pagina lector, obiit Narbone 2 Aprilis 1328, in capitulari domo sepultus. Ex Balaeo.

(4) Suspicatur Lezana (Annales, IV, 537) fuisse S. Andream de Corsinis, (tunc 23 annum agens! Erat tamen provincialis a 6 Aug. 1348 usque 13 Oct. 1349) sed errat, cum fuerit Andreas Civius de Bonazza qui annis 1331, 1335 et 1339 (et sine dubio etiam aliis) priorem Florentinum egit, et iterum provincialis renuntiatus fuit annis 1346 et 1347. Obiit 6 Julii 1358 juxta Necrologium quod ait: « Vir venerabilis, fuit provincialis annis undecim duabus vicibus ».

(5) Petrus de Felicianis. Monumenta 121, nota.

(6) Notat Balaeus: « Johannes de Sublobiis in s. pagina professor eximius post praefati Rogeri defunctionem fit per Inferiorem Alemanium provincialis, anno 1316. Errat tamen quoad annum et provinciam.

nus de Arnata. Provincie fr. Johes Maceleti (1). Scotie fr. Michael (2). Prior Parisius fr. Mathias (3). Prior conventus curie romane fr. Johes de Foyssaco.

Hi sunt ordinati ad legendum sententias Parisius; Pro primo anno fr. Henricus de Aquila (4), secundo an. fr. Hugo de Verneto (5), tertio an. fr. Petrus Orla (6), quarto an. fr. Nicolaus de Villa regia, quinto an. fr. Jacobus Dauzo (7), sexto an. fr. Petrus de Janua (8). Legat bibliam Parisius duobus annis fr. Durandus Bonatis, et si contingat aliquem bachalarium deficere legat sententias loco ipsius dictus frater Durandus.

Aliis duobus annis legat bibliam fr. Johannes de Monte Squisno (9) et idem intelligimus de eo quod de aliis.

Hec est taxatio ordinis: Provincia terre sancte CC grossos — Prov. Francie CCC gr. — Prov Cicilie CC gr. — Prov. Thuscie C quinquaginta gr. — Apulee CC gr. — Lumbardie CC gr. — Prov. provincie C quinquaginta gr. — Prov. Yspanie CC gr. — Prov. Narbone C quinquaginta gr. — Prov. Aquitanie CC quinquaginta gr. — Prov. Alemanie inferioris CC quinquaginta gr. — Pr. Alemanie superioris C quinquaginta gr. — Pr. Anglie CC gr. — Pr. Ybernie C quinq. gr. — Pr. Scotie C quinq. gr. — Summa duo milia nongenti.

Haec sunt expendenda adunatim. Primo pro vestiario Generalis quingentos grossos, pro Magistro Parisius CC grossos, alios CC grossos habeat de provincia sua Angliae. Pro Magistro Curie C quinquaginta, pro suo venire C. quinquaginta, pro bachalario et Magistro physicae C. grossos. Pro Procuratore Or-

---

(1) Johannes Maceleti, cf. Monumenta 121, nota.

(2) Michael de Berwick.

(3) Mathias seu Mathaeus de Parisiis, vir venerabilis doctor in s. facultate parisiensi, provincialis Franciae, Parisiis sepultus; Monumenta, 401.

(4) Ib. 384.

(5) Ibidem.

(6) Ibidem, et p. 555.

(7) Jacobus de Auzo, cf. Monum. 385.

(8) Ibidem 386.

(9) Joannes de Monte Esquilio (Cod. Barcinonensis habet Montestino seu Montescino). Cf. Monum. 119, n. 2.

dinis fratre C. quinquaginta, pro Procuratore seculari LXXX grossos. Pro janitoribus Pape L. Pro censu loci Parisius M. CC grossos. Pro expensis et stare Lectoris Biblie Parisius C. grossos. Summa duo millia sexcenti octuaginta grossi.

Item fuit diffinitum quod libri fratris Nicholay de Bernardo reddantur provincie Cicilie cum hoc quod dent XL floren. et prior generalis habet X flor. quos habuit a provinciali Apulee fratre Ancelino et illos XL flor. confiscantur conventui parisius.

Item notum sit quod magister prior generalis fr. Johs reddidit computum in presencia diffinitorum capituli generalis barchinon. celebrati et inventum est quod recepta ascendebant omnium in universo septem milia sex centum quinquaginta tres grossos. Et expense ascendebant septem milia CCCC triginta unum. Et sic omnibus computatis magister debet ordini de summa predicta receptorum CCXXII grossos. (2 b) Unde satisfactum est omnibus fratribus quibus prius debebatur preter magistro Augerio cui debetur sed nescimus determinate quantum. Capitulum generale ordinamus celebrandum Avinioni anno domini MCCCXXVII.

Concedimus potestatem priori generali mutandi capitulum generale quoad locum et tempus si sibi ex quacumque causa rationabili videatur expedire (1).

Hec acta fuerunt et ordinata in Capitulo Albie in festo pentecostes Albie celebrati anno domini MCCCXXVII (2).

Primo confirmatus fuit in priorem generalem frater Johes de Alerio.

Prior provincialis terre sancte fr. Gerardus de Mediolano Cicilie fr. Franciscus de Salem. Anglie fr. Johes de Baconstorp (3) Narbonensis fr. Raymundus Tabule. Thuscie fr. Andreas de Florentia. Francie fr. Nicolaus de Valle regia (4) tocius Alema-

---

(1) Revera generalis mutavit capitulum ad Albiam prov. Aquitaniae. Monum. 229.

(2) Acta hujus capituli quod 31 Maj celebratum fuit vide in Monumentis, 115 sqq.

(3) Cf. Monumenta, 379.

(4) Videtur idem ac de Villa regia, supra P. 25.

nie superioris et inferioris que in predicto Capitulo fuerunt conjuncte et unite fr. Sylbertus de Beke. Provincialis Lumbardie fr. Ricardus de Pedala. Aquitanie fr. p. de Bellomonte. Yspanie fr. Garcias. Ybernie fr. Guills Ahoulet (1) Apulee fr. Guills Okun. prov. provincie fr. Johes Masseleti. Scocie fr. Michael de Beroyca. Prior Parisius fr. Mathias de Parisiis. curie romane fr. Gerardus de Croco. Procurator ordinis fr. Rodulphus Kelle. (2).

---

(1) Guillelmus Ahoulet seu a' Horolet, alias Huloti, qui, teste Balaeo, fuit studens quondam in Avinione.

(2) Radulphus O' Kelly, filius cujusdam Gulielmi, mercatoris in civitate Pontana (Drogheda) in Hibernia, Carmelitarum ordini nomen dedit Dubliniae secundum Balaeum, vel Kildariae secundum alios. Studiis operam navavit Avinione, Tolosae et in Montepessulano ita ut « vir doctus in theologia et utroque jure evaderet. Ingenio lucidus, eloquio dulcis, affabilis, imperterritus » (Balaeus). Procurator ordinis ab anno 1327 usque ad annum 1344 quo a Summo Pontifice cum quo familiaritatem nactus erat, episcopus Lechlinensis renuntiatus fuit (Bullar. I, 577, VIII Idus Februar. 1344). Appulit oras Angliae prope Sandwich mense Aprili, una cum Johanne Pascal, itidem Carmelita, episcopo Landavensi. Rex vero rescripsit Majori et bailivis oppidi Sandwich ut sequitur »: Quia datum est nobis intelligi quod vos duos fratres Ordinis Carmel. per Dominum Summum Pontificem in episcopos noviter consecratos et in portu de Sandwicocum bullis et litteris nobis praejudicialibus applicantes arestastis et sic in aresto tenetis, scire vos volumus quod non est nec umquam fuit intentionis nostrae quod virtute alicujus mandati nostri vobis directi arrestare possetis aliquem in ordinem episcopalem constitutum. Et ideo vobis mandamus quod statim ipsos episcopos cum servientibus suis si sic arrestati sint dearestetis ipsos quo voluerint abire libere permittatis. Litteras tamen hujusmodi nobis praejudiciales quas per ipsos vel suos infra regnum nostrum delatas inveneritis sanas et integras coram concilio nostro Londoniae trasmittatis. Teste Rege, apud Marleberg quinto die Aprilis (1344: Rymer, Foedera) ».

Cum in Hiberniam pervenisset intellexit ecclesiam Lechlinensem revera non vacare, unde a Summo Pontefice ad metropolitanam Casselensem translatus fuit (Eubel, I, 177) 9 Jan. 1346. Eo ipso anno fortiter regi et parliamento restitit defendendo libertatem ecclesiae juxta tenorem Magnae chartae: rex enim subsidium a clero exquisierat, sed archiepiscopus cum suffraganeis suis canonice contra contribuentes processit unde rex ab archiepiscopo indemnitatem mille

Rector curie romane mag. Guills de Rodengna. Bachalarius curie romane fr. Petrus de Janua. Rector Montis pessulani fr. Hugo de Verneto.

Isti sunt ordinati ad legendum sententias primo anno immediate sequenti capitulum fr. Jacobus de Auzo provincie Aquitanie. Regat secundo anno unus de provincia Francie quem magister parisius et bachalarii elegerint loco fratris Nicholai (de Bernardo). Regat tertio anno fr. Petrus de Janua. Regat anno quarto fr. Johes Ungerolo (1) Regat anno quinto fr. Garcias. Regat sexto anno fr. Angelus de Florentia (2) Ordinamus tamen quod si contingeret aliquem deficere de predictis ordinatis modo quoquo quod fr. Johes de Montesquisno succedat; vero provincia illa cujus erit ille qui deficeret jus petendi locum habeat pro lectura sententiarum in Capitulo subsequenti. Regat bibliam post fratrem Johem de Montesquisno fr. Johes Polestede (3). Frater Johes de Clayano ad omnia que actenus perdiderat restituitur secundum quod in suis literis plenius continetur.

Capitulum sequens in provincia Francie in conventu Valenciarum. Socii generalis fres. Johes de Ginhaco et Ricardus de Barbizano.

---

librarum anglicarum exegit; utrum vero solutae fuerint non liquet. Anno 1361 Angliam visitavit, et post reditum multas ecclesias pollutas reconciliavit. Anno 1353 litem habuit cum episcopo Waterfordiensi qui se inconsulto duos homines ob blasphemiam in B. V. Mariam combusserat. Nimis fortiter contra episcopum se opposuit. Radulphus O' Kelly obiit 20 Novembris 1361 et in sua ecclesia metropolitana sepultus fuit. Dict. of Natl. Biogr. s. v. Quae vero scripserit invenies in Bibl. Carmelit.

(1) Forte legendum Johannes de Tungerloo.

(2) Angelus de Florentia, scilicet Angelus Tinti (nonne Tinghi?) florentinus, s. theol. lector, obiit 10 Sept. 1327. Necrol. flor. novum.

(3) E Gippesvico (Ipswich) oriundus Oxoniae magisterium nactus est, anno 1335 provincialis renuntiatus et vicarius generalis per Angliam sub Petro de Caesis; in concionibus ad plebem audientes omnes linguae suae dulcedine ad sese trahebat. Tandem Eboraci 12 Oct. 1341 vita functus est et sub marmore quiescit. Reliquit inter alios libros sermones quos Lincolniae pronuntiaverat. Ita Balaeus.

Hec est taxacio ordinis in eodem capitulo facta. Primo provincia terre sancte ad CC grossos turonenses. Provincia Cicilie ad CC grossos turonenses.

Provincia Narbonensis CC grossos — Prov. Francie CCC gr. — Prov. Apulye CC gr. — Prov. Thuscie CL gr. — Prov. Lombardie CC gr. — Prov. Provincie CL gr. — Prov. Yspanie CC gr. — Prov. Aquitanie CCL gr. — **(2 c)** Prov. Alemanie CCL gr. — Prov. Anglie CCL gr. — Prov. Ybernie CL gr. Prov. Scocie CL gr. Item placuit diffinitoribus ut fr. Johanni.

Hec sunt expense facte ratione privilegii Super cathedra: Anglia XV florenos propter bulam. — Aquitania V flor. propter bulam — Lumbardia XV flor. propter bulam — Tuscia V flor. propter bulam — Francia V flor. propter bulam — Yspania XV flor. propter bulam — Terra Sancta V flor. propter bulam — Sicilia X flor. cum bulla — Apulia X flor. cum bulla — Scocia III flor. cum bulla — Ybernia III flor. cum bulla — De istis florenis provincie Alemanie XXXVII florenos — Et provincie Narbonensi XIIII flor. — Et remanent XXX floreni impendendi in priorem generalem.

De taxacione communi ordinis debet solvere magister ordinis que secuntur: — Primo sibi ipsi pro vestiario suo et sociorum suorum CCCCC grossos — Item magistro Parisiensi CC gr. — Item magistro curie romane CCCC grossos, CC pro suo venire et CC pro aliis negociis faciendis — Item secundo lectori LX grossos — Item legenti naturalia XL — Item procuratori fratri ordinis CC — Item procuratori seculari LXXX — Item janitoribus domini pape L — Item censibus Domus Parisius nongentos — Item legenti Parisius bibliam C — Item pro vectura librorum prioris generalis ad curiam LX turonenses — Item janitoribus domini pape LXX turonenses grossos — Item fuit redditum computum de omnibus receptis pro communibus ordinis debitis antiquis loco Parisius et pro privilegiis per reverendum priorem generalem fratrem Johem acceptum atque approbatum; quod quidem computum receptorum ascendebat in universo CCLXXXIX librarum Paris. et XI sold. IIII denar. Et inventum est quod predictus prior generalis exposuerat predictam summam pecunie bene et commode pro ordine. Et ultra hec LXXXXI grossos qui sibi debentur de communitate ordinis satisfactis debitoribus de tempore predicto usque ad presentem diem.

2 d Hec est diffinitio capituli generalis Valencian. in festo pentecostes anno d.ni MCCCXXX ubi fuit electus in priorem generalem fr. Petrus de Casis per resignationem fratris Johis de Alerio celebrati (1).

Hec est taxacio pro communibus ordinis in eodemca pitulo ordinata.

Provincia terre sancte in CC grossos — Cicilie CC — Narbone CC — Francie CCC — Apulee CC — Tuscie CL — Provincie provincie C — Aragonie CC — Aquitanie CCL — Anglie CCL — Alamanie CCL — Ybernie CL — Scocie CL.

De ista taxacione tenetur prior generalis solvere annuatim primo pro vestiario suo et sociorum et famulorum CCCCC grossos — Item magistro regenti Parisius CC gr. — Item magistro curie romane pro vestiario suo CC. gr. — Item pro secundo lectore curie romane LX gr. — Item pro legenti philosophiam ibidem XL gr. — Item procuratori ordinis fratri CC gr. — Item procuratori ordinis seculari LXXX gr. — Item janitoribus domini pape L gr. — Item pro sensibus (2) Paris. Mille gr. — Item legenti bibliam Parisius C gr. — Item magistro Joanni de Alerio pro vestiario suo CC g. — Item in anno quo supra (dicta) provincia terre sancte debebat ordini V florenos pro privilegii (s) preter bullam — Item debet provincia Aquitanie V florenos pro privilegiis — Item Ybernia CXXX grossos pro communibus ordinis sed applicati sunt procuratori ordinis, applicantur et eos debet recipere pro expensis suis veniendo ad capitulum generale — Item Cicilia CL pro commu-

(1) Die 27 Maji celebrati. Acta istius capituli habes in Monumentis, 118. Post vocem : « qui nunc valent (solum) XII parvos Turonenses » codex Barcinonensis addit :

« Item ordinamus quod fratres Parisius existentes cujuscumque gradus vel condicionis existant qui sunt de aliis provinciis a provincia Francie non possint eligi sed solum eligere possint in socium prioris ituri ad capitulum provinciale, nec provincialis ituri ad capitulum generale. Sed in provinciis suis possunt eligi. Ordinamus quod Franciae provincie, Anglie, Scotie, Ybernie mittant priori Parisiensi taxacionem pro censibus et ipse possit eis precipere quod mittant sibi tempore opportuno. »

(2] I. e. pro censibus. Conventus Parisiensis novus comparatus fuit per ordinem qui se obligavit pro censu ad interesse.

nibus ordinis quos recepit frater Matfredus (1) pro taxacione sua — Item frater P. Paliamedes XL grossos quos retinuit de communibus ordinis pro taxacione sua — Item Apulea CCXIII gr. tam pro bulla quam pro communibus ordinis — Item recepit prior generalis s (cilicet) fr. Petrus de Casis de provincia Scocie XI florenos pro communibus ordinis de quibus habet reddere computum — Item reverendus frater Joh. de Alerio reddidit computum de omnibus que receperat citra capitulum generale Albie celebratum, et inventum est quod quicquid receperat totum exposuerat seu exposuit in presenti tam pro necessitatibus ordinis quam expensis eundo ad conventum suum ubi est iturus.

Prior provincialis terre sancte B. de Grassa — Cicilie fr. Matfredus — Anglie magr. Johes de Bacone — Narbone fr. Hugo de Verneto — Tuscie fr. Andreae de Plathea (2) Francie fr. Nicolaus de Valleregia — Alamanie magr. Sibertus — Lumbardie fr. P. de Janua — Aquitanie fr. P. de Bello (mon) te — Aragonie fr. Garcias — Ybernie fr. Guill.s Huloti – Apulee fr. Alexander de Prato — Provincia provincie fr. Joh. Maceleti — Scocie fr. Michael de briuco — Procurator ordinis fr. Rodulfus — Prior Parisius fr. Mathias — Prior curie romane fr. P. de Becro (3).

(3[a]) Noverint universi quod hec sunt ordinata in capitulo Nemausi in festo pentecostes Nemausi celebrati anno domini MCCCXXXIII. (4) Primo provincialis terre sancte magr. Petrus

---

(1) Manfredus de Micheleto.

(2) I. e. Andreas Civius Bonazza.

(3) Idemne quem Balaeus Petrum de Bereto nominat, Lemovicensem, alibi tamen conventus Lunellensis qui Tholosae floruit ubiplurima bona fecit; hunc Clemens VI pro sua confessione tenuit et tandem episcopum Vasionensem instituit ? » Secundum Eubel Petrus de Bessio (Bereste) Or. Carmel. poenit. apost. nominatus fuit ep. Grassensis 10 Dec. 1343, et 14 Aug. 1348 ep. Vasionensis; obiit 21 Oc. 1355.

(4) Acta hujus capituli quod 23 Maji apud Nimes celebratum fuit habes in Monumentis, 120. Bullam indictionis ex Reg. Vaticano 117. fol 113 in Bullario, I, 561.

Pollagii — Cicilie fr. Matfredus — Anglie magr· Johes de Bachone — Narbone fr. Hugo de Falgaretis — Rome fr. Lucas — Francie fr. Mathias — Alamanie fr. Johes de Sublobiis — Lumbardie fr. Jacobus de Alexandria — Aquitanie fr. Jacobus Dalzo — Arragonie fr. Berengarius de Valle Cenerosa — Ybernie fr. Guillelmus — Apulee fr. Albertus de Parma — Provincia provincie fr. Johes Macelleti — Scocie fr. Michael — Tuscie fr. Rodulfus (1) — Bononie fr. Palamides — Prior Parisius fr. Henricus de Aquila (2) — Prior curie romane fr. Petrus de Becro — De procuratore ordinis commissum est magistro ordinis. (3).

Hec est taxacio in eodem capitulo ordinata :

Provincia terre sancte CC grossos — Cicilie CC — Anglie (omissum) — Narbone CCL — Rome CC — Francie C — Alamanie CCXL — Lumbardie CCL — Aquitanie CXX — Aragonie CCL — Ybernie CC — Apulee CL — Provincia provincie CLX — Scocie C — Tuscie CL — Bononie CXX grossos — CL grossos (4).

Summa duo milia et nongenti grossi et XL grossi.

De predicta taxacione tenetur prior generalis solvere sibi annuatim pro suo vestiario, suorum sociorum et famulorum sexcentos grossos.

Item magistro regenti Parisius CC grossos — Item magistro curie romane CC — Item secundo lectori curie LX — Item legenti philosophiam ibidem XL — Item procuratori ordinis fratri CC — Item procuratori seculari LXXX — Item janitoribus domini pape L — Item pro censibus conventus parisiensis MXL — Item legenti bibliam Parisius C — Item magistro Johi de Alerio pro vestiario suo CC.

---

(1) Ex Necrologio: « 31 Jan. Rodulfus Vannis bone memorie sac. et lector. Vir venerabilis et fuit provincialis annis decem et obiit in Avinione socius prioris generalis et penitentiarius dni pape noviter factus in sua infirmitate. 1347 ».

(2) Monumenta 384.

(3) Nominatus fuit per Summum Pontificem Iohannes Gilberti, Bullar. I, 563.

(4) Sic infra lineam ; scriba videtur errasse de linea a provincia Angliae usque in finem.

Noverint universi quod hec sunt acta et ordinata in capitulo generali Bruxellis celebrato anno dni MCCCXXXVI in festo Pentecostes (1).

In primis pro communibus ordinis infrascriptam taxacionem posuimus.

Primo provincia terre sancte solvet annuatim CC grossos — Cicilie CC — Anglie CCLXXXV — Narbone CLX — Vicariatus Perpiniani LX — Rome CCLX — Francie CCCXX — Alamanie CCLXX — Lumbardie CXX — Aquitanie CLXX — Vicariatus tolosanus C — (3-b) Arragonie CC — Ybernie CL — Provincia provincie C — Scocie CXV grossos — Bononie CL grossos.

Summa totius duo milia nongenti et octuaginta grossos.

Ordinatio provincialium. — Provincialem terre sancte fratrem Albertum de Parma — Anglie fratrem Johem de Pesteyden (2) — Narbone fratrem Hugonem de Falgaretis — Rome fr. Alexandrum de Prato — Francie fr. Matheum de Paris. (3) — Alamanie fr. Johem de Sublobiis — Lumbardie fr. Jacobum de Alexandria — Aquitanie fr. Helyam Sequini — Arragonie fr. Berengarium de Valle cenerosa — Provincie provincie fr. Stephanum Garnerii — Ybernie fr. Thomas Wareti — Scocie fr. Gilbertum de Maxwella — Thuscie fr. Petrum Lapi (4) — Bononie fr. Palamedem — Priorem Paris. fr. Johem — Priorem curie romane fr. Petrum Raimundi (5).

De debito autem ordinis facto ultra recepta solvere debet prior terre sancte CVIII grossos — Sicilia CVIII — Narbona LXXXVII — Vicariatus Perpiniani XXXIII — Romana CXL — Francia CLXXIII — Alamania CLVI — Lumbardia LXV

(1) Acta multum prolixa hujus capituli quod 19 Maji Bruxellis celebratum fuit habentur in Monumentis, 124-138. P. 125, l. 25 legit Cod. Barcinonensis « phisicam » loco « philosophiam ». Alias alium ordinem decretorum sequitur.

(2) Polestede.

(3) Videtur idem qui antea Mathias vocabatur.

(4) « Petrus Lapi sac. et confessor famosus obiit in conventu Silvarum, fuit provincialis duobus annis et in tertio resignavit officio provincialatus. 26 Maji 1348 ». Ita Necrol. florentinum.

(5) Monumenta 252, 385.

— Aquitania XC — Vicariatus Tholose LIIII — Aragonia CXVIII — Ybernia LXXXI — Provincia provincie LIIII — Scocia LXII — Thuscia LXV — Bononia LXXXI — Summa mille sexcenti et IX grossi.

Est autem notandum quod magister generalis coram diffinitoribus predicti capituli reddidit computum de tribus annis preteritis tam de receptis quam de expensis et adequatis omnibus remanet ordo obligatus eidem in mille sexcentis et octo grossis qui divisi sunt inter provincias ad solvendum predicto magistro ut superius est expressum.

Ad legendum Parisius pro primo anno ordinamus fratrem Petrum de Florentia (1).

Pro 2ndo anno fratrem Petrum Remundi de Cailla — Pro 3tio fratrem Henricum de Dollendorp (2) — Pro 4to fratrem Johannem de Chimineto (3) — Pro 5to fratrem Johannem de Cico.

Noverint universi quorum interest quod hec sunt acta et determinata in capitulo nostro generali Lemovicis in festo Pentecostes celebrato anno domini MCCCXXXVIIII (4).

Imprimis pro communibus ordinis infrascriptam taxacionem posuimus :

Primo provincia terre sancte solvet annuatim CC grossos — Cicilie CC — Anglie CCLXXXV — Narbone CLX — Vicariatus Perpiniani et Majoricarum LX — Rome CCLX — Francie CCCXX — Alemanie CCLXX — Lumbardie CXX — Aquitanie CLXX — Vicariatus tholosanus CXX — (**3**-c) Aragonie CC — Ybernie CL — Provincia provincie C — Scocie CXV — Thuscie CXX — Bononie CL — Summa duo millia nongenti LXXX grossi.

---

(1) Videtur hic fuisse Petrus magistri Bonaventurae de quo necrologium Florentinum « sacerdos et magister parisiensis, obiit Neapoli provincialis romane provincie » 26 Julii 1346, unde solvitur quae dicta sunt Monum. 386.

(2) Monum 387.

(3) Ibid. 425.

(4) Acta hujus capituli die 16 Maji celebrati habes in Monum. p. 138.

Ordinacio provincialium :

Primo provincialem terre sancte fratrem Albertum de Parma — Cicilie frem Manfredum de Micheleto — Anglie fr. Joh. Polesteyte — Narbone fr. Hugonem de Verneto — Rome fr. Alexandrum de Prato — Francie fr. Matheum de Parisiis — Alamanie fr. Joh. de Sublobiis — Lumbardie fr. Jacobum de Alexandria — Aquitanie fr. Helyam Seguini — Aragonie fr. Berengarium de Valle cenerosa — Ybernie fr. Joh. de Goldston (1) — Provincie provincie fratrem Stephanum Guarnerii — Ordinacio sive institucio provincialis Scocie committitur Priori generali vel vicario quem substituerit — Tuscie fratrem Radulfum de Florentia — Bononic fr. Palamidem de Bononia — Priorem curie romane fr. Arnaldum Amati — Priorem Parisius fratrem Johannem de Veneta (2) — Procuratorem ordinis fratrem Rodulfum Kelly.

De debito autem ordinis facto ultra recepta a capitulo bruxellensi usque ad presens solvere debent: Primo provincia terre sancte XVI grossos — Cicilie XVI — Anglie XXX — Narbone XXX — Vicariatus Perpiniani et Majoricarum XII — Rome XVI — Francie XXX — Alemanie XXX — Lumbardie XVI — Aquitanie XIV — Vicariatus Tholosanus XX — Aragonie XVI — Ybernie XVI — Provincia provincie XVI — Scocie nichil — Thuscie XVI — Bononie XVI.

Summa CCC.ti et X. Est autem sciendum quod magister generalis coram diffinitoribus predicti capituli reddidit computum legitimum de tribus annis a capitulo bruxellensi tam de receptis quam de expositis et defalcatis hinc inde receptis et expositis remansit ordo predicto magistro debens summam superius expressam CCC.tos et X grossos.

Ordinaverunt ad legendum sententias Parisius pro primo anno fratrum Petrum Mamerii (3). Pro 2do anno fr. Joh. de

---

(1) Monumenta, 397.

(2) Seu de Vineta. Ibid. 388. « Scripsit inter alia Vitam trium Mariarum, et de Divinis officiis ». (Balaeus). Idem auctor eum aliis locis Picardum, aliis vero Britonem patria nominat.

(3) Idem est ac Petrus Maymeti, Monum. 287.

Veneta. Pro 3 fr. de Mosterolo (1). Pro 4 fr. Wm Durandi (2). Pro 5 fr. Vitalem de Artigola (3). Pro 6 fr. Bernardum de Petra. Pro primo deficiente ordinaverunt fratrem Bernardum de Petra. Pro 2do deficiente fratrem Joh. Bellini (4) vel primum vel sextum ubi frater Bernardus deficeret. Pro 3 deficiente si fr. Bernardus deficeret fratrem Paulum de Perusio (5). De biblicis ordinandis commiserunt priori generali et dederunt ei potestatem ordinationem bachallaureorum predictorum mutandi et quantum ad locum et personas si sibi visum fuerit expedire.

(**3**-d) Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis in festo penthecostes Lugduni celebrati anno domini MCCCXLII (6) Imprimis pro communibus ordinis infra scriptam taxacionem posuimus. Primo provincia terre sancte solvet annuatim CC grossos — Cicilie CC — Anglie CCLXXXV — Narbone CLX — Rome CCLX — Francie CCCXX — Alamanie CCLXX — Lumbardie CXX — Aquitanie CLXX Aragonie CL — Ybernie CL — Provincia provincie C — Scocie CXV — Tuscie CXX — Bononie CL — Tolose C — Majoricarum CX.

De debito antefacto in ordine ultra recepta in capitulo Lemovicarum usque ad presens tempus debent solvere: Primo provincia terre sancte LX grossos — Cicilie LX — Anglie LXXXX — Narbone LX — Rome LXX — Francie LXXXX — Alamanie LXXX — Lumbardie XXX — Aquitanie L — Aragonie XL – Ybernie XL — Provincia provincie XXV — Scocie XXX — Thuscie XXX — Bononie XL — Tolose XXX — Majoricarum XL.

Ordinacio provincialium. Primo provincialem terre sancte

(1) Videtur error scribae pro Robertum de Monsterolo, Monum. 386.

(2) Circa Guillelmum Durandi cf. Monum. 383.

(3) Monum. 389.

(4) Ibid. 389.

(5) Monum. 396.

(6) Alia manu in marg. additur : « Petrus Raymundi p. G. » Acta hujus capituli habentur in Monum. 140. In nota 2 loco Pierlatte (Drome) lege Peralada (Catalaunia). Celebratum fuit 19 Maji.

frem Nicholaum Limolo (1). Cicilie fr. Paganum de Liparo. Anglie fr. Joh. Folsam (2). Narbone fr. Petrum Durandi (3). Rome fr. Alexandrum de Prato. Alamanie fr. Joh. de Sublobiis. Lumbardie fr. Jacobum de Alexandria (4). Aquitanie fr. Helyam de Messana. Aragonie fr. Berengarium de Valle cenerosa. Ybernie fr. Thomam de Luda (5). Francie fr. Joh. de Veneta. Scocie eundem qui fuit. Thuscie fr. Rodulfum de Florentia. Provincie provincie fr. Stephanum Garnerii. Bononie fr. Palamitem de Bononia. Tholose fr. Raymundum Germani (6). Majoricarum fr. Bernardum de Fonte (7) Priorem curie fr. Arnaldum Amati. Pr. Parisiensem fr. Vitalem de Artigola. Procuratorem ordinis fr. Rodulfum Kelly.

Ordinacio ad legendum sententias Parisius. Pro primo anno fr. Petrum de Lupersiaco (8). Pro secundo anno fr. Vitalem de Artigola. Pro tertio anno fr. Paulum de Perusio. Pro quarto anno fr. Joh. Bellini. Pro quinto anno fr. Bernardum Gayrani. Pro sexto anno fr. Berengarium de Valle cenerosa. (4-a) Pro septimo anno fr. Franciscum de Ferraria.

Ordinacio ad legendam bibliam Parisius: Pro primo anno fr. Berengarium de Valle cinerosa. Pro secundo anno fr. Petrum de Turribus (9). Pro tertio anno fr. Bernardum Gayrani. Pro quarto anno fr. Franciscum de Ferraria. Pro quinto anno fr. Bernardum de Petra. Pro sexto anno fr. Gabrielem de Parma. Pro septimo

---

(1) Sic, seu Simosy.

(2) Joh. Folsham, Norvicensis, magister Cantabrigius, electus in capitulo Northamptoniae 1342, dicitur tali discretione spirituum praeditus fuisse ut statum animae cujusvis hominis e visu cognosceret. Sepultus Norvici 18 April 1348. (Balaeus).

(3) Monum. 383 nota.

(4) Primo scripserat Alexandrum quod deinde in Iacobum mutavit.

(5) Louth.

(6) Dicitur postea episcopus evasisse sed non liquet cujus sedis. « Dedit conventui (tolosano) baculum pastolarem, mitram, sandalia et cetera ornamenta episcopalia ». Ita Balaeus.

(7) Nominatur 7 Nov. 1351 primus episcopus in insulis fortunatis (Canariensibus); transfertur 27 Junii 1354 ad S. Justam in Sardinia. Obiit anno sequenti. Röm. Quartalschrift, VI, 257.

(8) Monum. 387.

(9) Monum. 390.

anno fr. Petrum Rivi. (1) Pro octavo anno fr. Bernardum Pocelli. Pro nono anno fr. Mathyam Spore (2). Pro decimo anno fr. Johannem de Bononia.

Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis Mediolani in festo Pentecostes celebrati anno domini MCCCXLV. (3)

In primis pro negociis communibus ordinis infrascriptam taxacionem posuimus: Primo provincia terre sancte solvet annuatim XX. Cicilie XX. flor. Anglie XXX. Narbone XVIII. Rome XXV. Francie XXXV. Alamanie XXVI (4). Lumbardie XV. Aquitanie XX. Yspanie XVI. Ybernie XV. Prov. Provincie XII. Scocie XII. Thuscie XV. Bononie XX. Tholose XII. Majoricarum XII. — De qua taxacione debent primo solvi priori generali pro se, sociis suis et famulis LX flor. Item magistro regenti parisius XV (5). Item biblico VIII. Item de provincia Anglie conventui Parisius pro censibus XXX. Item pro provincia Romana pro censibus conventui predicto XV. Item pro provincia Francie pro censibus &c XXX. Item pro provincia Scocie pro censibus &c XII. Item pro provincia Ybernie pro censibus &c XV. Item magistro regenti in curia romana XV. Item secundo lectori V. Item legenti philosophiam III. Item procuratori ordinis fratri XV. Item procuratori seculari VI. Item advocato generali ordinis in concistorio XX. Item janitoribus domini pape prime custodie II. Item janitoribus secunde custodie IIII.

Ordinacio provincialium. In primis ordinamus in priorem provincialem terre sancte fr. Johannem de Vigintimiliis. Cicilie fr. Michaelem de Messana. Anglie fr. Joh. Folsan. Narbone fr. Petrum Durandi. Rome magistrum Petrum de Florentia (6). Francie fr. Joh. de Vineta. Alamanie fr. Joh. de Sublobiis.

---

(1) Monum. 396.

(2) Monum. 383.

(3) Celebratum 15 Maji. Acta autem quae revisioni partiali constitutionum aequivalent habentur in Monumentis, 145-163.

(4) Capitulum ordinavit quod taxationes ordinis fiant in florenis cum grossi minime reperiantur et eorum pretium sit incertum.

(5) Scripserat primo VIII quod deinde in XV mutavit.

(6) Petrum magistri Bonaventurae.

Lumbardie fr. Jacobum de Alexandria. Aquitanie fr. Helyam Seguini, Yspanie Bartholomaeum Olerii. Ybernie fr. Thomam de Lude. Prov. Provincie fr. Stephanum Garnerii. Scocie fr. Giull.um Bonusi (1). Bononie fr. Thomam de Medicis (2). Tholose fr. Raymundum Germani. Majoricarum fr. Bernardum de Fonte. Procuratorum ordinis fr. Petrum Thome (3). Priorem curie romane fr. Arnaldum Amati. (**4**-b) Priorem in conventu Paris. fr. Vitalem de Artigola. Procuratorem ordinis fr. Petrum Thomae.

Ordinacio ad legendum Sententias Parisius : Pro 1.mo anno fr. Joh. Bellini — 2.do an. fr. Gill. de Sainhaco. (4) — 3.tio an. fr. Petrum de Turribus — 4.to an. fr. Gabrielem (de Parma) — 5.to an. fr. Deodatum, (5) — 6.to an. fr. Katerinum (6) — 7.mo an. fr. Petrum Rivi — 8.vo an. fr. Petrum Gonbaudi — 9.no an. fr. Bellinum.

Ordinacio ad legendum Bibliam Parisius. Pro 1.mo anno fr. Petrum Gonbaudi — 2.do an. fr. Petrum Rivi — 3.tio an. fr. Deodatum — 4.to an. fr. Katerinum — 5.to an. fr. Bellinum — 6.to an. fr. P. de Montedracone — 7.mo an. fr. Andream de Florentia (7) — 8.vo an. fr. Jacobum Martini.

Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis Metensis in festo Pentecostes celebrati anno do.ni MCCCXLVIII (8).

Imprimis pro negociis communibus ordinis infrascriptam taxacionem posuimus: Primo provincia terre sancte solvet annuatim XX florenos. Cicilie XX. Anglie XXX. Narbone XVIII.

---

(1) Alias Buys et Bucci; quid vero nomen e jus verum fuerit nescio.

(2) Videtur fuisse Thomas de Padua qui deinde una cum S. Petro Thoma in institutione theologicae facultatis Bononiae inter primos octo lectores recensetur. Monum. 391.

(3) Monumenta, 390.

(4) Gulielmus de Saminihaco, Monum. 399.

(5) De Barrerie, vel Bareyne, Monum, 391.

(6) Katerinus de Veneciis.

(7) Bonazza. p. 24.

(8) 8 Junii. Acta sunt in Monumentis, 164.

Rome XXV. Francie XXXV. Alamanie inferioris XVI. Lumbardie XV. Aquitanie XX. Aragonie XVI. Ybernie XV. Provincia provincie XII. Scocie XII. Thuscie XV. Bononie XX. Tolose XII. Majoricarum XII. Alamanie inferioris (1) XII.

De qua taxacione debent primo solvi priori generali pro se, sociis suis et famulis LX flor. Item magistro regenti Parisius XV. Item biblico VIII. Item de provincia Anglie conventui Paris. pro censibus XXX. Item de provincia romana pro censibus conventui predicto XV. Item de provincia Francie pro censibus conventui predicto XXX. Item de provincia Scocie pro censibus conventui predicto XII. Item pro provincia Ybernie pro censibus conventui predicto XV. Item magistro regenti in curia romana XV. Item secundo lectori V. Item legenti philosophiam III. Item procuratori ordinis fratri XV. Item procuratori seculari VI. Item advocato generali in concistorio domini pape XX flor. Item janitoribus domini pape prime et secunde custodie VI flor. Quorum prime custodie janitores habebunt II flor. Et janitores secunde habebunt III flor.

Ordinacio provincialium: Imprimis ordinamus iu priorem provincialem terre sancte fratrem Johannem de Vigintimillis. Cicilie fratrem Leonem de Cicilia. (2), Anglie fratrem Gualterum Kello, (3). Narbone fratrem P. Durandi. Rome fr. Martinum de Senis. Francie fr. Joh de Veneta. Alamanie inferioris fr. Nicholaum de Trocinio. (**4**-c) Lumbardie fr. Laurentium de Cremona. Aquitanie fr. Helyam Seguini. Aragonie fr. Bartholomaeum Olerii. Ybernie fr. Thoman de Luda. Provincie provincie fr. Ray-

---

(1) Sic, pro Superiori.

(2) Leo de Sacco vel de Sacca.

(3) Walterus Kellaw, Eboracensis, Carmelitis adhuc imberbis adhaesit, virtute et doctrina conspicuus, magister Oxoniensis, Confessor domini Neville et uxoris ejus dominae Aloisiae, provincialatum ad quem in capitulo Nottinghamensi anni 1348 evectus fuerat egregie gessit. Resignavit officio anno 1353, sed ob infirmitatem successoris, Guil. Lubbenham, anno sequenti iterum electus uit in capitulo Maldonensi. Obiit anno 1367 mense Augusto et in conventu Northallertonensi quem reaedificaverat sepultus est. E Balaeo.

mundum Bodi. (1) Scocie fr. G.m Buys. Tuscie fr. Andream. (2) Bononie fr. Franciscum de Ferraria. Tholose R.m Germani. Maioricarum fr. Jacobum Lacosta. Alamanie superioris Colradum Necunbwt (3).

Ordinacio ad legendum Sententias Parisius. Ordinamus pro primo anno fr. Petrum de Turribus. — secundo fr. Gabrielem de Parma — tertio fr. Deodatum de Barrerie — quarto fratrem (4) — quinto fr. Katerinum de Veneciis — sexto fr. Jacobum Lacode (5) — septimo fr. Johannem Cahun — octavo fr. Johannem Arquerii. — Ordinacio ad legendum bibliam Parisius. Ordinamus pro primo anno fr. Thomam de Padua. (6) — Pro secundo fr. Johannem Chaum (7) — Pro tertio fr. Joh. de Regno (8) — quarto fr. P. de Montedrachone — quinto fr. Joh. Arquerii — sexto fr. Zenobium de Soderinis (9) — Ordinamus in priorem curie romane fratrem Ar.m Amati. — Procuratorem ordinis fr. Jacobum Martini. — Priorem conventus Parisius fr. Nicholaum de Novis domibus.

---

(1) Raymundus Boneti, deinde episcopus, qui, sicut Petrus Arquerii similiter episcopus, uterque de conventu tolosano, dedit conventui sua pontificalia cum aliis multis, » et sunt adhuc in conventu tria pontificalia, quatuor mitrae, plures baculi, annuli pastorales, sandalia, socularia, chirothecae, paramenta et cathedra episcopalis et alia pertinentia ad officium episcopi » Ex Balaeo. Est probabiliter idem ac Bodi.

(2) S. Andreas Corsini.

(3) Conradus de Neuburg qui provinciam rexit 12 annis et est sepultus in choro conventus Nurnbergensis ante summum altare.

(4) Nomen non exprimitur.

(5) Idem ac Lacosta de quo superius.

(6) Vide supra P. 39.

(7) Idem ac Johannes Cahun.

(8) Monumenta 391.

(9) Zanobi d' Albizzo Soderini priorem egit Florentiae anno 1348. Eodem anno S. Andreas de Corsinis testificatur se habuisse a fratre Zenobio de Soderinis florenum unum.

Nominatur capellanus honoris 19 Iunii 1366 (anno IV urbani V). Reg. Avin. 198, 442-b, Avin. 238, fol. 243-b.

Zenobius de Soderinis provincialis Thusciae absolvitur a Joh. Balistario generali ab omnibus infamationibus coram cardinalibus quia

Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis in festo Pentecostes Tolose celebrati anno domini MCCCLI (1).

Imprimis pro negotiis communibus ordinis exequendis taxacionem posuimus infrascriptam: Primo provincia terre sancte solvet annuatim XX flor. Cicilie XX flor. Anglie XXX. Narbone XVIII. Rome XXV. Francie XXXV. Alamanie inferioris XVI. Lumbardie XV Aquitanie XX. Aragonie XVI. Ybernie XV. Provincia provincie XII. Thuscie XV. Scocie XII. Bononie XX. Tholose XII. Majoricarum XIV. Alamanie superioris XII.

De qua taxacione debent primo solvi priori generali pro se, sociis suis et famulis LX flor. Item magistro Parisius XV. Item biblico VIII. Item de provincia Anglie conventui Parisius pro censibus XXX. Item pro provincia Francie pro censibus conventui predicto XXX. Item pro provincia Romana pro censibus conventui predicto XV. Item pro provincia Scocie pro censibus conventui predicto XII. Item pro provincia Ybernie pro censibus conventui predicto XV. Item magistro regenti in curia romana XV. Item secundo lectori V. Item legenti philosophiam III. Item procuratori ordinis fratri XV. Item procuratori seculari VI. Item advocato ordinis in concistorio domini pape XX. (**4**-d) Item janitoribus domini pape prime custodie II flor. Item janitoribus secunde custodie IIII.

Ordinacio priorum provincialium. — Primo ordinamus in priorem provincialem terre sancte fr. Joh. de Vigintimilliis. — Cicilie fratrem Leonem de Sacco. — Anglie fr. Valterum Kello. — Narbone fr. Deodatum Barrarie. — Rome fr. Petrum Andree. — Francie fr. Joh. de Veneta. — Alamanie inferioris fratrem Henricum de Dollendrop (2) — Lumbardie fratrem Laurentium de

---

fuerunt injustae et probari nequiverunt et ipse Zenobius sese purgavit, eumque rehabilitat ita ut possit promoveri ad episcopatum. Datum Avinione 12 Oct. 1358 et Florentiae 1 Febr. 1358-9. Cumque istae litterae forsan ad cognitionem eorum quibus interfuerat non pervenerunt Balistarius eas iterum confirmat

(1) Acta hujus capituli celebrati 5 Junii habentur in Monum. 16.

(2) Dollendorp, vide supra P. 34.

Cremona. — Aquitanie fr. Bernardum de Petra. — Aragonie fr. Dydacum. — Ybernie fr. Thomam de Luda. — Provincie provincie fr. Petrum de Turribus. — Scocie fr. Gull.m Buys. — Tuscie fr. Zenobium Tingni (1) — Bononie fr. Franciscum de Ferraria. — Tolose fr. Raymundum Germani. — Majoricarum fr. Jacobum Lecoste. — Alemanie superioris fr. Colradum de Necunbrot.

Ordinacio et legendum Sententias Parisius. Pro primo anno ordinamus Tilmanum de Aquis (2), secundo Berengarium Monachi (3), tertio Ioh. Balisterii (4), quarto Marcum de Florentia (5), quinto Raymundum de Planis, sexto Joh. de Lancerio, septimo Jacobum de Barilio, octavo Laurentium de Venalodi (6), nono Jo. Goleyn (7), decimo Jo. de Parisius. Ordinamus in procuratorem ordinis Arnaldum Trenka (8). Priorem curie romane Jo. Ricardi (9). Priorem Parisius frm. Jo. de sancto Leodeghario.

Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis Perpignani in festo Pentecostes celebrati anno domini MCCCLIIII (10).

---

(1) Zenobius Tinghi priorem egit Florentiae anno 1342. In Necrologio habetur sub die 2 Novembris: « Zenobius Tinghi lector, provincialis annis octo, obiit Florentiae 1369. »

(2) Seu de Alto Lapide, Aquensis patria, sed Coloniensis professione. Vide Monumenta, 392.

(3) Monumenta, 392.

(4) Monum. 392.

(5) Monumenta, 393, 555. Necrologium notat ad 20 Sept. « Marchus Bartolini, venerabilis et excellens magister Parisius in s. theologia, boni consilii et in doctrina proficuus, obiit Florentiae 1383 ».

(6) Videtur idem qui deinde Veteralla nominatur.

(7) Monumenta 403.

(8) Monum. 311.

(9) Anno 1354 electus provincialis Narbonae, 1356 confirmatus, provinciam gubernavit usque 1362. Ita Ludovicus Jacob apud Norbertum a S. Juliana.

(10) Celebratum 1 Junii. Acta habentur in Monumentis, 171 ubi corrigas in nota: Petralata *Peralada*, Minorica: *Manresa*; Vallium *Valls* prope Taraconam: *Mora* est illa quae secundo loco ponitur.

Primo provincia terre sancte solvet annuatim XX flor. — Cicilie XX fl. — Anglie XXX — Narbone XVIII — Rome XXV — Francie XXXV — Alamanie inferioris XVI — Lumbardie XV — Aquitanie XX — Yspanie XII — Ybernie XV — Provincia provincie XII — Scocie XII — Thuscie XV — Bononie XX — Tolose XII — Catalonie XVI — Alamanie inferioris XII (1).

(**5**-a) De qua taxacione debentur primo solvi priori generali pro se, sociis suis et famulis LX flor. Item magistro regenti Parisius XV. Item biblico VIII. Item de toto ordine conventui Parisius pro censibus L. Item pro loco procuratoris in concistorio V. Item magistro regenti in curia romana XV. Item secundo lectori V. Item legenti philosophiam (2) III. Item procuratori ordinis fratri XV. Item procuratori seculari VI (3). Item advocato generali in concistorio domini pape XX. Item janitoribus prime custodie domini pape II. Item janitoribus domini pape secunde custodie IV. Item pro salario famulorum prioris generalis XII.

Ordinacio priorum provincialium. Imprimis ordinamus in priorem provincialem terre sancte fr. Io. de Vigintimillio. Cicilie fr. Leonem de Saca. Anglie fr. Walterum de Kello. Narbone fr. Jo. Ricardi. Rome fr. Laurentium de Veteralla. Francie fr. de Veneta. Alamanie inferioris Henricum de Dollendorp. Lumbardie fr. Laurentium de Cremona. Aquitanie fr. Bernardum Lancerii. Yspanie fr. Jo. de Castro. Ybernie fr. Robertum Sarles. Provincie provincie fr. Petrum de Turribus. Scocie fr. Guill. Bucci. Thuscie fr. Zenobium Tingni. Bononie fr. Franciscum de Ferraria. Tolose fr. Raymundum Germani. Catalonie fr. Iacobum Lecoste. Alamania superioris fr. Corradum de Noembrot.

Ordinacio ad legendum Sententias Parisius. Pro primo anno ordinamus fr. Jo. Balisterii. 2 do anno fr. Marchum de Florentia. 3 anno fr. Bernardum de Planis (4). 4 anno fr. Jo. Golem. 5 anno fr. Bernardum Lancerii. 6 anno fr. Jacobum de Medio-

---

(1) Sic pro: superioris.

(2) Phyam, quod potest legi vel philosophiam, vel physicam.

(3) Primo posuit X quod deinde correxit.

(4) Sic. pro Raymundum.

lano. 7 anno fr. Petrum Rivi loco sui fr. Jo. de Bolonia (1). 8 anno fr. Io. de Basacomatribus. 9 anno dominum (2) fratrem de Anglia. 10 anno fr. Godeschalcum de Grue (3).

Ordinacio ad legendum bibliam Parisius. Pro 1 anno fr. Marchum de Florentia. 2 anno fr. Raymundum de Planis. 3. fr. Jo Golem de vocacione fratris Bernardi Lancerii (4) 4. anno fr. Jacobum de Mediolano de vocacione sua fratrem de Trise (5). 5 fr. Sancinum de Venaleda. 6 fr. Jo de Pisis. 7 unum fratrem de Anglia ad vocacionem ejusdem provincie. 8 fr. Raymundum Molinerii. 9. fr. Godeschalcum. 10 fr. Jo. Matheum de Aglingoto.

Ordinamus in procuratorem ordinis fr. Arnaldum Trenka. Priorem curie romane f.rm Jo Caurizini. Conventus Parisius fr. Jo Golem. Computatis omnibus receptis et expensis tenetur ordo in hoc compoto priori generali in summa LX florenorum.

Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis in festo pentecostes Ferrarie celebrati anno domini MCCCLVII (6).

Imprimis pro negociis communibus ordinis exequendis infrascriptam taxacionem posuimus. Primo provincia terre sancte solvet annuatim XX flor. Cicilie XX flor. Anglie XXX. Narbone XX. Rome XXV. Francie XXXV. Alamanie inferioris XVI. Lumbardie XV. Aquitanie XX. Yspanie XII. Ybernie XV. Provincia provincie XII. Scocie XII. Thuscie XV. Bononie XX. Tolose XII. Cathalonie XVI. Alamanie superioris XII. De qua taxacione debentur primo solvi priori generali pro se, sociis suis et famulis ac vestiario LX. flor. Item magistro regenti Parisius XV. Item Biblico VIII. Item de toto ordine conventui Parisius pro censibus L. Item pro salario famulorum prioris generalis XII. Item pro loco procuratoris in concistorio V. Item magistro regenti in curia romana XV. Item secundo lectori V.

(1) Seu de Bononia.

(2) Sic. pro « unum ».

(3) Monumenta, 426. Godeschalcus de Craen.

(4) Id est Bernardus L. Lancierii cedens suo juri Johannem Golein loco sui deputavit.

(5) Monumenta, 376. Analecta Carmelitana, II, 257.

(6) Celebratum 28 Maji. Acta in Monumentis, 174.

Item legenti philosophiam III. Item procuratori fratri ordinis XV. Item procuratori seculari VI. Item advocato generali ordinis in concistorio domini pape XX. Item janitoribus prime custodie domini pape II. Item janitoribus secunde custodie domini pape IIII.

Ordinacio priorum provincialium.

Imprimis ordinamus in priorem provincialem terre sancte frm. Jo. de Vigintimillio — Cicilie frm. Henricum de Petralia — Anglie Walterum Kello — Narbone Jo. Ricardi — Rome Laurencium de Veterala — Francie Jo. de Veneta — Alamanie superioris (1) Henricum de Dolenorpo — Lumbardie frm Jacobum de Mediolano — Aquitanie Jo Vleti (2) — Yspanie Raym de Planis — Ybernie Robertum de Serlis — Provincie provincie fr. P. de Turribus — Scocie frm. Andream Sper. (3) — Tuscie Marcum de Florentia — Bononie Franciscum de Ferraria — Tholose Jo. Gilberti (4) — Cathalonie Jacobum Coste — Alamania superioris frm. Corradum de Neuber.

Ordinacio ad legendum Sententias Parisius.

Pro 1mo anno ordinamus frm. Jo Colem — 2. frm Petrum Rivi — 3. Petrum Rogerii — 4. Jo de Vitrunio — 5. Consaldum (5) — 6. Jacobum de Cremona — 7. Michaelem de Bononia (6) — 8. Ricardum de Turonone — 9. Bernardum Aureoli — 10. Franciscum Baconem (7) — 11. Bartholomeum de Lerreda (8) — 12. Erasmum de Mediolano.

Ordinacio ad legendum bibliam Parisius.

Pro 1mo anno ordinamus frm. Jo Trisse — 2. Sanxium de

---

(1) Sic pro Inferioris.

(2) « Johannes Ulheti ut fertur Hibernus » (quod haud verisimile videtur) « in philosophicis commentariis, in s. theologia et in utroque jure peritissimus ». Ita Balaeus.

(3) Forse idem qui deinceps Adam vocatur.

(4) Doctor, provincialis Tolosae; obiit tandem XVIII Kal. Jul. (non dicit quo anno) in conventu Castri novi de Arrio. Balaeus.

(5) Lege Godeschalcum Craen seu de Grue.

(6) De Anguanis. Monumenta 408. Magisterium adeptus est anno 1364. Dictionarium suum habetur in bibliotheca universitatis Bononiensis.

(7) Monumenta, 405.

(8) De Lerida.

Velaneda — 3. Jo de Verduno — 4. Gonzaldum de Grue — 5. Raymundum — 6. Michaelem de Bononia — 7. Bertrandum de Turone — 8. Bernardum Aureoli — 9. Franciscum Bacone — 10. Bartholomeum de Layreda — 11. Erasmum de Mediolano — 12. Jacobum Vulps.

Ordinamus in procuratorem ordinis fm. Arnaldum Trenka. Priorem curie romane fratrem Raymundum Bodi. Priorem Parisius frm. Thomam de Rothomago.

Noverint universi quorum interest quod hec est determinacio capituli generalis in festo Nativitatis beate Marie Burdegale celebrati anno dni MCCCLVIII (1).

Imprimis pro negociis communibus ordinis exequendis infrascriptam taxacionem posuimus :

Primo provincia terre sancte solvet annuatim XX flor. — Cicilie XV. — Anglie XXX. — Narbone XVIII. — Rome XV. — Francie XXXV. — Alamanie inferioris XVI. — Lumbardie XV. — Aquitanie XIII. — Yspanie XII. — Ybernie XV. — Provincia Provincie XII. — Scocie XII. — Thuscie XV. — Bononie XX. — Tholose XII. — Cathalonie XVI. — Alamanie Superioris XII. — Vasconie XVI.

De qua taxacione debent primo solvi magistro ordinis pro se, sociis suis et famulis ac vestiario LX flor. — Item magistro regenti Parisius XV. — Item biblico VIII. — Item de toto ordine conventui Parisius pro censibus L. — Item pro salario famulorum prioris generalis XII. — Item pro loco procuratoris in concistorio V. — Item magistro regenti in curia romana XV. — Item secundo lectori V. — Item legenti philosophiam III. — Item procuratori ordinis fratri XV. — Item procuratori seculari VII. — Item janitoribus domini pape prime custodie III. — Item janitoribus secunde custodie IIII. — Item advocato generali ordinis in concistorio domini pape XX.

Ordinatio priorum provincialium. Primo ordinamus in priorem provincialem terre sancte fr. Jo de Vintimiglio. Cicilie fr. Henricum de Petalia (2). Anglie fr. Jo Concone (3). Narbone fr. Jo

(1) 8 Sept. celebratum. Vide acta in Monumentis 177.

(2) Henricus de Petalia, idem qui supra de Petralia.

(3) Provincial. Angliae Johannes Concone, per errorem scribae. Johannes Cowton, eboracensis, Oxoniis laureatus, venerabilis, constans,

Richardi. Rome fr. Laurencium de Vetrala. Francie fr. Io de Veneta. Alamanie inferioris fr. Tilmannum, dictum altum lapidem. Lumbardie fr. Bartholomeum de Moedecia. Aquitanie fr. Guill. m de bello Monte. Yspanie fr. Raymundum de Planis. Ybernie fr. Robertum Serles. (5-d) Provincie Provincie fr. G. m Andree. Scocie fr. Adam Sper. Thuscie fr. Jo de Septimo (1). Bonomie fr. Franciscum de Ferraria. Tholose fr. Jo de Montesquerio. Cathalonie fr. Jacobum Coste. Alamanie Superioris fr. Corradum de Neuber (2).

Ordinatio ad legendum Sententias Parisius. Pro 1° anno ordinamus fr. Petrum Rivi. Pro 2° fr. Jacobum de Mediolano. Pro 3° fr. Jo de Corbolio. Pro 4° fr. Io Trisse. Pro 5° fr. Michaelem de Bonomia.

Ordinatio ad legendum Bibliam Parisius. Pro 1. anno ordinamus fr. Sancium (3) de Avelaneda. Pro 2. fr. Johannem de Hisdessem. (4) Pro 3. fr. Michaelem de Bononia. Pro 4. fr. Corradum

---

intrepidus. In capitulo Glocestrensi 1359 electus provincialis, cui officio 1362 renuntiavit. Anno 1360 (27 Junii) Rex prohibuit per litteras patentes ne Johannes de Couton, provincialis Carmelitarum infringeret libertates cancellarii Oxoniensis. Etenim praedictus cancellarius, Nicholaus de Aston, citaverat fratrem Joannem de Morton, Carmelitam ad respondendum super quasdam transgressiones paci et tranquillitati studentium contrarias, qui tamen nec comparuit nec impedivit machinantes contra executionem decreti, unde Rex confirmans privilegia universitatis prohibuit ne molestetur Dominus Cancellarius (Rymer, Foedera III, 501) Johannes Cowton obiit Londini, quo vero anno non satis constat.

(1) Provincialis Tusciae Johannes de Septimo. De eo Necrologium florentinum agit sub die 6 Nov. in hunc modum: Johannes Michaelis de Sectimo, sacerdos et lector, fuit provincialis XIII annis duobus vicibus, sepultus Florentiae anno 1389. In registro Florentino recensetur prior ad annum 1358, provincialis annis 1360, 1365, 1366, 1367, et post intervallum 1376 et 1379. De aliis annis non constat, saltem annis 1370 et 1372 Laurentius Vannis provincialem egit, et post annum 1382 Joh. Michaelis amplius non nominatur.

(2) i. e. Conradus de Newburg.

(3) Alias de Venaleda seu de Velaneda.

(4) Johannes de Hildesheim. Cf. Monum. 431 ubi corrigendum est, capitulum Burdigalense quo iste frater lector creatus fuit non esse illud anno 1318 celebratum, sed aliud anni 1358.

de Rockenburt (1). Item ordinamus in Procuratorem Ordinis fr. Arnaldum Trenka. Priorem curie romane fr. Raymundum Germani. Priorem Parisius fr. Jo de Corbolio.

Facto computo de expensis et receptis coram Diffinitoribus Capituli Generalis tenetur Communitas ordinis ad solvendum CXV flor. VII ss. cum dimidio.

(Hic plus quam media columna vacat).

(6-a) (2) Noverint universi quorum interest, quod in Conventu nostro Trevirensi in festo Pentecostes anno Domini MCCCLXII Nos fr. Johannes Prior Generalis Ordinis fratrum beate Marie de Monte Carmeli ac Diffinitores Capituli Generalis in predicto Capitulo congregati determinavimus, diffinivimus, ordinavimus et disposuimus de his quae pertinent ad regimen totius ordinis ac animarum salutem modo consueto et approbato. In quo quidem Capitulo fuit concorditer diffinitum, quod pro communibus Ordinis solvatur.

Primo Provincia terre sancte solvet annuatim XX flor. Item Provincia Sicilie XV. — Anglie XXX. — Narbone XX. — Romane XXV. — Francie XXXV. — Alamanie inferioris XVI. — Lumbardie XV. — Aquitanie XIII. — Hispanie XII. — Ybernie XV. — Provincie XII. — Scocie XII. — Tuscie XV. — Bononie XX. — Tholose XII. — Cathaionie XVI. — Alamanie superioris XII. — Vasconie XVI.

De qua taxacione debent primo solvi Magistro Generali pro sociis et famulis suis et vestiario *(numerus omittitur)*. Item Magistro regenti Parisius XV flor. Item Biblico ibidem legenti VIII. Item de toto Ordine conventui Parisius pro censibus L. Item pro salario famulorum Prioris Generalis XII. Item pro loco Pro-

(1) i. e. Conradus de Rotenburga, qui deinceps in capitulo Alemaniae superioris Dinkelspuehlae in festo Annuntiationis B. V. M. anno 1365 celebrato electus fuit in provincialem; rexit sex annis; sepultus est in conventu Rotenburgae.

(2) Deinceps mutatur manus et incipiunt acta authentica. Notentur variantes inter librum Ordinis et textum in Monumentis 179-188 editum.

curatoris in Consistorio V. Item Magistro regenti in curia romana XV. Item Bachallario ibidem legenti sub eo V. Item legenti Philosophiam naturalem III. Procuratori Generali Ordinis fratri nostro XV. Procuratori Generali Ordinis seculari in audientia Domini Pape VI. Advocato Generali Ordinis in Concistorio Domini Pape XX. Item janitoribus Domini Pape prime et secunde custodie VII, quorum prime custodie janitores habebunt III, et janitores secunde custodie habebunt IIII.

Sequitur ordinatio Priorum Provincialium. Imprimis ordinamus Priorem Provincialem terre sancte fr. Jo de Vigintimilia — Sicilie fr. Henricum de Petralia — Anglie magistrum Thomam Brom (1), — Narbone fr. Guilhm. Galati (2) — (Romane) fr. Zenobium de Soderinis — Francie Magistrum Jo de Aveneta (3) — Alemanie inferioris mag. Thilmanum de Aquis — (**6**-b.) Lumbardie fr. Bartholomeum de Moedecia — Aquitanie fr. Petrum Rogerii — Hispanie fr. Jo de Castro-Ybernie fr. Hugonem de Wyston — Provincie fr. Andream Thore — Scocie fr. Adam Sper — Thuscie fr. Jo de Septimo — Bononie fr. Francescinum (4) — Tholose fr. Jo Gilberti — Cathalonie fr. Jacobum Coste — Alemanie Superioris fr. Conradum de Nuenberg. — Vasconie fr. Philippum de Causato — Procuratorem Generalem Ordinis ordinamus fr. Jo Trisse. Socium Prioris Generalis ordinamus fr.

---

(1) Thomas Brome e villa Maldon in comitatu Essexiae oriundus, ordinatus fuit acolytus V Kal. April 1338 per episcopum Eliensem unde liquet eum illo tempore in conventu Cantabrigiae commorasse. XVII Kal. Maji 1353 obtinuit Jndulgentiam plenariam pro articulo mortis. Deinde Oxoniis studiis operam navavit habuitque anno 1358 disputationem pro inceptione magisterii. In capitulo Cantabrigiensi 1362 electus provincialis patrum sanctiones (ait Balaeus) et ritus perre collapsos instauravit; virginitatem coluit, magna devotione erga B. V., s. Johannem evangelistam et s. Eduardum regem praeditus, quorum imagines tum pictas tum vitreas in ecclesiis ordinis collocari curavit; dum visitaret conventus primo ecclesiam adiit, adornarique jussit. Obiit Londini anno 1380 in provecta aetate.

(2) Gwilh.mus Galati, alias Galaci.

(3) Johannes de Aveneta i. e. Veneta.

(4) i. e. Franciscus de Ferraria.

Bernardum Olerii (1). Item Priorem Conventus Curie *(nomen omissum est)*. Priorem Conventus Parisius ordinamus fr. Jacobum Balbi. Priorem Conventus Tholose ordinamus fr. Arnoldum Trencha.

Sequitur ordinatio eorum qui Parisius et alibi sint lecturi sententias. Ordinamus ad legendum Sententias Parisius primo loco fr. Michaelem de Bolonia. Pro 2 anno fr. Symonem de Spira. (2) Pro 3 anno fr. Franciscum de Bacone. Pro 4 anno fr. Petrum Iterii (3) Pro 5 anno fr. Bernhardum Olerii. Pro 6 anno fr. Petrum de S. Martino (4).

Sequitur ordinatio eorum qui Parisius lecturi sunt Bibliam. Pro 1 anno legat fr. Symon de Spira. Pro 2 anno fr. Petrus Iterii. Pro 3 anno fr. Petrus de S. Martino. Pro 4 fr. Stephanus Gileti (5).

In studio Florentino 1 anno leget sententias fr. Philippus Jamboni (6). Pro 2 anno fr. Jacobus de Cremonia. Pro 3 anno fr. Bartholomeus de Joverii. Pro 4 anno fr. Conradus de Rothenburg.

In studio Tholosano primo anno leget sententias fr. Gwlls Garrini. Pro 2 anno fr. Michael de Britania. Pro 3 anno Ber-

---

(1) Bernardus Olerii, cf. Monum. 253.

(2) Simon de Spira dictus de Arwiler (Monum. 395) non confundendus cum alio Simone de Spira eoque antiquiore.

(3) Petrus Iterii videtur idem ac Petrus Rivi (Monum. 396).

(4) Petrus de S. Martino (Monumenta 398).

(5) Stephanus Gileti, lugdunensis patria, deinceps provincialis Narbonae.

(6) Philippus Iambonis alias Cenni, de quo Necrolog. Florent. sub 10 Dec.: Philippus Cenni jamboni magister in theologia, regularis observantiae devotus et clarae famae intus et extra, ordini multum proficuus ut claret in aedificatione suae capellae ac excellenti ornatura ipsius in pluribus et sumptuosis paramentis; obiit Florentiae plenus dierum anno 1396.

Anno 1349 die 27 Nov. fatetur se recepisse a provinciali fratre Andrea de Corsinis de pecunia conventus florenos LVIII, et libras CXXVI, solidos XI et denarios VI. Anno 1349 priorem Florentinum egit, sicut etiam 1352, 1353, 1356; 1363 vero clavarium ibidem.

nardus Aureoli. Pro 4 anno Franciscus Petri. Ordinamus in eodem studio ad legendum Bibliam. Pro primo anno fr. Bernardum Aureoli. Pro 2 anno fr. Franciscum Petri. Pro 3 anno fr. Gwillm Benedicti. Pro 4 anno fr. Robertum qultal (1).

Magistrum regentem in curia romana ordinamus Mag. Petrum de Turribus. Magistrum regentem Tholose fr. Jo de Monte Esquero. Magistrum regentem Florentie fr. Marchum Bartholmius (2). Bachalarium curie ordinamus Bartholomeum Joverii. Ordinamus studium generale in conventu Burdegale. Ordinamus Capitulum generale ad quatuor annos in Provincia in Conventu nostro Montis Albani.

Item committimus Rev. in Christo Patri Priori Generali nos (· -c) Diffinitores omnes praedicti Capituli Generalis, quatenus ipse possit Constitutiones novas facere (3) et per nos factas interpretari quando dubium aliquod apparebit, et in eis plenarie dispensare, locum et vocem restituere his qui amiserunt, qualitercumque et quotiescumque ea perdiderint, omnes fratres Ordinis ad quoscumque status, gradus et officia habilitare et licentiare quandocumque et quotiescumque eidem videbitur expedire. Priores locales quandocumque necesse fuerit et sibi visum fuerit, deponere et instituere, necnon et omnia alia facere, que omnes nos Definitores in Capitulo Generali facere possemus, seu et facere consuevimus, absolutionibus et institutionibus Priorum Provincialium libere et sine culpa et ordinatos Parisius ad legendum ac appositione sigilli communis dumtaxat exceptis.

Item committimus eidem Priori Generali, quod possit mutare locum Capituli Generalis de loco ad locum vel de Provincia ad Provinciam et conventus de Provincia ad Provinciam.

---

(1) Robertus Qultal, alias Anital, Chieltal, Kuildall, Kilcal.

(2) Marcus Bartolini (alias Bartolmius) obiit Florentiae 20 Sept. 1383, venerabilis et excellens magister parisinus in s. theologia, boni consilii et in doctrina proficuus.

(3) « Ut possit constitutiones novas facere » quod reapse fecit, nam anno 1369 Joh. Balistarius edidit novum volumen constitutionum ordinis cujus exemplaria habentur in biblioth. Vaticana 3991, Senensi G-XI, 45, Lunelensi 15. In his praeter ordinem materiarum multa mutavit, correxit et adiunxit.

Item committimus Rev. P. Priori Generali, quandocumque vel quotiescumque sibi videbitur expedire, socium vel socios accipere pro libito voluntatis et illum vel illos mutare.

Item committimus eidem Patri nostro Priori Generali quod possit renovare et mutare sigillum sui officii propter ipsius antiquitatem.

Diffinitum fuit quod fiat in Curia depositum de ducentis florenis pro communitate ordinis et taxentur Provincie secundum multitudinem Conventuum quos habent.

In quorum omnium testimonium sigilla nostri Generalatus officii et Communitatis totius Ordinis presentibus sunt appensa.

In eodem vero Capitulo praedictum Magistrum Johannem, contra quem in Capitulo nostro nulle culpe fuerunt invente, in eodem officio Generalatus voluimus et volumus permanere. Quo presidente sequentes constitutiones seu ordinationes fecimus.

Item Rubr. 2 post illam Constitutionem: item nullus Prior res notabiles, addatur: Item precipimus in virtute S. Obedientie omnibus Prioribus localibus, et eorum conventualibus qui sunt vel erunt, ne vendant ad vitam vel perpetuo aliquos reditus, sive pecunie vel pensionis certe, vel cujuslibet alterius rei extra ordinem, nisi prius habito consensu Prioris Provincialis, vel Capituli Provincialis vel solius Provincialis, ubi sine damno notabili conventus non poterit expectari consensus Capituli Provincialis. Prohibentes Priori Provinciali et Capitulo Provinciali ne consensum vel licentiam dent super premissis, nisi pro emendo aliquo spatio terre vel hospicio conventui tali manifeste necessario sub pena privationis loci et vocis.

Item mandamus sub poena eadem Prioribus quibuslibet et Conventibus, ne alicui Fratri Ordinis nostri vendant seu assignent sive pro pecunia prestita aut pro alia ratione, redditus ad vitam, vel perpetuos. Non prohibemus autem si Conventus facit redditus alicui Personae (1) extra Ordinem quin aliquis Frater possit illos redditus redimere, et quod Conventus teneatur illos facere tali Fratri ad suam vitam.

(1) Propter commoditatem in posterum sequemur orthographiam magis modernam.

Item sub eadem poena mandamus, ne aliquis Frater noster emat census, vel redditus ad vitam suam, vel alterius ab aliqua Persona, vel Communitate extra Ordinem.

Item si aliquis Frater construxerit, vel emerit, aut alio modo habuerit cameram, vel aliud (6-d) hospitium in aliquo Conventu Ordinis, nolumus quod ille Frater talem cameram, vel hospitium possit alicui Fratri vendere vel legare; sed post mortem ejus sit Conventus in quo fuit aedificata, nonobstante quacumque gratia sibi facta quod de bonis suis ordinet. Quod si oppositum fuerit factum, Frater vendens cameram, perdat eam simpliciter, et emens perdat pretium quod dedit.

Item quod nullus Conventus possit vendere alicui Fratri vel Personae cameram aliquam Conventus, nisi prius ordinatis et deputatis certis cameris de melioribus pro Priore Provinciali, Locali, et Lectoribus in Conventu et hospitibus, vel infirmis. Quod si oppositum fiat, emens perdat suum pretium.

Item in Rubrica 3. addatur, quod Octavae solemnes fiant de Purificatione B. Mariae: sed si Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, aut Dies Cinerum, vel aliqua Dominica, vel feria Quadragesimae quae habeat Responsoria propria, infra Octavas praedictas evenerit, pro illo die fiat tantum memoria de octavis; et totum Officium complete erit de tempore.

Item ordinamus, quod de Festo Annunciationis B. Mariae fiant Octavae solemnes in Quadragesima, quando Festum dictum celebrabitur extra septimanam ultimam Quadragesimae. Volumus autem, quod quando Octavae dictarum solemnitatum venient infra Quadragesimam, in Matutinis prima Lectio sit de Evangelio feriae, reliquae duae de Octavis; fiat autem memoria semper de feria.

Item ordinamus; quod per Octavas omnium Sanctorum, excepta Dominica infra, et die Octavarum, dicatur officium plurimorum Confessorum in Matutinis, quoad Responsoria secundum turbas. Antifonae vero ad Magnificat et Benedictus, ac etiam ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam: Capitulum vero et Orationes dicantur sicut in die sunt signatae. Et quod in die Mortuorum fiat Officium de Octavis dictis.

Item statuimus, quod feria 3. Rogationum fiat Commemoratio B. Mariae, sicut in aliis fieri consuevit.

Item ordinamus quod in quolibet Conventu Ordinis, in qualibet septimana per totum annum feria 2. post Missam fiat Processio per Claustrum et Cimeterium pro absolutione Fratrum et ceterorum Defunctorum; et quod cantentur Responsoria Libera me, Memento, et aliqua alia, usquequo Fratres pertransierint dicta Loca: In qua Processione fiant quatuor Stationes, et quatuor absolutiones per Sacerdotem cum nota dicendo aliquas orationes. In prima Statione dicto Kyrie eleyson et Pater Noster, dicat Sacerdos: Et ne nos, A porta Inferi, Domine exaudi, Dominus vobiscum, Oratio Inclina. In 2. Statione dicto Pater noster, etc. dicat Sacerdos, Et ne nos. In memoria, Domine exaudi, Dominus vobiscum, oratio Deus qui nos Patrem et Matrem. In 3. Credo, Domine exaudi, Dominus vobiscum, Oratio, Deus veniae largitor, In 4. Et ne nos; Ne tradas; Domine exaudi, Dominus vobiscum; Oratio, Deus cujus misericordiae, et Absolve, et in fine Requiescant: Fratres vero dum revertuntur ad Chorum, dicant, De profundis; et in fine Sacerdos dicat Orationem Fidelium Deus omnium. Si vero in dicta feria Processio praedicta non possit fieri, fiat in alia die Septimanae proximiori, in quo nullum sit impedimentum. Et idem fiat in die Commemorationis mortuorum.

Item Rubricae 4, de Jejunio addatur.

Item praecipimus quod Fratres non comedant, aut bibant cum Saecularibus in Dormitorio, aut in quibuscumque aliis Cameris, ubi Fratres jacent, sub poena gravioris culpae per tres dies. Tempore vero quo dicitur Missa, aut Vesperae, aut Completorium, nullibi in Conventu cum (**7**-a) Saecularibus potent, aut comedant, nisi essent tales Personae, cum quibus sine Conventus vel Ordinis dispendio haec observari non possent; semper tamen a Praesidente in Conventu licentia obtineatur.

Item Rubrica 5. de Silentio, Praecipimus, quod Fratres non cantent cantilenas saeculares, nec eas dictent, doceant aut discant, nec etiam tripudient, sub poena gravioris culpae per diem.

Item Rubrica 9. de Hospitibus. Ordinamus quod pueri et juvenes ordinati ad discendum nullatenus possint mitti ad terminos, vel ad quaestus extra Villam, nec taliter occupentur saepius, quod suas lectiones non valeant addiscere, vel audire.

Item Rubrica 10. de Confessionibus. Ordinamus quod Fratres in suis Praedicationibus non doceant Prophetias, nec facta futura determinate, nisi expressa in Sacra Scriptura, vel in Libro authentico: nec novas opiniones, quae non prosunt ad morum aedificationem; neque disputationes contra se invicem, vel contra alios praedicantes faciant in suis praedicationibus, sub poena privationis loci et vocis.

Item volumus quod Fratres qui sciunt Latinum, per Provincialem in sua visitatione (dum tamen sint eloquentes) constringantur ut in operibus Sermonum studeant et coram Conventu aliquos sermones faciant, ut si sic inveniantur idonei ad praedicandum, in Capitulo Provinciali licentientur ad hoc, nisi aliunde sint indigni.

Item ordinamus quod Fratres Praedicatores non faciant sibi barbas prolixas, vexilla, nec aliqua alia specialia et extraordinaria secum portent unde Populus eos sequatur, sub poena privationis loci et vocis.

Item Rubrica 12. de Vestimentis. Ordinamus, quod sub poena excommunicationis Fratres portent tunicas albas sub griseis et longas usque ad mediam tibiam et largas.

Item volumus, quod Fratres portent Cappas in Missa Conventuali et in omnibus Dominicis et Festis quibus colitur ad utrasque Vesperas et in Quadragesima in quolibet Completorio, sub poena gravis culpae per diem.

Item Rubrica XVI de Studiis: Statuimus quod Frater qui brigam fecerit in Conventu Parisius, vel in aliis studiis contra aliquos Fratres, vel majores seu graduatos, propter quam Fratres veniant ad verbera, vel usque ad gladiorum, vel cultellorum extractionem, vel baculorum, lapidum, vel aliorum armorum deportationem et comminationem vel fiant rebelliones, seu colligationes, aut scandalum coram Saecularibus, ipso facto sit revocatus a studio, nunquam promovendus in Ordine. Prior vero talem a Conventu dicto ad suam Provinciam mox remittat; Fratres vero non Studentes carceri mancipentur.

Item Rubrica XVII de Officio Prioris Generalis de illa clausula, non tamen per Vicarium etc. radatur. Item quod alios officiales quoscumque inferiores Priore possit absolvere ex causa, quae sibi videbitur rationabilis.

Item concedimus Priori Generali quod possit Provinciam et Conventum ubi moram traherit, eximere a taxatione in toto vel in parte, secundum quod ei videbitur juxta temporis ratam.

Item Rubrica IX de Hospitibus. Statuimus, quod Fratres hospites in quocumque Conventu fuerint, post primam diem sequantur Chorum de die, et dicant Missas suas, nisi aliquod impedimentum negotiorum suorum, vel laborum evidenter impediat. Item quod Fratres teneantur revelare Priori causam et negotia pro quibus veniunt ad Conventum suum, cum fuerint requisiti a Priore.

Item Rubrica XIX de officio Prioris addatur. Statuimus quod quilibet Prior noviter institutus in Prioratu alicujus Conventus, statim postquam ostendit Litteras sui Officii, antequam utatur Officio suo in aliquo, videat Inventaria Conventus sui, et secundum illa, sub poena suspensionis (**7**-b) recipiat bona omnia Conventus in praesentia Custodum, vel Seniorum Conventus; qui cum recedet ad Capitulum, vel alia de causa ab officio mutabitur, omnia bona Conventus, secundum Inventaria Conventus coram praedictis tradat Priori Successori suo, si fuerit praesens, vel Praesidenti in Conventu tempore sui recessus, vel amotionis. Item vero Praesidens Priori venienti secundum formam praedictam bona omnia Conventus tradat.

Si vero non reperiantur Conventus Inventaria, Prior noviter institutus, coram dictis Fratribus nova Inventaria faciat, quae ponantur in Arca trium clavium. Si vero Prior in praemissis fuerit negligens, quaecumque de bonis Conventus non fuerint in Conventu reperta, integre solvat.

Item Rubrica XIII de Receptione Novitiorum. Ordinamus quod nullus recipere possit Apostatas aliarum Religionum, etiam si habeant Litteras dimissorias, vel alias transferentes de Religione aliqua, nisi Prior Generalis: nec tales, si fuerint recepti, possunt ad Prioratum, vel Subprioratum, Vicariatum, Lectoratum promoveri sine licentia Generalis.

Item Rubrica XXII de Custodibus. Ordinamus, quod Prior sine scitu Custodum, aut duorum bonorum Fratrum Conventus non ponat bona Conventus in aliquo loco Conventus abscondito, vel in Villa, si periculum immineat, sub poena depositionis ab Officio.

Item ordinamus, quod nullus Frater sit Diffinitor Capituli Generalis, nec ad hoc eligatur, nisi sciat loqui Latinum.

Item statuimus, quod Constitutio Ferrariae, dicens, quod expectentur aliqui absentes, radatur, et maneat antiqua.

Item ordinamus, quod Prior Generalis postquam resignaverit praecedat quoscumque Fratres Ordinis, cujuscumque gradus aut Officij sint, immediate post Generalem, in electionibus et in quocumque alio actu, in Capitulis, vel aliis Locis.

Item quod eidem provideatur per Ordinem de aliquo vestiario. Item quod eidem provideatur in victualibus decenter prae alijs Magistris, qui non fuerint in Officio.

Item in Rubrica XXIII reducendo Constitutionem antiquam et eam renovando addatur. Declaramus, quod excessus propter quos Prior Generalis ab Officio suo est absolvendus, sunt quatuor, pro quibus solum amoveri poterit ; scilicet pro peccato notorio, quod sine scandalo Ordinis non poterit tolerari ; aut pro Haeresi : aut pro incorrigibilitate : aut quia omnino inutilis sit.

Item ordinamus, quod expensae dandae Socijs electis pro Capitulo Generali bona hora et sufficienter solvantur : et quod prius provideatur de illis Diffinitori Provinciae quam alicui alteri etiam si omnes alios oporteret remanere.

Item Rubrica XXVIII de Sigillis, et Litterarum concessione et Sigillatione statuimus, quod in omni Littera facta per aliquem Conventum, exprimantur nomina omnium Fratrum qui consenserunt.

Rubrica XXXVII de Proprietarijs. Ordinamus, quod Fratres praestantes seu mutuantes quibuscumque Personis extra Ordinem constitutis ; aut sub custodia commendantes bona sua vel Ordinis, vel ad mercandum, aut ad lucrum Saecularibus tradentes puniantur sicut Proprietarij.

Item XLIIII de decedentibus. Ordinamus, quod Conventus quorum Fratres decedentes sunt filij, vel ubi acquisiverint prout dicit Constitutio antiqua, habeant tertiam partem de bonis Defuncti Fratris.

Item quod bona de se incorruptibilia, cujusmodi sunt vasa aurea, argentea, ferrea, et consimilia, si legentur, ad vitam solum sint legata, et post mortem Fratris cui legantur, sint Conventus

cujus sunt filij, vel ubi acquisiverint; bona vero immobilia, aut redditus non possint legari Fratribus, sed sint Conventus cujus sunt filii vel ubi acquisiverunt.

Item quod mortuo Fratre, Prior coram Custodibus et executoribus ordinationis Fratris defuncti, si sciantur, aperiat, et legat Fratris ordinationem; Executores vero coram Priore et Custodibus; et in eorum defectu coram duobus Fratribus de Senioribus Conventus faciant Inventarium de bonis Fratris defuncti. Qui Executores reddant de executione calculi rationem coram Priore et toto Conventu ubi Frater fuerit defunctus. Prior vero illorum computum portet ad Capitulum Provinciale, ut Provincialis videat, et si aliqui voluerint videre: et si oppositum fuerit facta ordinatio sit nulla.

Item statuimus, quod Vicarius electus pro Custodia Provinciae, non visitet aliquem Conventum Provinciae, nisi vocatus per Priorem, et meliores Conventus.

Item constituimus quod Vicarius Generalis nihil immutet de statu Ordinis, ac de Officijs, nisi ex maxima et evidenti necessitate, et cum consilio Seniorum et meliorum Fratrum.

Item Rubrica XX de Electionibus, statuimus, quod nullus Frater qui eligitur in Socium Prioris Localis ituri ad Capitulum Provinciale habeat locum et vocem in electione Diffinitorum illius Capituli Provincialis.

Item quod nullus Prior Provincialis possit resignare coram Diffinitoribus Capituli Provincialis, vel alijs Praesidentibus Ordinis nisi habita licentia Prioris Generalis.

Item quod quicumque Magister fuerit constitutus Prior in aliquo Conventu teneatur facere et observare omnia et singula quae secundum Constitutiones Ordinis Prior teneatur facere praesertim ea quae pertinent ad sequelam Chori vel Refectorij, nonobstantibus quibuscumque gratjis aut privilegijs Magistrorum concessis vel concedendis. Quod si non fecerint, per Priores Provinciales a suis Officiis deponantur, sub poena depositionis ipsius Provincialis.

Item in Rubrica de Sigillis etc. Ordinamus, quod quilibet Conventus habeat sigillum Vicariatus, quo Praesidens in Conventu in absentia Prioris, sigillet Litteras; quae alias essent sigillandae sigillo Prioris.

Item in Rubrica de Apostatis; declaramus, quod nonobstante quod illis qui apostataverint sit locus et vox restituta, adhuc indigent speciali dispensatione ad promotionem habendam cujuscumque Officij per electionem; vel ad Magisterium in Theologia.

Item declaramus super illa Constitutione, quod nullus ad legendum sententias, vel ad Magisterium etc. addatur: vel crimen notabile, aut scandalum commiserit, non obstante quod pro illo non fuerit incarceratus.

Sciendum quod praedictus Reverendus Prior Generalis reddidit nobis fidele computum de omnibus receptis et expensis a principio sui Officij usque ad praesens tempus, et inventum est, quod Ipsi remanebant de receptis octuaginta septem flor. Debent autem aliquae Provinciae de annis preteritis, scilicet Sicilia LXII flor., Aquitania XIIII flor., de Anno MCCCLX. Item Provincia Terrae Sanctae XX flor. de Anno Domini MCCCLXI.

Hac est Tabula Ordinationis, constitutionis, et diffinitionis, quam nos fr. Johannes humilis Prior Generalis et Diffinitores Capituli Generalis Ordinis Fratrum B. Mariae de Monte Carmeli in Conventu nostro Montis Albani Anno Domini M. CCC LXVI in Festo Pentecostes celebrati, fecimus de his quae pertinent ad regimen totius Ordinis modo consueto et approbato in Ordine praedicto: in quo Capitulo fuit concorditer diffinitum, quod pro communibus Ordinis negotijs solvatur taxatio sequens.

Primo Prov. Terrae Sanctae annuatim XX flor., Siciliae XV, Angliae XXX, Narbonae XX, Romae XXV, Franciae XXXV, Alemaniae Inferioris XVI, Lombardiae XV, (7-d) Aquitaniae XII, Hiberniae XV, Hispaniae XII, Prov. Provinciae XII, Scotiae XII, Thusciae XV, Bononiae XX, Tholosae XII, Cathaloniae XVI, Alemaniae Superioris XII, Vasconiae XVI.

De praedicta taxatione debent solvi Priori Generali pro vestiario suo et sociorum suorum C flor., Item Mr Regenti Parisius XV, Item Biblico VIII, Conventui Parisiensi pro censibus ejusdem L, Pro salario famulorum Prioris Generalis XII, Pro Loco Procuratoris Ordinis in Consistorio V, Pro Procuratore Ordinis Fratri XV, Item Procuratori Saeculari VI, Item Advocato Generali Ordinis in Consistorio Domini Papae XX, Item Iani-

toribus primae custodiae Domini Papae III, Item Ianitoribus secundae custodiae Domini Papae III.

Ordinatio Priorum Provincialium

Primo ordinamus in Priorem Provincialem Terrae Sanctae Fr. Dominicum Seles, Siciliae Fr. Henricum de Petralia, Angliae Fr. Thomam Brom Magrum in Sacra Pagina, Narbonae Fr. G.m Gallaci, Romae Fr. Thaddeum de Perusio, Franciae Fr. Io: de Veneta Magrum in Theologia, Alemaniae Inferioris fr. Goscalcum (1), Lombardiae fr. Bartholomaeum de Moedecia, Aquitaniae fr. G.m de Bello Monte, Hispaniae fr. Johannem de Castro, Hiberniae fr. G.m Ondii, Prov. Provinciae fr. B. dum (2) Magrum in Theologia, Scotiae fr. Adam Sper, Thusciae fr. Johannem de Septimo, Bononiae fr. Franciscum de Ferraria, Tholosae fr. Raymundum Germani, Cataloniae fr. Jacobum Coste, Alemaniae Superioris fr. Corradum de Novenburg, Vasconiae fr. Philippum de Causaco, Procuratorem Generalem Ordinis fr. Franciscum Baconis, Socios Prioris Generalis fr. Bartholomaeum Peyronis (3) et Io. Thauronusi.

Ordinatio ad legendum Sententias Parisius

Pro 1° anno ordinamus fr. Petrum de Sancto Martino, pro 2° fr. Petrum Alberti, pro 3° fr. Durandum de Caponis, pro 4° fr. Conradum Theolenarium. (4)

---

(1) Goscalcus i. e. Godescalcus de Grue sive de Colonia.

(2) Scil. Bernardus Olerii.

(3) Bartholomaeus Peyronis, Mon. 437 unde corrigenda est Biblioth. Carmelit. circa annum magisterii, Episcopus Elvensis 24 Oct 1384, obiit 1408. Eubel Hierarchia I 248.

(4) Conradus Theolenarius, seu Telonearius germanice Zollner, cuius nomen varie transmutatum fuit, habentur nempe verba Solver, Ailnir, et alibi Gradus. De ipso elenchus provincialium Alemaniae superioris habet: Magister Conradus Zollner de Nova Civitate, electus in capitulo provinciali Bambergae celebrato anno 1371 magisterium adeptus est Bononiae anno 1380.

Cumque rexisset provinciam 18 annis sepultus est in conventu Norimbergae in choro.

ORDINATIO AD LEGENDUM BIBLIAM PARISIUS

Pro 1° anno ordinamus fr. Durandum Caponis, pro 2° fr. Conradum Theolenarii, pro 3° fr. Io: de Cruone, pro 4° fr. Bernardum de Roma. (1)

Ordinamus Magrum Regentem in Curia Romana Magrum Bernardum Olerij. Bachallarium in eodem loco... (nomen non exprimitur.)

Ordinamus Capitulum Generale post tres annos celebrandum in Conventu nostro Paduae in Provincia Bononiae in Festo Pentecostes.

(**8**-a) Committimus autem Patri nostro Priori Generali, ut si aliqua Provincia per diffinitionem omnium de Gremio Capituli Provincialis, vel majoris partis ejusdem, petit ab eodem Priore Generali aliquem Fratrem suae Provinciae legere in Conventu Tholosae, seu studio, quod praedictus R.dus Prior Generalis possit illum ordinare sub forma sequenti; videlicet quod talis ordinatus seu postulatus 1 legat Bibliam per annum, qualibet die legendo, nisi diebus feriatis ab Ecclesia, aut studio, 2 quod mediate, vel immediate legat sententias per duos annos; 1.° anno duos Libros; 2. anno alios duos Libros sententiarum, continuando in forma lecturae praemissa. Deinde expectet per tres annos antequam possit magistrari in dicto studio. Tandem cum licentia noviter obtenta a dicto R.do Priore Generali poterit magistrari secundum formam licentiae eidem concessae. Volumus autem, quod Provinciae praedictum Promotionem petentes teneantur contributionem aliquam persolvere Conventui Tholosano pro alicujus promotione, seu lectura. Et committimus eidem, quod possit omnia alia facere quae nos Diffinitores facere possemus: absolutionibus et institutionibus Priorum Provincialium libere sine culpa; et revocatione et ordinatione ad gradum Theologiae in Studio Pari-

(1) Bernardus de Roma, ad quem dum procuratorem ordinis ageret Waldensis scripsit Epistolas (Monumenta 444). Post annum 1379 sed ante 1406 (quo Innocentius VI ipsi potestatem tribuit condendi testamentum) ad episcopatum Sutrinensem dicitur evectus fuisse; sunt etiam qui affirmant eum purpura cardinalitia insignitum fuisse de quo jure merito dubitatur.

siensi ac appositione sigilli communis Ordinis dumtaxat exceptis In quorum testimonium praemissorum sigilla nostri Generalatus Officij et Communitatis Ordinis praesentibus sunt appensa.

Sciendum quod Liber antiquus praecedens istum immediate, simul cum Sigillo Officij Generalatus antiquo sed fracto est repositus in Conventu Avenionis in Arca depositi. Est autem Ordinis depositum in summa CCC et sex flor. qui debent servari in curia per Ordinis Procuratorem, de quibus ipse potest accommodare pro negotijs communibus Ordinis, aut Conventuum, illis quibus judicaverit expediens, sub recognitione facta.

(**8**-b) Haec est Tabula ordinationum, Constitutionum, et diffinitionum, quas nos Fr. Iohannes humilis Prior Generalis et Servus Fratrum Ordinis B.tae Mariae de Monte Carmeli; Et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Montis pessulani Anno Domini MCCCLXIX in Festo Pentecostes XX die mensis Maij celebrati, Ordinis praedicti fecimus de ijs quae pertinent ad regimen totius Ordinis modo consueto et approbato in Ordine praedicto.

In quo Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres sequentes videlicet.

Diffinitor Provinciae Terrae Sanctae Fr. Iohannes Tonsor (1), Siciliae nullus fuit, Angliae Mag. Thomas Loveye (2), Narbonae Fr. Stephanus Gileti, Romae Mag- Guill. Garini, Franciae Mag. Io. de Corbolio, Alemaniae Inferioris Fr. Goscaldus (3), Lombardiae Fr. Albertus de Mayatico (4), Aquitaniae Fr. Guill. de Bello Monte, Hispaniae Fr. Petrus Alberti, Hiberniae Fr. Henricus Postal, Prov. Provinciae Fr. Andreas Thore, Scotiae Fr.

---

(1) Ioannes Tonsor, seu Tonsorio, alias de Cypro.

(2) Thomas Lovey (alias Lorey,alias Loney). Ludovicus dux Andegavensis adiit Urbanum V ut frater Thomas Loney Carmelita ad lecturam sententiarum Parisiis admittatur cum timeat Oxonienses. 12 Junii 1306 (Denifle, Chartularium III, 149). Postea fuit unus de coni fessariis domini Iohannis de Gandavo, ducis Lancastriae, nuncupati regis Castellae et Legionis.

(3) Goscaldus i. e. Godescalchus de Grue.

(4) Albertus de Mayatico seu Mayacito.

Adam Sper, Thusciae Fr. Philippus Cennis (1) Magister, Bononiae Fr. Alexander de Padua, Tholosae Mag. Bernardus Aureali (2), Cathaloniae Mag. Franciscus Bachonis, Alemaniae Superioris Fr. Conradus de Rotenberg, Vasconiae Fr. Oddo Campanensii (3).

De quorum omnium unanimi et concordi consensu fuit diffinitum et ordinatum quod pro communibus Ordinis negotijs solvantur taxationes sequentes quolibet anno. Solvet igitur annuatim Prov. Terrae Sanctae XX flor- de florentia Prov. Siciliae XV, Prov. Angliae XXX, Prov. Narbonae XX, Prov. Romana XXV, Prov. Franciae XXXV, Prov. Alemaniae Inferioris XVI, Prov. Lombardiae XV, Prov. Aquitaniae XIV, Prov. Hispaniae XII, Prov. Hiberniae XV, Prov. Provinciae XII, Prov. Scotiae XII, Prov. Thusciae XII, Prov. Bononiae XX, Prov. Tholosae XII, Prov. Cathaloniae XVI, Prov. Alemaniae Superioris XII, Prov. Vasconiae XVI.

De praedicta autem taxatione debent solvi Priori Generali pro suo vestiario et Sociorum suorum C flor, (**8**-c) Mag. Regenti Parisiis XV flor, Biblico ibidem legenti VIII flor, Conventui Parisiensi pro censibus ejusdem L flors, Pro Salario Famulorum Prioris Generalis XII flor, Pro Loco Procuratoris Generalis Ordinis in Consistorio D.ni Papae V flor, Procuratori Saeculari Generali Ordinis in Audientia D.ni Papae XII flor, Advocato Generali in Consistorio D.ni Papae XII flor, Ianitoribus 1. et 2. Ianuae Palatij D.ni Papae VII flor, de quibus Ianitores primae Ianuae tres, Ianitores 2. Ianuae habeant IIII flor, in dicto autem Capitulo Generali remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus Fr. Iohannes Balistrarij.

Sequitur etiam Priorum Provincialium Institutio.

---

(1) Philippus Cennis, vide supra Philippus Iambonis.

(2) Bernardus Aureali, alias Aureoli.

(3) Oddo Campanensis: de quo fertur eventus satis mirabilis. Quodam fratre Praedicatore Viennensi (in Delphinatu) publice in civitate Condomiensi contra Immaculatam Conceptionem B, V. Mariae, disputanti surrexit magister Odonius(sic) Campanensis ordinis Carmelitarum ad respondendum, tamque strenue egit ut opponens delirium passus e certamine amoveri debuit et post dies octo vita functus sit.

Ordinamus et instituimus in Priorem Prov. em. Prov. Terrae Sanctae Fr. Stephanum Losteph (1) Magistrum, Priorem Prov. Siciliae Fr. Leonem, (2) Priorem Prov. Angliae Fr. Thomam Brom, Priorem Prov. Narbonae Fr. Stephanum Gileti, Priorem Prov. Romae Fr. Bernardum de Roma, Priorem Prov. Franciae Magistrum Joannem Golen, Priorem Prov. Alemaniae Inferioris Fr. Hermanum de Nusia (3) Priorem Prov. Lombardie Fr. Albertum de Mayacito, sive Mayatico, Priorem Prov. Aquitaniae Fr. Gulm. de Bello Monte, Priorem Prov. Hispaniae Fr. Avenarium Martini, Priorem Prov. Hiberniae F. Henricum Postal, Priorem Prov. Provinciae Magistrum Bernardum Olerij, Priorem Prov. Scotiae Fr. Adam Sper, Priorem Prov. Thusciae Fr. Laurentium Vanis, (4) Priorem Prov. Bononiae Fr, Franciscum de Ferraria Priorem Prov. Tholosae Fr. Raymundum Germani, Priorem Prov. Cathaloniae Magistrum Franciscum Bachonis, Priorem Prov. Alemaniae Superioris Fr. Conradum de Rotenberg, Priorem Prov. Vasconiae Fr. Philippum de Causaco, Procuratorem Generalem Ordinis Fr. Bartholomeum Peyronis, Socios Prioris Generalis Fr. *(nomina desunt)* Priorem Parisiensem Fr. Aegidium de Solivo, Priorem Curiae Romanae Fr. Junta (Juntani ?)

Sequitur Ordinatio eorum qui in studio Parisiensi, aut alibi sunt lecturi sententias.

---

(1) Dominicus Stephani vel Listelfe, vir devotus, Provincialis terrae sanctae, seu Cypri, floruit 1369 in quo anno quoddam incurabile morbi genus S. Petri Thomae meritis Famagustae in Conventu evasit. (Balaeus).

(2) Fr. Leonem. scil. de Sacco.

(3) Confer Monumenta p. 435.

(4) Laurentius Vannis. De ipso agit Necrologium Florentinum sub die 10 Ianuarii in hunc modum: frater Laurentius Vannis sacerdos et lector in theologia, vir venerabilis et zelator ordinis fuit provincialis istius provinciae annis circa XX et in provincia Romae fuit provincialis et vicarius generalis quatuor annis; sepultus est Florentiae 1412. In archivio Florentino habentur litterae Stephani Cardinalis tit. S. Marcelli protectoris ordinis quibus committitur Onufrio episcopo Florentino ut faciat convocari capitulum provinciale Thusciae pro renuntiatione provincialis Laurentii Vanni et electione alterius provincialis, dat. Romae 24 Ian. 1394. Extant documenta annorum 1370, 1372, 1389 et 1392 in quibus Laurentius provincialis recensetur.

Ordinamus ad legendum sententias Parisijs 1. loco et anno Fr. Conradum Theolonarium, Pro 2. anno Fr. Iohannem de Cruone, Pro 3. anno Fr. Michaelem Marquerii, (1) Pro 4. anno Fr. Iohannem Peschym.

Sequitur ordinatio eorum qui in studio dicto sunt lecturi Bibliam. Pro 1. anno legat Bibliam in dicto studio Fr. Michael Marquer, Pro 2. anno Fr. Io. Peschym (2) (8-d) Pro 3. anno Fr. Io: Textor, Pro 4. anno Fr. Lucas de Janua.

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Tholosano sunt lecturi sententias.

Pro 1- anno legat sententias Fr. Assinus (3) de Alvarupe Pro 2. anno Fr. Durandus Caponis. Pro 3. anno Fr. Bernardus Galterii. Pro 4. anno Fr. Guill. Decani (4).

Ordinamus ad legendam Bibliam in eodem studio Fr. Bernardum Gauterii. Pro 2. anno Fr. Guill. Decani. Pro 3. anno Fr. Dominicum de Cremona. Pro 4- anno Fr. Henricum de Aquis.

Ordinamus Magistrum Regentem in Curia Romana Magistrum Guill. Garini, Item Bachalarium in eodem loco Frm. *(Nomen deest.)*

Ordinamus Capitulum Generale post tres annos celebrandum in Conventu nostro Avenionensi in Prov. Provinciae in Festo Pentecostes. In casu, quo esse non possit ibi, in Conventu Aquensi ejusdem Provinciae.

Committimus autem R. Patri Priori Generali quod si contingat Ordinem posse habere Corpus Sancti Elisei Prophetae pro expensis inde faciendis possit taxare quemlibet Fratrem Ordinis ad solvendum partem aliquam ; ac etiam possit de Ordinis deposito eidem negotio applicare C. Florenos ; et quod possit licentiare Conventus Ordinis ad vendendum Libros Librariae qui

(1) Michael Marquerii anno 1388 diffinitor in provincia Franciae.

(2) Ioannes Peschym seu Pepchym, cf. Monumenta 436 Ioh. Pepkin.

(3) Assinus (verius Ossinus) de Alba Rupe, tolosanus, quondam socius Philippi Riboti et Bernardi Arioli Tholosae provincialis, vir in divinis scripturis illuminatus et peritus et tam in jure canonico quam philosophia notabiliter doctus, eloquio et ingenio clarus. Scripsit sermones elegantes lib. II. De aliis nihil hucusque vidimus. Ita Balaeus.

(4) Gulielmus Decani cf. Monumenta 555.

sunt inutiles vel duplicati in illa, ita dumtaxat quod pretium eorum convertatur pro mutationibus Conventus factis vel faciendis, expensis, aut pro aedificatione Ecclesiae, Dormitorii, Claustri aut Refectorii. seu officinae Conventus notabili in sumptibus et perpetua. Etiam committimus eidem quod possit omnia facere, quae nos Diffinitores facere possemus; absolutionibus et institutionibus Priorum Provincialium libere sine culpa; et revocatione et ordinatione ad gradum Theologiae in Studio Parisiensi; ac appositione Sigilli Communis Ordinis dumtaxat exceptis. In quorum omnium testimonium sigilla nostri Generalatus officii et communitatis Ordinis praesentibus sunt appensa.

(9-a) Haec est Tabula Ordinationum, Constitutionum et Diffinitionum quas nos Fr. Johannes humilis Prior Generalis et servus Fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmeli, et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Aquensi Anno Domini MCCCLXXII in festo Pentecostes XVI die Mensis Maij celebrati, Ordinis praedicti fecimus de ijs quae pertinent ad regimen totius Ordinis modo consueto et approbato in ordine praedicto.

In quo Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres subsequentes, videlicet: Diffinitor Prov. Narbonae Fr. Joannes Bonidandi, Romae Fr. Bernardus de Roma Praesentatus Parisijs Prov.lis dictae Prov. Franciae Mag. Jo. Golem Prov.lis ejusdem Prov., Alemaniae Inferioris Fr. Hermannus de Priscia (1) Prov.lis eiusdem Prov. Lombardiae Fr. Petrus de Brixia Prov.lis ejusdem Prov. Aquitaniae Fr. Joannes Decumbone (de Cruone) Bachalarius in Theologia, Hispaniae Fr. Acenarius Martini Provincialis ejusdem Prov, Hiberniae Fr. Ioannes Iuvenius, (Young) Prov. Provinciae Magr. Bernardus Ollerius Prov.lis ejusdem Prov., Scotiae non venit, Thusciae Fr. Laurentius Vanius Prov.lis ejusdem Prov. Bononiae Mag. Michael de Bononia, Tholosae Mag. Assinus de Albarupe, Cataloniae Mag. Philippus Riboti, (2) Alemaniae Superioris Mag. Joannes Kirzingen (3) Bachalarius, Vasconiae Fr. Philippus de Causaco Prov.lis ejusdem Prov.

---

(1) *Prussia*, ut intentio fuit, credimus; sed debet esse *Nussia*.

(2) De conventu Petralatensi Cf. Novum Speculum Carmelitanum I, c.

(3) Joannes de Kirzingen, alias Kytchingen seu Kytchin, vere Kizingen electus fuit provincialis Alemaniae superioris in capitulo Norimbergensi anno 1392 et sepultus anno insequenti in conventu Herbipoli.

De quorum omnium unanimi et concordi consensu fuit diffinitum et ordinatum, quod pro communibus Ordinis negotijs solvantur taxationes sequentes.

Quolibet anno solvet sibi annuatim Prov. Terrae Sanctae XX flor. de florentia, Prov. Siciliae XV, Prov. Angliae XXX, Prov. Narbonae XX, Prov. Romana XXV, Prov. Franciae XXXV, Prov. Alemaniae Inferioris XVI, Prov. Lombardiae XV, Prov. Aquitaniae XIIII, Prov. Hispaniae XII, Prov. Hiberniae XV, Prov. Provinciae (9-b) XII, Prov. Scotiae XII, Prov. Tusciae XV, Prov. Bononiae XV, Prov. Tholosae XII, Prov. Cathaloniae XVI, Prov. Alemaniae Superioris XII, Prov. Vasconiae XVI.

De praedicta taxatione debent solvi Priori Generali pro vestiario suo et Sociorum suorum centum floreni, Magr. Regenti Parisius XV, Biblico ibidem legenti VIII, Conventui Parisius pro censibus ejusdem L. Pro salario famulorum Prioris Generalis XII. Pro loco Procuratoris Generalis Ordinis in Consistorio D.ni Papae V. Procuratori Saeculari Ordinis in audientia D.ni Papae VI flor, Advocato Generali Ordinis in Consistorio D.ni Papae XII, Ianitoribus primae et 2. Ianuae Palatij D.ni Papae septem, De quibus Ianitores 1. Ianuae III et Ianitores 2. Ianuae habebunt IIII, Item Mgr. Regenti in Curia XV, Item procuratori Generali Ordinis XV flor. Item Bacchalario legenti in Curia V flor. Item legenti Philosophiam ibidem III flor.

In dicto autem Capitulo remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus Fr. Joannes Balistarij.

Sequitur etiam Priorum Provincialium Institutio

Ordinamus et instituimus Priorem Provincialem Terrae Sanctae Fr. Stephanum Lostoph, Priorem Prov. Siciliae Fr. Leonem de Sacca, Priorem Prov. Angliae Fr. Thomam Brom, Priorem Prov. Narbonae Fr. Stephanum Gileti, Priorem Prov. Romae Fr. Bernardum de Roma, Priorem Prov. Franciae Mrm Joannem de Corbolio, Priorem Prov. Alemaniae inferioris Fr. Hermannum de Nussia, Priorem Prov. Lombardiae Fr. Petrum de Brixia, Priorem Prov. Aquitaniae Fr. Guill.m de Bello Monte, Priorem Prov. Hispaniae Fr. Petrum Alberti, Priorem Prov. Hiberniae Fr. Robertum Kiltal, (Kilcal) Priorem Prov. Provinciae Mag. Bernardum Olerij, Priorem Prov. Scotiae Fr. Adam Sper, Priorem Prov. Tusciae Fr. Laurentium Vanius, Priorem Prov.

Bononiae Fr. Franciscum de Ferraria, Priorem Prov. Tholosae Fr. Raymundum Germani, Priorem Prov. Cataloniae Fr. Franciscum Bachonis, Priorem Prov. Alemaniae Superioris Fr. Conradum Thealonariis, (9-c) Priorem Prov. Vasconiae Mag. Guill.m Ardi (Arnaldi) Procuratorem Generalem Ordinis Mag. Bartholomeum Payronis, Priorem Parisius Fr. Henricum de Gandavo, Priorem Curiae Romanae Fr. Raymundum a Sancto Michaele (1).

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Parisius, aut alibi, sunt lecturi sententias.

Ordinamus ad legendum sententias Parisiis 1. loco et anno Fr. Johannem de Bruxellis, Pro 2. Fr. Johannem Morigenz (2), Pro 3. Blasium Azemarij (3). Pro 4. anno Fr. Joannem de Mediolano.

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Parisius Bibliam sunt lecturi.

Pro 1. anno Fr. Blasius Azemarij, Pro 2. anno Fr. Jo: de Mediolano, Pro 3. anno Fr. Franciscus Martini (4), Pro 4. anno Fr. Lucas Avinion. (5).

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Tholosano sunt lecturi sententias.

Pro 1. anno Fr. Dominicus de Cremona.

Pro 2. anno Fr. Henricus de Aquis.

Pro 3. anno Fr. Arnaldus de Buxo (6).

Pro 4. Fr. Joannes Belhom.

Sequitur ordinatio, ad legendum Bibliam in eodem studio Tholosano.

Pro 1. anno Fr. Henricus de Aquis.

Pro 2. anno Fr. Arnaldus de Buxo.

Pro 3. anno Fr. Petrus Leves.

---

(1) Raymundus a S. Michaele, 14 Febr. 1373-1379 archiepisc. Smyrnensis, Eubel I, 480.

(2) Joannes Morigenz seu de Morengia, Moraynge, cf. Monumenta 389.

(3) Verius Blasius Andernarius, cf. Monumenta 406.

(4) Franciscus Martini Barcinonensis, Monumenta, 433, scripsit anno 1400 tractatum de schismate tollendo qui habetur Matriti B. N. (A 141).

(5) Lucas de Avinione, seu Lucas Emenus.

(6) Anno 1388 Diffinitor Tolesanus et Prior de Apita.

Pro 4. anno Fr. Bernardus Grandis.

Ordinamus Mag. Regentem in curia Romana Mag. Guill.m Garini. Item Bacchalarium in eodem loco Fr. Franciscum Martini.

Ordinamus Capitulum Generale post tres annos celebrandum in nostro Conventu de Podio Provinciae Narbonae.

Committimus autem R. Priori Generali, quod possit licentiare Conventus Ordinis ad vendendum Libros Librariae qui sunt inutiles, vel duplicati in illa; ita dumtaxat, quod pretium eorum convertatur pro expensis mutationis Conventus factis, vel faciendis, aut pro aedificatione Ecclesiae, Dormitorij, Claustri aut Refectorij, seu Officinae Conventus notabilis in sumptibus, et perpetue. Etiam committimus eidem, quod possit omnia facere quae nos Diffinitores facere possemus; absolutionibus et institutionibus Priorum Provincialium libere, sine culpa; et revocatione ad (9-d) gradum Theologiae in studio Parisiensi, et appositione sigilli communis Ordinis dumtaxat exceptis. In quorum omnium testimonium sigilla nostri Generalatus Officij et Communitatis totius nostri Ordinis praesentibus sunt appensa.

Facto compoto fuit summa receptorum a Capitulo Generali Montis pessulani usque ad istud Capitulum Mille centum decem et septem floreni. Additis vero centum viginti septem florenis qui restabant Ordini; est summa totalis mille centum quadraginta quatuor flor.

Summa vero expensarum dictis temporibus fuit nongenti octuaginta tres flor, quinque grossi; quae subtracta a receptis, restant Ordini centum sexaginta flor. novem grossi. Est autem summa Depositi Ordinis ducenti nonaginta quinque floreni communes; quorum quilibet valet duodecim grossos quos omnes habet Prior Generalis.

In 2. Rubrica addatur post Paragraphum

Statuimus hoc idem: Praecipimus, quod nullus Frater singularis cujuscumque gradus, status, aut conditionis existat, de coetero clam vel palam ad suos speciales usus emat, vel teneat, per se, aut per alium, agros, vineas, prata, hortos, Domus, aut quamcumque aliam possessionem immobilem, nec oves, aut boves vel alia animalia. Non intendimus tamen quin ad usus communes Conventuum possint emere, et communiter tenere hujusmodi Domus aut possessiones si fuerint non feodales, et vi-

deantur Communitati Conventuum necessariae, vel utiles; Fratres autem in nostro Ordine ad suos speciales usus tenentes hujusmodi Domus aut possessiones, vel animalia, infra medium annum, de scitu Prioris Provincialis aut Localis, praedicta omnia vendant: et in alios usus nostrae Religioni congruentes cum effectu convertant, sub poena Proprietariorum eis infligenda. Declaramus insuper quod si aliqua proemissorum bonorum ad aliquem Fratrem per haereditariam successionem, vel per donationem, aut per alium justum titulum imposterum perveniant; talis Frater hujusmodi bona, de scitu sui Prioris infra annum vendere teneatur. Quod si forte facere renuerit; ipse Prior eadem bona Communitati sui Conventus indilate cum effectu applicet, sub poena Proprietariorum, tam Prioribus quam Fratribus in praemissis negligentibus ipso facto infligenda.

Infra Rubrica XXVIII De sigillis addatur.

Statuimus quod ex nunc in antea Fratres habentes gratias a Priore Generali, vel Provinciali, sub quocumque verborum tenore, copiam illarum omnium gratiarum Prioribus Provincialibus vel Localibus, aut eorum Vicarijs cum effectu dare teneantur; si tamen in praesentia (10-a) Conventus, aut majoris partis ab eisdem requirantur: sub poena perditionis omnium gratiarum a suis superioribus eis concessarum. Datum ut Supra.

Haec est Tabula Ordinationum, constitutionum et Diffinitionum, quas nos Fr. Bernardus humilis Prior Generalis et Servus Fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmeli; et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Podii Anno Domini M . CCC . LXXV . X die Mensis Junij in Festo Pentecostes celebrati Ordinis praedicti, fecimus de ijs quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto et approbato in ordine praedicto.

In quo Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres subsequentes, videlicet Diffinitores Prov. Siciliae Fr. Henricus a Sicilia, Prov. Angliae Mag. Jo : Quinimguam (1) Prov. Narbonae Mag. Ste-

(1) Johannes Quinimguam i. e. Johannes Cunningham, Kynningham, e Gippeswico (Ipwich) oriundus in pueritia orbatus Oxoniis lauream doctoralem adeptus est. Is inter primos erat qui contra nascentes Wiclifi errores et haereses surgeret, contra quem ter disputavit, interfuit

phanus Gyleti Prov. Romae Fr. Johannes de Septimo Prov. Franciae Mag. Johannes de Corbolio, Prov. Alemaniae Inferioris Mag. Symon de Spira, Lombardiae Fr. Philippus de Parma, Aquitaniae F. G. de Bello Monte, Prov. Hispaniae Mag. P. Alberti, Prov. Hiberniae Fr. Robertus de Hibernia (1) Prov. Prov. Provinciae Fr. P. de Arelata, Scotiae Fr. Adam de Scotia (2) Prov. Tusciae Fr. Johannes Bartholi (3), Bononiae Fr. Johannes de Verona. Tholosae Mgr. Bernardus Aureoli, Cathaloniae Fr. Raymundus Calvonis, Prov. Alemaniae Superioris Mag. Conradus (4) Prov. Vasconiae Magr. Guillelmus Arnaldi Provincialis.

De quorum omnium unanimi et concordi consensu fuit diffinitum et ordinatum, quod pro communibus Ordinis negotjis solvantur taxationes sequentes: Prov. Terrae Sanctae XX flor. de Florentia, Prov. Siciliae XV, Prov. Angliae XXX, Prov. Narbonae XX, Prov. Romana XXV, Prov. Franciae XXXV, Prov. Alemaniae inferioris XVI, Prov. Lombardiae XV, Prov. Aquitaniae XIIII, Prov. Hispaniae XII, Prov. Hiberniae XV, Prov. Provinciae XII, Prov. Scotiae XV (10-b), Prov. Tusciae XV, Prov. Bononiae XV, Prov. Tholosae XII, Prov. Cathaloniae XVI, Prov. Alemaniae Superioris XII, Prov. Vasconiae XVI.

De praedicta taxatione debent solvi Priori Generali pro vestiario suo et suorum Sociorum C flor., Magr. Regenti Parisius XV flor. Biblico ibidem legenti VIII, Conventui Parisius pro

---

conciliis Londinensi et Stamfordiensi in quibus condemnatae sunt. Anno 1393 in capitulo apud Yarmouth congregato provincialis electus fuit et non Anglicam solum sed etiam hibernicam provinciam per sex annos gubernavit. Pollebat venerandus doctrina, moribus, lenitate atque quadam naturali comitate et spiritus mansuetudine (Balaeus). Obiit Eboraci 12 Maji 1399. Plura scripsit quorum principaliora nempe determinationes contra Wiclifum adhuc extant in cod. Bodley (Oxoniae) 86 et in opere « Fasciculi Zizaniorum » (Rolls' Series) Londini 1858 publicata sunt.

(1) Robertus de Hibernia, Qtal (Quital).

(2) Adam Sper.

(3) Johannes Bartoli de quo Necrologium florentinum ait: sacerdos et cantor ac praedicator et venerabilis religiosus octuaginta sex annos aetatis et 68 in ordine habens obiit Florentiae 15 Junii 1396 et fuit hujus libri (Necrologii) inventor et inceptor.

(4) Magister Conradus. Teleonarius (Zollner).

censibus ejusdem L. Pro salario famulorum Prioris Generalis XII, Pro loco Procuratoris Generalis Ordinis in consistorio D.ni Papae V, Item Procuratori Generali Saeculari in Audientia Dni Papae VI, Advocato Generali Ordinis in Consistorio Dni Papae XII flor, Janitoribus 1. et 2. Portae Palatij Dni Papae VII flor, de quibus Janitores 1. Januae III et Janitores 2. Januae habebunt IIII flor, Item Mgr. Regenti in Curia XV, Item procuratori Generali Ordinis XXV, Item Bacchalario legenti in Curia V. Item legenti Philosophiam ibidem III flor.

In dicto autem Capitulo remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus Mgr. Bernardus Olerij.

Sequitur Priorum Provincialium Institutio. Ordinamus et instituimus Priorem Provincialem Terrae Sanctae Fr. Dominicum de Bocerello (1) Priorem Prov. Siciliae Fr. Leonem de Sacca, Priorem Prov. Angliae Fr. Thomam Brom, Priorem Prov. Narbonae Fr. Stephanum Gyleti, Priorem Prov. Romanae Fr. Bernardum de Roma, Priorem Prov. Franciae Fr. Jo: de Corbolio, Priorem Prov. Alemaniae Inferioris Fr. Thilmanum de Nucia, Priorem Prov. Lombardiae Fr. Petrum de Brixia, Priorem Prov. Aquitaniae Fr. G. de Bello Monte, Priorem Prov. Hispaniae Fr. Petrum Alberti, Priorem Prov. Hiberniae Fr. Robertum Quitál, Priorem Prov. Provinciae committimus Priori Generali, Priorem Prov. Scotiae Fr. Adam Sper, Priorem Prov. Thusciae Fr. Jo. de Septimo, Priorem Prov. Bononiae Mag. Michaelem de Bononia, Priorem Prov. Tholosae Fr. Raymundum Germani, Priorem Prov. Cathaloniae Fr. Raymundum Calvonis, (10-c) Priorem Prov. Alemaniae Superioris Fr. Conradum Solver, (2) Priorem Prov. Vasconiae Fr. G. Arnaldi, Procuratorem Generalem Ordinis M.rum Bartholomaeum Payroni, Priorem Parisiensem Fr. Iohannem Morenge, Priorem Curiae Romanae Fr. Petrum Calvini.

Sequitur ordinatio eorum qui in Studio Parisiensi, aut alibi sunt lecturi Sententias:

Ordinamus ad legendum sententias Parisijs: Pro 1.mo loco et anno Fr. Jo: de Mediolano, Pro 2° anno Fr. Franciscum Martini, Pro 3° anno Fr. Fredericum Wagener (3). Pro 4° anno Fr.

(1) Alias de Botorola. Idemne ac Dominicus Achilles?

(2) I. e. Zollner.

(3) Fredericus Wagener, Viennensis, Roberto Bavaro archiduci Austriae a confessionibus, cum Henrico Langenstein de Hassia et

Philippum de Gotulis, Pro 5° anno Fr. Johannem de Colonia vel de Ulreportze (1).

Sequitur ordinatio eorum qui in Studio Parisiensi Bibliam sunt lecturi. Pro 1° anno Fr. Fredericus Wagener, Pro 2° anno Fr. Philippus de Gotulis, Pro 3° anno Fr. Jo: de Ulreportze, Pro 4° anno Fr. Robertus Quital, Pro 5° anno Fr. Bernardus de Cadillaco.

Sequitur Ordinatio eorum qui in Studio Tholosano sunt lecturi sententias: Pro 1° anno Fr. P. de Leves, Pro 2° anno Fr. Joannes Textor, Pro 3° anno Fr. Raymundus Vaquerii, (2) Pro 4° anno Fr. Jo: de Condeto, (3) Pro 5° anno Fr. G. Decani.

Sequitur ordinatio ad legendum Bibliam in eodem studio Tholosano. Pro 1° anno Fr. Raymundus Vaquerii, Pro 2° anno Fr. Jo: de Condeto, Pro 3° anno Fr. Franciscus Ollerij, Pro 4° anno Fr. Jo: de Cypro alias Tonsoris, Pro 5° anno Fr. Blasius Michaelis.

Ordinamus M.rum. Regentem in Curia Romana M.rum Guill. Garini, Item Bacchalarium in eodem Loco Fr. Franciscum Ollerij.

Ordinamus Capitulum Generale post quatuor annos celebrandum in Conventu nostro Brugis Prov. Franciae in Festo Pentecostes.

Committimus autem R. Patri Priori Generali, quod possit licentiare Conventus Ordinis ad vendendum Libros Librariae, qui sunt inutiles, vel duplicati in illa; ita dumtaxat quod pretium

---

Henrico de Hoyta inquisitor haereticae pravitatis, S. theol. doctor parisiensis (lege Bononiensis ubi laureatus fuit anno 1390) et unus de quatuor inceptoribus universitatis Viennensis; transtulit conventum Viennensem de Werdea extra muros ad curiam ducis in civitate, juxta mandatum quod acceperat. Electus provincialis Norimbergae 1389, officio cessit post tres annos. Balaeus ait eum in visitatione Straubingae obiisse (ubi sepultus fuit). Attamen in capitulo provinciali anno 1427 nominatur Lector principalis in universitate Viennensi venerabilis magister S. Theol. Fridericus Wagner. Secundum Balaeum tandem episcopus Patavensis evasit quod tamen haud verisimile videtur.

(1) Johannes de Colonia vel de Ulreportze, fuit lector Coloniae 1371, prior ibidem 1372 et Argentinae (Strassburg) 1375.

(2) Raymundus Vaquerii cf. Monumenta 255.

(3) Johannes de Condeto cf. Monumenta 417.

eorum convertatur pro expensis mutationis Conventus factis vel faciendis, aut pro Aedificatione Ecclesiae, Dormitorij, Claustri, aut Refectorij, seu Officinae Conventus notabili in sumptibus et perpetue.

Etiam committimus eidem quod possit omnia (10-d) facere, quae nos Diffinitores facere possemus; absolutionibus et institutionibus Priorum Provincialium libere sine culpa; et revocatione ad gradum Theologiae in Studio Parisiensi; ac appositione sigilli communis Ordinis dumtaxat exceptis. In quorum omnium testimonium sigilla nostri Generalatus Officij et Communitatis totius nostri Ordinis praesentibus sunt appensa.

Ordinamus quod in Quadragesima faciamus Officium de Beata Maria qualibet septimana, sicut consuetum est fieri extra Quadragesimam; hoc modo quod prima septimana faciamus feria 2ª, si vacaverit; sin autem feria 3ª; et 2ª Septimana faciamus feria 3ª; in feria 3ª feria 4ª; et sic de alijs usque ad ultimam septimanam, in qua nullo modo est faciendum. Dicetur autem Evangelium de Feria, cum Responsoriis proprijs, si quae fuerint, sin autem cum Responsorijs Beatae Mariae; et fiat memoria de feria in Matutinis et Vesperis.

Ordinamus, quod Fratres nostri post prandium et post coenam in Choro et extra Chorum post gratiarum actiones, et post Salve Regina, vel Ave Regina Coelorum, dicant De profundis, Pater noster, Et ne nos inducas, A porta inferi, Domine exaudi, Dominus vobiscum, Oremus Fidelium et Absolve cum Fidelium et Requiescant in pace.

Item ordinamus quod per omnes Conventus Ordinis fiat memoria de S. Anna immediate post memoriam B. Virginis.

Item confirmamus Constitutionem factam contra Proprietarios, campos, agros et vineas habentes.

Ordinamus Conventus Sangossae et Pampilonae Vicariatum, ad instantiam Domini Regis Navarrae. Et committimus Priori Generali, quid possit ponere Vicarium suum, et illum mutare quotiescumque et quandocumque sibi expediens videbitur. Et taxamus praedictum Vicariatum pro communi taxatione Ordinis ad X flor. Florentiae.

Committimus Priori Generali quod possit dispensare super constitutione facta in Monte Pessulano de Provincialibus noviter electis, quod fungantur Officio Provincialatus ante obtentam con-

firmationem Prioris Generalis, et in casu mortis alicujus Provincialis de praesenti dispensamus.

Committimus Priori Generali quod possit committere Prioribus Provincialibus dispensationem et habilitationem Fratrum suarum Provinciarum.

Committimus Priori Generali, quod possit eligere sibi Socios, et illos mutare quandocumque et quotiescumque sibi placuerit.

Committimus Priori Generali quod possit ordinare de locis vacantibus Parisius et Tholosae in Lectura.

Ordinamus quod quilibet Frater Ordinis obtenta licentia quod possit ordinare de bonis suis, habeant aliquid legare pro canonizatione B. Alberti et quod aliter ordinatio non valeat.

Committimus Priori Generali quod possit taxare Provincias Ordinis, conformiter communibus taxationibus secundum magis et minus pro obtinendo loco in quo sepultus est Sanctus Eliseus et pro canonizatione Beati Alberti et Sancti Legati. (1)

(F-a) Committimus Priori Generali quod possit ordinare Constitutiones et jam factas exponere vel revocare.

Retinemus nobis authoritatem usque ad VIII dies.

* * *

Haec est Tabula Ordinationum, Constitutionum et Diffinitionum quas nos Fr. Bernardus humilis Prior Generalis ac Servus Fratrum Ordinis B. Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Brugensi celebrati M. CCC. LXXIX die XXIX[a] Mensis Maij, Ordinis praedicti fecimus de ijs quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto et approbato secundum Ordinem nostrum. In quo Capitulo fuerunt Diffinitores qui sequuntur, scilicet Diffinitor Prov. Terrae Sanctae, Siciliae, Angliae Fr. Thomas Brom Prior Prov. et Mag. in Theologia, Narbonae Fr. Bernardus Calveti (2) Biblicus Parisiensis, Romae, Franciae Fr. Michael Maquier (3) Doctor in Sa-

---

(1) In margine additum est: S. Petrus Thomas.

(2) Bernardus Calveti, Monumenta 424. De quo Balaeus: tolosanus, professor religionis valde antiquus, praedicator egregius plures scripsisse sermones fertur.

(3) Michael Maquier, supra Marquerii.

cra Pagina, Alemaniae Inferioris Fr. Hermannus (1) Doctor Theologiae, Lombardiae Fr. Johannes de Mediolano Bacchalarius in Theologia, Aquitaniae Fr. Luchas Emenus Lector in Sacra Pagina, Hispaniae, Hiberniae Fr. Rogerus Bec Prior Localis, Prov. Provinciae Fr. Bartholomaeus Peyronis Provincialis et Doctor Theologiae, Scotiae Fr. Jo: Frendach Vicarius et Lector Sacrae Theologiae, Thusciae Fr. Laurentius Vannis Lector in Theologia, Bononiae, Tholosanae Fr. Assinus de Albarupe Doctor in Sacra Pagina, Cathaloniae Fr. Philippus Riboti Doctor in Sacra Pagina, Alemaniae Superioris Fr. Albertus Balbus Prior Localis, Vasconiae Fr. Oddo Campanesij Provincialis et Doctor in Theologia.

De quorum omnium unanimi et concordi consensu diffinitum, et ordinatum fuit, quod pro communibus Ordinis negotijs solvantur taxationes sequentes: Prov. Terrae Sanctae XX flors. de Florentia, Prov. Siciliae XV, Prov. Angliae XXV, Prov. Narbonae XX, Prov. Romana XXV, Prov. Franciae XXXV, Prov. Alemaniae inferioris XVI, (11-b) Prov. Lombardiae XV, Prov. Aquitaniae XIIII, Prov. Hispaniae XII, Prov. Hiberniae XV, Prov. Provinçiae XII, Prov. Scotiae XII, Prov. Thusciae XV, Prov. Bononiae XV, Prov. Tholosae XII, Prov. Cathaloniae XVI, Prov. Alamaniae Superioris XII, Prov. Vasconiae XVI, Prov. Neapolitana XX, Vicariatus Flandriae XX flor.

De praedicta taxacione debent solvi R.do Mgr. Priori Generali pro vestiario suo et suorum sociorum C flor, Mgr. Regenti Parisius XV, Biblico ibidem legenti VII, Conventui Parisiensi pro censibus ejusdem L, Pro salario famulorum Prioris Generalis XII, Pro Loco Procuratoris Generalis Ordinis in Concistorio Domini Papae V, Procuratori Saeculari Generali Ordinis in Audientia D.ni Papae VI, Advocato Generali Ordinis in Consistorio D.ni Papae XII, Ianitoribus 1ae et 2ae Portae Palatij D.ni Papae VII, De quibus Ianitores 1ae Januae III, et Ianitores 2ae Ianuae, habeant IIII, Item Mgr. Regenti in Curia XV, Item Procuratori Generali Ordinis XXV, Item Bacchalario legenti in Curia V, Item legenti Philosophiam ibidem III flor.

---

(1) Hermanus i. e. de Nussia. Prior Aquensis 1354, Wormatiensis 1357, 1361, Francofordensis 1364, provincialis 1366-73, anno 1372 condidit testamentum; 1376 multa aedificat Thenis, 1379 provincialis obiit Bruxellis 24 Maji 1384.

In dicto autem Capitulo remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus Mag. Bernardus Ollerij.

Sequitur autem Priorum Provincialium Institutio.

Ordinamus et instituimus Priorem Prov. Terrae Sanctae Fr. Dominicum de Boterolo, Priorem Prov. Siciliae Fr. Leonem de Sacca, Priorem Prov. Angliae Fr. Robertum Yvoris (1) Priorem Prov. Narbonae Fr. Stephanum Gileti, Priorem Prov. Prov. Romanae Fr. Bernardum de Roma, Priorem Prov. Franciae Fr. Johannem de Corbolio, Priorem Prov. Alemaniae Inferioris Fr. Hermannum de Nucia, Priorem Prov. Lombardiae Fr. Jo. de Mediolano, Priorem Prov. Aquitaniae Fr. Guill. de Bello Monte, Priorem Prov. Hispaniae Fr· Raymundum Ferrarij, Priorem Prov. Hiberniae Fr. Robertum Chieltal (2) (ll-c) Priorem Prov. Prov. Provinciae Fr. Peorium (Petrum?) Galesini, Priorem Prov. Prov. Scotiae Fr. Johannem de Fermdrach (3), Priorem Prov. Prov. Thusciae Fr. Laurentium Vannis, Priorem Prov. Prov. Bononiae Fr. Michaelem de Bononia, Priorem Prov. Prov. Tholosae Fr. Bernardum Aureoli, Priorem Prov. Prov. Cathaloniae Fr. Philippum Riboti, Priorem Prov. Prov. Alemaniae Superioris Fr. Conradum de novat curat (4) Priorem Prov. Vasconiae Fr. Oddonem Campanesij, Priorem Prov. Prov. Neapolitanae Fr. Bartholomaeum Peyroni.

Committimus Priori Generali quod possit ordinare Procuratorem Generalem et Priorem Curiae Romanae et Magistrum Regentem ibidem, et Priorem in Conventu Parisiensi ; et illos mutare quando sibi placuerit.

---

(1) Robertus Yvoris, Cantabrigiensis ibidem prior 1372, electus provincialis Oxoniae 1379 provinciam gubernavit 14 annos quo tempore Michael Bononiensis provinciam visitavit et capitulum Norvicae celebravit (5 Jan 1383). Orator insignis, theologus profundus, omnes ad studium et pietatem animavit; sibi semper in mensa parcus, aliis liberalis. Extra refectionis tempus orationi, lectioni, disputationi, causis ordinis discutiendis vacabat, maximum incrementum sub illius regimine vita regularis accepit. (Balaeus). Obiit Londini 5 Nov. 1392.

(2) I. e. Quital.

(3) Johannem de Ferndrach-Frendraugh.

(4) Conradus de Novat Curat i.e de Nova Civitate qui supra Telonearius, Zollner, nuncupatur.

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Parisiensi Sententias sunt lecturi.

Ordinamus ad legendum sententias Parisius, Pro 1. anno Fr. Bernardum Calveti, Pro 2. anno Fr. Johannem de Aquis, Pro 3. anno Er. Johannem de Condeto, Pro 4. anno Fr. Johannem de Salesio.

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Parisiensi Bibliam sunt lecturi.

Ordinamus ad legendum Bibliam Parisijs Pro 1. anno Fr. Johannem de Condeto, Pro 2. anno Fr. Johannem de Salesio, Pro 3. anno Fr. Jvonem Boyich, (1) Pro 4. anno Fr. Matthaeum de Bononia (2).

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Tholosano Sententias sunt lecturi.

Ordinamus ad legendum sententias Tholosae Pro 1. anno Fr, Guill. Decani Pro 2. anno Fr. Pro 3. anno Fr. Rostagnum Pharandi (3), Pro 4. anno Fr. Johannem Boverij. (4)

Sequitur ordinatio eorum qui in studio Tholosano Bibliam sunt lecturi.

Ordinamus ad legendum Bibliam Tholosae Pro 1. anno Fr. Johannem Boverij, Pro 2· anno Fr. Petrum de Ganiaco, Pro 3. anno Fr. Bernardum de Monte Acuto, Pro 4. anno Fr. Pontium Bordi (5), Item pro 5. anno Fr. Anthonium de Janua.

(11-d) Committimus Priori Generali quod possit ordinare de

---

(1) Ivo Boyich cf. Monumenta 396.

(2) Mathaeus de Bononia. Monumenta 255. Lauream magistralem accepit Bononiae 1405.

(3) Rostagnus Pharandi seu Farandi. Anno 1388 diffinitor provinciae Provinciae et prior curiae romanae in obedientia Clementista; 12 Oct. 1393 obtinet licentiam, qua provincialis Provinciae, accipiendi quatuor loca in provincia Viennensi. Eubel, Avignon-Obedienz, Paderborn 1900. n. 545, 759.

(4) Johannes Boverii (alias Boerii). Quaeritur idemne ac Johannes Boquerius, Narbonensis doctor, quem Balaeus refert fuisse episcopum Vaprensem, cujus memoria extat in conventu Biterrensi. Obiit anno minime expresso sed circa 1400, paulo ante vel post. Secundum Balaeum erat consanguineus, potius frater Raymundi Vaquerii, quod tamen improbabile videtur. Notandum Balaeum indiscriminatim scripsisse Boquerius pro Vaquerius et vice versa.

(5) Pontius Bordi, de quo Balaeus pluribus in locis scribit. « In

locis vacantibus Lecturae Bibliae et Sententiarum, tam Parisijs quam Tholosae.

Ordinamus quod amodo in 2. Rubrica ubi dicitur, quod in Ordine nostro sint XIX Provinciae, dicatur quod sint XX et quod vigesima sit Neapolitana cui assignamus Conventus sequentes; videlicet Capuanum, Adversanum, Neapolitanum, Criptae Maynardae, Baguli, et Ardrevillae: dividentes eos a Provincia Romana. Committentes Priori Generali, quod dictos Conventus possit reunire Prov. Romanae et dictam Provinciam annullare quotiescumque et quandocumque sibi visum fuerit hinc usque ad sequens Capitulum Generale.

Item ordinamus, quod de Conventibus Brugensi, Gandensi, et Iprensi et de alijs quibuscumque Conventibus infra Flandriam recipiendis fiat Vicariatus Generalis, et solvet pro communi taxatione Ordinis XX Florenos.

Ordinamus, quod dictus Vicariatus immediate subjaceat authoritati Prioris Generalis; et quod Ipse libere possit in illo ponere et ordinare Vicarium quemcunque voluerit, et illum absolvere et mutare quandocumque expediens videbitur usque ad instans Capitulum Generale.

Committimus Priori Generali, quod possit dictum Vicariatum taxare ad certam pro Communitate Ordinis taxationem solvendam et pro vestiario Vicarij.

Item reunimus Conventus Pampilonae et Sangosae Prov. Hispaniae.

Item in Rubrica XVI de studijs et studentibus, ubi dicitur quod in Ordine nostro sint XIIII Studia Generalia, ordinamus quod sint XVI et decimum quintum sit Valentiae et XVI sit Pragae.

---

introitu chori conventus Carcassonae requiescit magister frater Pontius Bordi qui inter laureatos in s. pagina doctores floruit apud suos et in suis actibus secundus Guido (terreni) visus est. Hic per multa annorum curricula in Romana curia (i. e. Avinione) stetit, ubi non sine laude ordinem et habitum Virginis diu protexit. De curia tandem cum honore evocatus eligitur provincialis provinciae Narbonae (saltem anno 1411, forte jam antea) non sine totius ordinis gratulatione. Hic construxit coenobium Carcassonae et obiit in eodem anno Domini 1417 (die non expresso) hora vespertina sublatus a saeculo ». Anno 1388 mentio habetur « Pontii Burdi procuratoris generalis » (Eubel, l. c. n. 545).

Item ordinamus quod Magistrantes Tholosae habeant a Provincia sua LX flor; qui legunt Sententias habeant XX flor; et qui legunt Bibliam habeant XII florenos.

Item in Rubrica XXV (1) de Capitulo Generali § o. omnes Priores Provinciales, etc., ubi dicitur: quorum etiam trium unus in Capitulo Provinciali sit electus in Diffinitorem Capituli Generalis: quod sequitur abradatur; sic quod si abesse contigerit, tunc ille qui fuit in 2.um Diffinitorem electus sit in eodem Capitulo habendus esse Diffinitor, si praesens fuerit, alioquin tertius eorum sit diffinitor si praesens fuerit ut altero alteri succedente saltem ex tribus, etc., ut sequitur.

Item in Rubrica XXIX de electionibus post § um. Item statuimus quod nullus possit eligi in (12 a), Diffinitorem, etc., addatur : Item ordinamus, quod nullus possit eligi in Socium Prioris Provincialis ituri ad Capitulum Generale qui de facto fuerit electus Socius Prioris Provincialis pro Capitulo Generali immediate praecedenti etiamsi dicto Capitulo electus non interfuerit aut non iverit.

Committimus Priori Generali, quod possit super constitutionibus Ordinis dispensare, et illas exponere et declarare et ad vendendum dupliciores libros librariae Conventus cujuscumque licentiare. Aç etiam quod possit omnia ordinare et facere, quae nos Diffinitores facere possemus ; absolutionibus et institutionibus Priorum Provincialium libere et sine culpa, et revocatione a Gradu Theologiae Parisius et Tholosae, sine rationabili causa requirente et appositione communis Sigilli Ordinis solum et dumtaxat exceptis.

Committimus Priori Generali quod possit sibi eligere Socios et Procuratorem Generalem quoscumque, et illos mutare quando sibi placuerit.

Ordinamus instans Capitulum Generale hinc ad tres annos celebrandum in Conventu Argentinensi Provinciae Inferioris Alemaniae.

Committimus Priori Generali quod idem possit mutare quoad tempus et quoad locum, quandocunque et quotiescumque sibi placuerit.

---

(1) Constitutiones 1369. Vide supra p. 52 n. 3. Habetur etiam copia in Archivio Ordinis.

Et nos supradicti Diffinitores perhibemus testimonium veritatis supradicto R.do Magr Bernardo Priori nostro Generali, quod in praedicto Capitulo per nullum fuerit accusatus, neque de aliqua culpa reprehensus, sed per omnes postulatus et confirmatus in suo Officio Generalatus. Et quod reddidit nobis fidele computum de omnibus taxationibus, et de Deposito Ordinis per ipsum receptis; et de omnibus quae ipse pro et per se exposuit; et reperimus, quod comprehendendo in computis suis illas expensas quas M.gr Bartholomaeus Peronii (1) Procurator Ordinis fecit de Avinione eundo Romam, Neapolim et Fundis, et in praedictis locis stando, et ad Avinionem pro Capitulo Generali reveniendo quae expensae supercrescunt receptas in C. C. LIX flor; in quibus Ordo veraciter obligatur supradicto R.do Priori nostro Generali. Et ultra hoc reperimus, quod (12 b) Mag. Nicholaus de Lucha (2) Regens in Roma, et locum tenens Procuratoris Ordinis exposuit de Mediolano eundo Romam, et pro infirmitatibus suis et pro aliquibus factis Ordinis LXXXVIII flor. Et quia Ipse recepit aliquas taxationes Prov.ae Romanae, et fuit absens a Capitulo; Ipse Mag. Nicholaus de supradictis suis expensis et receptis habet adhuc computare cum R.do Mr. Ordinis. In cujus rei. etc. Datum ut supra.

---

(1) I, e. Peyronis.

(2) Nicholaus di Luca. Non parva difficultas oritur ex confusione duorum virorum. Magister Nicholaus de Luca ab anno 1377 usque 1379 erat regens in conventu Romae et locum tenens procuratoris generalis; anno 1381-1385 procurator ordinis et regens propter defectum alterius electi; 1385 provincialis Romae; anno 1399 memorantur quaedam debita quae nomine ordinis contraxit. Ex Bullario I, 126 habes eum qui Nicolaus Cromes de Luca nominatur Parisiis lectorem fuisse et tunc temporis (3 Dec. 1365) Mediolani regens studii extitisse, unde Thomas de Padua licentiam accipit ipsi magisterium conferendi. Idem ad instantiam Johannis de Gandavo ducis Lancastriae Indulgentiam obtinet pro iis qui Carmelitas « Fratres Beatissimae Mariae Genitricis Dei de Monte Carmelo » appellaverint (Bullar I, 142). Idem etiam commendatur gremialibus capituli Veronae (24 Martii 1384, Bull. I, 148).

Andreas Nicholai de Luca nominatur sententiarius (pro forma) Papiae pro 1396; biblicus ibidem pro 1398; 1399 primus socius generalis; 1405 diffinitor et provincialis Franciae (titularis) necnon procurator ordinis in curia romana; 1411 magister regens in curia et procurator generalis. In capitulo provinciali Tusciae anni 1409 fungitur officio secundi diffinitoris et nominatur regens Lucae; anno 1413 « provincialis habeat informationem qualiter magister Andreas

Noverint universi, quod nos Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Brugensi, XXIX die Mensis Maij Anno D.mi M. C. C. C. LXXIX celebrati, perhibemus testimonium veritatis R.do Mr. Bernardo Priori nostro Generali, quod reddidit nobis fidele computum de omnibus et singulis taxationibus Ordinis et Deposito Ordinis receptis per ipsum; et de omnibus expositis pro Ordine, et per ipsum expensis; et in primis reperimus quod non receperat in universo a Capitulo Podij citra nisi M. LXXXVI flor, et ab alia parte de antiquo debito provinciae Cipri XL; et ab alia parte de Deposito Ordinis CXLIIII flor.s; et sic tota summa ascendit ad M. CC. LXX flor. Et ab alia parte reperimus, quod exposuit Ipse R.us Mgr. Ordinis pro faciendis Ordinis MCC. XLI flor.s; et ab alia parte exposuit Mgr. Bartholomaeus Peyroni, eundo Romam et ibidem stando et eundo Neapolim et Fundis, et ibidem stando et veniendo ad Capitulum Generale usque ad Avenionem CC. LXXXVIII flor.s; et sic aequatis receptis expensis, et substractis substrahendis, reperimus, quod expensae supercrescunt receptas in C. C. LIX flor.s; in quibus Ordo veraciter obligatur R.do Mgr. Ordinis. Item ab alia parte Mag. Nicholaus de Luca Mag. Regens in Roma, et locum tenens Procuratoris exposuit pro faciendis Ordinis, et pro expensis ejus eundo de Mediolano Romam; et pro infirmitatibus ejus LXXXVIII flor.s; sed quia ab alia parte Ipse recepit aliquas taxationes a Provincia Romae et adhuc debet recipere; et R.us Mag. Ordinis non computaverit cum dicto Mag. Nicholao; ideo ista expensa non ponitur neque includitur infra supradictas expensas; quemadmodum nec sua recepta infra supradictam receptam. In quorum

---

Nicholai de Luca sit conventualis in provincia et si ostenderit sufficienter habeat florenos 8 pro regentia in conventu Lucae. » Anno 1414 nominatur tertius diffinitor et regens Lucae, et in primo capitulo anni 1415 iterum regens, in secundo ejusdem anni primus diffinitor et secundus socius pro capitulo generali instanti. Unde liquet istos viros, Nicholaum de Luca et Andream Nicolai de Luca omnino diversos fuisse. Difficultas non parva oritur ex eo quod Alexander V die 6 Sept. 1409 Andream (Nicolai) de Lucha ord. Carmel. mag. theol. nominaverit archiepiscopum atheniensem (Eubel, Hierarchia, I 116). « Hic procul dubio, ait Daniel (Specul. Carmel. II, 909) fuit Andreas Nicolai Lucensis. » Dubitatur tamen utrum munus consecrationis assecutus fuerit, et revera numquam in nostris fontibus intitulatur archiepiscopus ; attamen 2 Aug. 1426 Ioh. Antonii ad eandem ecclesiam promovetur « per obitum Andreae vacantem. »

omnium testimonium Sigillum Communitatis Ordinis praesentibus est appensum.

(12-c.) In nomine Domini. Amen.

Haec est Tabula Actorum Capituli Generalis Fratrum Ordinis Sanctae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, in festo Pentecostes Veronae celebrati, Anno D.ni M. C. C. C. LXXXI post depositionem Mri. Bernardi Olerij ab Officio Generalatus, per Sanctissimum Dominum nostrum D.um Urbanum Divina Providentia Papam Sextum (1).

In quo Capitulo 1° ab omnibus de Gremio unanimiter in Priorem Generalem nostri Ordinis fuit electus Mag. Michael de Bononia; et secundum nostri Ordinis instituta in Priorem Generalem pronunciatus. In quo quidem Capitulo Generali Diffinitores fuerunt infrascripti, scilicet: Diffinitor Prov. Siciliae Fr. Leo (2) Provincialis Siciliae, Diffinitor Prov. Angliae Prov.is Angliae, Diffinitor Prov.ae Narbonae R.dus Magr. Philippus de Florentia (3). Diffinitor Prov.ae Franciae R.dus Mag. Iohannes Bonus de Padua, Diffinitor Alemaniae Inferioris R.dus Magr. Hermanus (4) Provincialis, Diffinitor Prov.ae Lombardiae R.dus Magr. Dominicus de Cremona, Diffinitor Prov.ae Aquitaniae R.dus Mag.r Quablob, (5) Diffinitor Prov.ae Romanae R.dus Mag.r Nicholaus, (6) Procurator Ordinis, Diffinitor Prov.ae Hispaniae R.dus Mag.r Raynerius de Prato, Diffinitor Prov.ae Hiberniae R.dus

---

(1) Videantnr Bullae Urbani VI, datae 19 April. 1380 (Bull. I 145) quibus Michael de Bononia instituitur Vic. Generalis loco Bernardi Olerii, et Ordini commendatur; 21 Oct. 1380 (ib. 146) qua licentiam accipit, supplendi voces eorum, qui nollent aut nequirent ad Capitulum accedere, i. e. Clementinae adhaeserunt 9 April. 1380 (debuit scribi 1381, anno 4°, ib. 143,) quibus hortantur ut eligant Generalem, Indulgentiae conceduntur, necnon licentia eligendi Confessores.

(2) Frater Leo [de Sacca].

(3) Philippus de Florentia, i. e. Philippus Iambonis Cennis. Notandum hic et in sequentibus capitulis per quandam fictionem iuris loca vacantia provinciarum Clementi VII et suo successori adhaerentium suppleta esse per religiosos aliarum provinciarum obedientiae romanae.

(4) Hermanus de Nussia qui postea etiam de Vichia vel de Nichia appellatur.

(5) Quablob. Gulielmus Quaplod, Lincolniensis seu Eboracensis, deinde episcopus Deriensis; anno 1423 jam mortuus.

(6) Nicholaus i. e. de Luca.

Mag.r Gullielmus Botashin (1), Diffinitor Prov.ae Provinciae R.dus Mag.r Iohannes de Raude (2), Diffinitor Prov.ae Scotiae R.dus Magister Lanfrancus de Luca, Diffinitor Prov.ae Thusciae Fr. Franciscus de Sylvis, Diffinitor Prov.ae Bononiae Fr. Moretus de Venetiis (3), Diffinitor Prov.ae Cathaloniae Fr. Gervasius de Mediolano, Diffinitor Alemaniae Superioris R.dus Mag.r Gradus (4) Prov.is, Diffinitor Prov.ae Vasconiae R.dus Mag.r Wulielmus de Ponte (5).

(12-d) Qui Diffinitores infrascriptos Provinciales instituerunt et ordinaverunt scilicet.

Prov.em Terrae Sanctae Fr.m Dominicum Achille (6). Prov.m Provinciae Siciliae Fr. Leonem de Sacha, Prov.m Prov.ae Angliae R.dum Mag.m Robertum Yvori, Prov.m Prov.ae Narbonae Fr. Gervasium de Mediolano, Prov.m Prov.ae Romane Fr. Laurentium Vannis, Prov.m Prov.ae Franciae R.dum Mag.m Iohannem de Morengia, Prov.m Prov.ae Alemaniae Inferioris R.dum Mag.m Hermanum de Vichia (Nussia), Prov. Prov.ae Lombardiae R.dum Mag.m de Raude, Prov.m Prov.ae Aquitaniae R.dum Mag.m Guill.m de Ponte, Prov.m Prov ae Hispaniae R.dum Mag.m Lanfrancum de Lucha, Prov.m Prov.ae Hiberniae Fr. Robertum Knildall, (7) Prov.m Prov.ae Provinciae R.dum Mag.m Dominicum de Cremona, Prov.m Prov.ae Scotiae R.dum Mag.m Mindalcon, (8) Prov.m Prov.ae Thusciae R.dum Mag.m Philippum de Florentia, Prov.m Prov.ae Bononiae R.dum Mag.m Bernardum de Bononia (9) Prov.m Prov.ae Tholosanae R.dum Mag.m Raynerum de Prato, Prov.m Prov.ae Cathaloniae Fr. Moretum de Venetijs, Prov.m Prov.ae Alemaniae Superioris

---

(1) Gulielmus Botashin, i. e. Bottisham cujus sepultura in conventu Londinensi memoratur.

(2) Iohannes de Raude cf. monumenta 255. Angliam visitavit anno 1392.

(3) Moretus de Venetia.

(4) Rev. mag. Gradus i. e. Conradus Telonearius [Zollner].

(5) Videtur Gulielmus de Pontefracto, Anglus, de quo etiam in sequentibus.

(6) Idem ac Boterello.

(7) Robertus Knildall i. e. Quital.

(8) Mindalcoln i. e. Malcolm.

(9) De Anguanis (Mon. 254) Supra ad annum 1385 frater Germanus Michaelis De Bononia seu de Anguanis.

R.dum Mag.m Ailnir, (1) Prov.m Prov.ae Vasconiae R.dum Mag.m Gulielmum Quaplod. Ordinaverunt Vicarium Flandriae R.dum Mag.m Hermanum de Nichia. Priorem Romanae Curiae Fr. Franciscum de Silvis (2) de Prov.a Thusciae (13 a) Priorem Conventus Parisiensis Fr. Petrum de Hosburg, (3) Priorem Conventus Burgensis Fr. Theodericum de Cellis, (4) Procuratorem Romanae Curiae R.dum Mag.m Thomam de Malidona, (5) Subpriorem Romanae Curiae Fr. Nicolaum de Aversa, Bachalarium Romanae Curiae Fr. Robertum Marschar, (6) Lectorem.

Item in praefato Capitulo praedictus Prior Generalis revocavit omnes gratias per quoscumque suos Praedecessores alicui Fratri Ordinis concessas.

---

(1) Mag. Ailnir i. e. Zollner (Telonearius).

(2) Francischus de Silvis, de quo Necrol. florent. sub 31 Dec. habet sequentia « Francischus Bartholi, Sacerdos lector, praedicator bonus obiit Romae procurator curiae romanae 1382. »

(3) Petrus de Hosburg. Videtur fuisse Petrus de Beidtburg, prov. Alemaniae Inferioris qui anno 1361 Parisios ad studium missus fuerat; anno 1348 fuerat prior Trevirensis, 1368 prior Spirensis, obiit 1389 Moguntiae. Ceterum ista nominatio ad conventum Parisiensem videtur potius titularis quia conventus ille capitulo generali obedientiae romanae nullatenus subjacebat.

(4) Theodoricus de Cellis, lector et prior Bruxellensis obiit anno 1385 vel 1386. Necrol. bruxell.

(5) Thomas de Malidona. Thomas de Maldon, natus et professus in oppido Maldon in comitatu Essexae studiis tum Londini (ubi anno 1352 acolytus ordinatus fuit) cum Cantabrigiae incumbebat; ibi anno 1369 priorem agebat quo tempore probabiliter uti moris erat, magisterium adeptus est. Anno 1394 obtinuit indulgentiam plenariam in articulo mortis. Obiit in suo conventu nativo 1404. Reliquit inter alia scripta panegyricos quorundam patrum in eorum inceptione magisterii.

(6) Robertus Marschar. Robertus Mascall, e Cambria oriundus, conventus de Ludlow prior Londinensis, confessor Henrici IV. Anno 1401 24 Jan. nominatus ad episcopatum Midensem in Hibernia, sed munus consecrationis non accepit quia isti episcopatui alias per nominationem Roberti Montain provisum fuit, unde rex Roberto Mascall varia emolumenta pro manutentione apud curiam regalem concessit. 26 Maji 1402 signavit instrumentum pro matrimonio principis Henrici cum principessa Sueviciae. 2 Julii 1404 nominatur episcopus Herefordiensis in Anglia et 25 Sept. ejusdem anni sibi restituuntur temporalia praedicti episcopatus. Secundum Le Neve juramentum obedientiae praestitit Coventriae 28 Sept. sed videtur error in die vel anno cum eo tempore ultra mare in quadam nuntiatura occupatus fuerit. Dum in Angliam rediret a Middleburgh a piratis accersitur; nautae manibus armatis resistentes in mare projecti sunt, et ipse

Item idem gratiose omnem fratrem incarceratum libere absolvit a carceribus, et ab omni poena corporali, quibus fuisset hactenus judicatus. Restituens locum et vocem omnibus ipsis privatis, habilitans omnes inhabiles ad omnes gradus et officia, quantum sua se extendit potestas.

Item ordinaverunt praedictus Generalis, cum dictis Diffinitoribus, quod Provinciales noviter instituti in Provincijs schismaticis, in suis Provincijs nativis moram possint trahere, donec ad sibi commissas Provincias poterunt accedere. Et interim in ipsis locum et vocem habeant active et passive ac si Provinciales non essent.

Item ordinaverunt, quod Diffinitores assumpti ad Officium Diffinitionis Generalis Capituli per Vicarium Ordinis potestate Domini Papae sibi concessa, quod in sequenti Generali Capitulo ad ejusdem Diffinitionis Officium valeant eligi per suas Provincias; cum nunc non sint juxta morem Ordinis electi: sed potestate D.ni Papae.

Item revocaverunt omnem potestatem aliquibus Fratribus cujuscumque Provinciae per aliquod Generale Capitulum datam qua ad libitum sine licentia sui Provincialis aliquem, vel aliquos Conventus possint visitare.

Item damnaverunt ac reprobaverunt Sigilla tam Capituli Generalis, quam Officij Generalis, quibus anteaquam Mag. Generalis Bernardus Ollerij depositus esset per Sedem Apostolicam (13-b) ab Officio Generalatus, nostra Capitula Generalia utebantur, ac ipse Prior Generalis ex nunc ipso facto judicantes falsarios omnes qui praedictis, vel aliquo illorum usi fuerint. Et approbaverunt Sigillum Communitatis nostri Ordi-

---

apud Dunkerque in custodia tenebatur; rex ergo scripsit ducissae Burgundiae pro ejus liberatione quam paulo postea obtinuisse videtur. Pacis et concordiae cultor, praedicator insignis, ut ait Baleaus. Anno 1413 astitit condemnationi Johannis Cobham Lollardi; anno 1415 ad concilium Constantiense designatus absolvitur a rege « de omnibus proditionibus, murdris, etc. » Obiit 22 Dec. 1416, postquam testamentum sub die 23 Nov. confecerat quod 17 Jan. 1416-17 probatum fuit. Sepultus in sua ecclesia conventuali apud Ludlow sub monumento ex alabastro quod etiam in inventario tempore suppressionis memoratur. Scripsit sermones coram rege, sermones vulgares, de legationibus suis, sermones Herefordenses et Salopienses contra Johannem Oldcastel antesignanum Lollardismi in Herefordia. E Biographia Nationali et aliunde. Bullar. **1**, 159, 616 (bis.).

nis nunc in isto Capitulo Veronensi factum, et dantes potestatem Priori Generali ut prout eidem videbitur, novum Sigillum pro Officio Generalatus fabricari faciat.

Item ordinaverunt quod quilibet Frater nostri Ordinis juret fideliter obedientiam et fidelitatem Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, ac S.mo D.no, N.ro D.no Urbano sola Divina Providentia Papae Sexto; et etiam acceperunt juramentum ab omnibus Fratribus, qui in dicto Capitulo interfuerunt, super dicto negotio.

Item statuerunt quod Constitutio quae habetur in fine 4.ae Rubricae Constitutionum, de non dicentibus officium, quoad omnes Provinciales et Priores nostri Ordinis in virtute Sanctae obedientiae, et sub poena rebellionis, inviolabiliter observetur.

Circa studium vero ordinaverunt, scilicet: Primo commiserunt Priori Generali liberam dispositionem Studij, ac Studentium et ordinariarum Lecturarum, tam Bibliae, quam Sententiarum.

Item ordinaverunt sub poena excommunicationis latae sententiae quod nullus ad Lecturam Sententiarum alicubi ordinatus extra Angliam, et Studium Parisiense, examen pro Magisterio subire possit ante completum annum post Lecturam Sententiarum.

Item statuerunt, quod Studentes nostri in Studio Bononiensi in Theologica facultate stantes, per tres annos Lectores sint; et eisdem gratijs et privilegijs quibus Lectores Parisienses utantur; et quod tales Conventui Bononiensi pro contributione octo Ducatos solvant et sic de vita Conventuali sint contenti: Similiter et de Lectoribus ibidem ad legendum ordinatis.

Item ordinavit dictus Prior Generalis Lectorem Bibliae in Bononiensi Studio pro 1° anno Fr. Karlulum de Bononia (1). Item ordinavit dictus Prior Generalis Lectorem Bibliae in dicto Bononiensi Studio pro 2° anno Fr. (13-c) Bartholomaeum de Sacha. Item ordinavit in dicto Conventu Bononiensi Lectorem Bibliae dictus Prior Generalis pro 3° anno Fr. Johannem Abbatuto de Padua.

Item ordinavit dictus Generalis Lectorem Sententiarum in

---

(1) « Vir ingenio et eruditione plenus. Doctor Bonon. 1378 », alius 1405 ?

dicto Bononiensi Studio Pro 1° anno Fr. Johannem Kitchingen. Item pro 2° anno in dicto Bononiensi Studio ordinavit idem Prior Generalis Lectorem Sententiarum Fr. Matthaeum de Bononia. Pro 3° vero anno ibidem ordinavit in Lectorem Sententiarum dictus Prior Generalis Fr. Anthonium de Pignono.

Ordinatum est futurum Generale Capitulum in Prov. Superioris Alemaniae hinc ad quatuor annos; volentes quod Prior Prov.is dicte Prov.ae cum aliquibus honestis et valentioribus Fratribus dictae Provinciae deliberent de Conventu aptiori pro Capitulo praefato, sic tamen quod infra annum notificet Priori Generali locum, quem elegerint pro dicto Capitulo.

Item ordinatum est quod si ante dictum annum pro Generali Capitulo assignatum contingeret Priorem Generalem assumi, mori, vel Officio qualitercumque privari, quod Vicarius Ordinis qui erit secundum nostri Ordinis instituta regat Ordinem usque ad praefatum terminum quatuor annorum; sic quod ex hoc praefatus terminus Generalis Capituli non abbrevietur. Et hoc fecerunt ad parcendum laboribus Personarum et expensis.

Istae sunt pecuniae receptae Comunitatis Ordinis in praesenti Capitulo consignatae. Primo ante depositionem Magr. Bernardi Ollerij recepit Mag. Nicolaus de Luca a Provinciali Bononiae Provinciae suae scilicet Romanae Ducatos 33 cum dimidio.

Receptae post depositionem Mr. Bernardi Ollerij. Primo a Prov. Thusciae pro 2° anno post Capitulum Brugense Ducat. XV, Item a Prov. Lombardiae pro 2° anno, post Capitulum Brugense Ducat. XV, Item a Prov. Angliae pro 2° anno post Capitulum Brugense Ducat. XXX. Item a Prov. Bononiae pro duobus annis post Capitulum Brugense Ducat. XL, (13-d) Item a Prov. Siciliae pro duobus annis post Capitulum Brugense Ducat. XXX. Item a Prov. Inferioris Alemaniae pro 2° anno post Capitulum Brugense Ducat. XVI, Item a Prov. Superioris Alemaniae pro 2° anno post Capitulum Brugense Ducat XII, Item a Vicariatu Flandriae pro 2° anno post Capitulum Brugense Ducat. X, Item a Conventibus Urbis pro parte taxationis communis Romanae Provinciae Ducat XX.

Summa Ducati 230

Expensae factae per Vicarium Ordinis post ipsius institutionem. Primo pro duabus Bullis D.ni. Papae suae institutionis

Ducat XVII, Item pro Sigillo Vicariatus sui Officij Ducat I. Item pro expensis duorum equorum in Roma Ducat III. Item pro quodam Fratre misso per ipsum de Arecio Bononiam Ducat I, Item in uno Cursore, quem misit Mediolanum. Item uni Cursori eidem misso Bonon. ex parte D.ni Papae DucatII. Item uni Pronuntio quem misit de Mediolano ad Prov.les Alemaniae Superioris et Inferioris, ad notificandum Capitulum Generale Veronae celebrandum Ducat XI. Item pro diversis Cursoribus et Litteris missis et receptis Ducat V. Item pro expensis veniendi ad Capitulum Generale de Bononia et redeundi Ducat XX. Item pro expensis Mensae pro ipso Vicario et Socijs et famulis Ducat XXIIII. Item pro expensis Equorum, quos tenuit infra annum Ducat XVI. Item pro perditione trium Equorum Ducat XLI. Item pro Sigillo communi Ordinis noviter facto in Capitulo Generali Veronensi Ducat III. Item pro vestiario suo, Sociorum ac famulorum suorum Ducat. C.

(14-**a**) Infrascriptae sunt expensae factae per R. Magr. Nicolaum de Luca, quando Ordo constituit eum Regentem in Romana Curia, ac Locum tenentem Procuratoris Ordinis. Anno Domini M. C. C. C. LXXVII. In primis de Mediolano usque Romam pro expensis fardelorum, Equorum et aliorum Ducat XXV. Item quando ivit Anagniam sequendo Curiam Romanam; quia Procurator iverat in Siciliam, pro stando ibidem duobus mensibus in eundo et redeundo Ducat XIII. Item pro infirmitate sua, quam passus fuit quinque mensibus Ducat XVIII. Item pro infirmitate Sociorum suorum scilicet Fratrum Laurentij et Francisci de Bononia Ducat 12. Item pro provisione Cathe drae Ducat 15.

M. C. C. C. *LXXVIII*

In primis D.no. Francischino de Papia locum tenenti D.ni. Lodovici Advocati Ordinis Ducat 2. Item Mgro. Bono (1) Procuratori Ordinis Ducat 2. Item Fr. Guilielmo de Ponte Bachalario Conventus pro Bachalariatu suo Ducat 7. Item pro Litteris missis olim Procuratori Ordinis clam Neapolim propter causam motam contra eum Ducat. 2.

Item videns quod non veniebat de ordinatione R.mi D.ni

(1) Johannes Bonus de Padua, et supra fol 12-**c**,

N.ri Protectoris misit Fr.m Perinum de Rocha, (1) cui dedit Ducat VI. Item Ostiarijs D.ni nostri Papae Ducat V. Item pro Litteris missis R. Mag. Ordinis ac receptis in toto tempore praemisso Ducat 3. Item quia per medium annum non habuit pictantiam, nec potagium, nec ignem, penitus nisi panem et vinum Ducat XII. Item pro provisione Cathedrae et Procurariae Ducat 30.

(14-b) Anno D.ni M. C. C. C. LXXIX factus Mag. Nicolaus de Luca Procurator Ordinis et Regens, propter defectum alterius in Capitulo Brugensi.

In primis ne Prov.lis Romanus esset Prov.lis per Dominum Papam exposuit Ducat 2. Item contra Mgr. Rogerium ex Officio exposuit Ducat 3. Item quoniam fuit male tractatus in Medicinis et Medicis Ducat 2. Item propter dictum scandalum stetit in Hospitio juxta S.tum Petrum duobus mensibus et ultra Ducat 12. Item Notario Auditoris, scilicet S. Jacobo De la Mola pro dicta quaestione Ducat 3. Item in isto anno fuerunt infirmi Ipse et Socius suus pro pluribus vicibus Ducat 6. Item quia pluribus vicibus notificavit per plures et plures nuntios Generali Ordinis notificando causam motam contra eum exposuit ducatos 6. Item quia D.nus Papa mandavit sibi quod mitteret pro Mag. Bernardo Ollerij tunc Priore Generali; et ipse misit Fr. Perinum de Roma usque Mediolanum et fuit infirmus exposuit Ducat. 17.

Prior vero Mediolanensis Frater Gervaxius (2) ista occasione misit unum Fratrem usque Parisios, exposuit Duc. 13, Item in causa agitata contra Mag.rm Ordinis, quae tunc erat coram Domino Paduano Cardinali; quia multi volebant ipsum et Capitulum adunare, exposuit Ducat. 6, Item pro causa Fr. Stephani Prov.ae Romae, qui recessit de Ordine; contra quem fecit ex officio, exposuit Ducat. 7, Item pro causa incoepta contra Ordines Mendicantes, de « Omnis utriusque Sexus » Ducat I, Item constituit Procuratores pro Instrumento Ducat ¹|₁ Item dedit Bachalario scilicet Fr.i Ricardo de (14-c) Anglia pro Bachalariatu suo Ducat 5, Item quia per totum annum non habuerat

---

(1) Infra dicitur Perinus de Roma. Anno 1403 Francischinus de Rocha erat prior Mediolanensis.

(2) De Mediolano.

pictanciam, nisi diebus Dominicis, pro pictancia et cochina Ducat XX, Item pro provisione Cathedrae et Procurariae Ducat 30.

Tempore vero R.di Mag. Michaelis Vicarij Ordinis per Sedem Apostolicam deputati. Pro Instrumento Procurariae Ducat 1/1 Item Cursoribus pro Litteris missis propter mutationem Capituli ut omnes obedirent praefato D.no. Vicario, Ducat 2. Item Portonarijs D.ni N.ri Papae Ducat 9, Item D.no Advocato Ludovico de Placentia Ducat 4, Item Procuratoribus Ducat 3, Item in Cereis magnis pro Domino Protectore Ducat 4, Item pro Festo S.ti Eustachij Ducat 4, Item pro Bulla Suppletionis vocum Ducat 20, Item pro Bullis pro Capitulo Generali Ducat 40, Item Bachalario Fr.i Johanni Kytchin (1) pro Bachalariatu suo Ducat 5, Item pro provisione Officij Ducat 3, Item quia per totum annum non habuerunt nec pictanciam, nec potagium, nec... Ducat 24, Item pro veniendo de Roma ad Capitulum Generale Veronae celebrandum, ac pro redeundo Romam Ducat 36, Item uni Cursori, quem misit Romam propter electionem factam juxta mandata D.ni Protectoris Ducat I.

Summa Ducat. 442 cum dimidio.

Item infrascriptae sunt expensae, quae pertinent ad Ordinem, factae per Fr.m Johannem Scarlatinum, ipso existente Priore Romanae Curiae.

Inprimis pro defensione, et placito, et expensis factis quatuor mensibus causa verberationis R.di M.ri Procuratoris Ducat. 13, Item Procuratoribus qui procuraverunt in dicta causa Ducat 4.

Item pro expensis suprascripti Prioris veniendi et redeundi ad Capitulum Generale Ducat 4, (14-d) Item R.do M.ro Guilielmo Quapled pro Magisterio suo in Romana Curia et suis pictancijs Ducat. 27.

Summa omnium suprascriptarum receptarum in isto Capitulo assignatarum Ducat. 230, Summa omnium expensarum assignatarum Ducat. 740 1/1 .

Remanet ergo in isto Capitulo obligatus Ordo Ducat. 510 1/1

Ex praescripto debito Ordinis, quod est Ducat. 510 debet habere R.us M.r Michael Prior Generalis Ducat. 151, Item M.r

---

(1) De Kizingen.

Nicolaus de Luca Ducat 305, Item M.r Guilielmus Quaplod Ducat 27, Fr. Johannes Scarlatini Ducat 27.

(15 a) Haec est Tabula ordinationum, Constitutionum, Institutionum Officialium et Diffinitionis, quam nos Fr. Michael (1) humilis Generalis etc. Et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Babenbergensi (2) Provinciae Superioris Alemaniae Anno D.ni. M. C. C. C. LXXXV in Festo Pentecostes celebrati, fecimus de eis quae pertinent ad regimen totius nostri Ordinis. In quo quidem Capitulo infrascripti fuerunt Diffinitores, scilicet: Diffinitor Siciliae Fr. Andreas de Petralia, Diffinitor Angliae per Gremium Capituli Generalis assumptus gratiose Fr. Thomas Palagrave (3), Diffinitor Romae Fr. Laurentius Navis, Diffinitor Inferioris Alemaniae Rever.dus Mag.r Johannes Bramach (4) Diffinitor Lombardiae R.dus Mag.s Johannes de Raude (5), Diffinitor Thusciae Fr. Johannes Andreae (6), Diffinitor Bononiae Fr. Thomas de Cantatoribus de Mutina (7), Diffinitor Alemaniae Superioris R. Mag.r Fredericus (8), Diffinitor Vasconiae assumptus gratiose Fr. Petrus Costaldi. (9).

Qui Diffinitores una cum toto Gremio Generalis Capituli confirmaverunt Priorem Generalem, scilicet R.dum Magistrum Michaelem in Officio Generalatus.

De quorum unanimi consensu diffinitum et ordinatum fuit, quod pro communibus negotijs Ordinis solvantur taxationes sequentes, scilicet, Prov.a Terrae Sanctae fl. XX, Prov.a Siciliae fl. XV, Prov.a Angliae fl. XXX, Prov.a Narbonae fl. XX, Prov.a Romae fl. XXV, Prov.a Franciae fl. XXXV, Prov.a Inferioris Alemaniae fl. XVI, Prov.a Lombardiae fl. XV, Prov.a Aquita-

(1) De Bononia.
(2) Nunc Bamberg.
(3) Thomas Palgrave, conventus Sandvicensis, ordinatus Subdiaconus et diaconus mensibus Septembri et Decembri 1370 sub archiepiscopo Cantuariensi Wittleseye, obiit Londini 1417 bacchalarius existens.
(4) Mon. 407 Bramart.
(5) De Rhó, obiit 1404 mense Octobri.
(6) « Johannes Andreae sacerdos et lector et praedicator sepultus est Florentiae 17 Julii 1392 » (Necrol. Florent.).
(7) Modena.
(8) Mag. Federicus (Wagner). Doctor Bononiensis 1390.
(9) Petrus Costaldi (alias Costalli)

niae fl. XIIII, Prov.a Hispaniae fl. XII, Prov.a Hiberniae fl. XV. Prov.a Provinciae fl. XII, Prov.a Scotiae fl. XII, (15-b) Prov.a Thusciae fl. XV, Prov.a Bononiae fl. XV Prov.a Tholosae fl. XII, Prov.a Cathaloniae fl. XVI, Prov.a Superioris Alemaniae fl. XII, Prov.a Vasconiae fl. XVI, Vicariatus Flandriae fl. XII, Conventus Leodij fl. V.

Sequitur ordinatio Priorum Provincialium. Instituerunt Priorem Provincialem: Prov.ae Terrae Sanctae Fr.m Dominicum de Botorola, Prov.ae Siciliae Fr.m Andream de Petralia, Prov.ae Angliae Fr.m M.m Robertum Yvorij, Prov.ae Narbonae Fr.m Gervasium de Mediolano, Prov.ae Romae Fr.m M.m Nicolaum de Luca, Prov.ae Franciae Fr.m Mag.m Raynerium de Prato, (1) Prov.ae Inferioris Alemaniae Fr.m M.m Johannem Brammach, Prov.ae Lombardiae Fr.m M.m Johannem de Raude, Prov.ae Aquitaniae Fr.m M.m Johannem Tartesch, Prov.ae Hispaniae Fr.m M.m Johannem Abbatuto, Prov.ae Hiberniae Fr.m Robertum Chieltal (2) Prov.ae Provinciae Fr.m M.m Dominicum de Cremona, Prov.ae Scotiae Frm M.m Johannem Midilchon, (3) Prov.ae Thusciae Fr.m Laurentium Vanis, Prov.ae Bononiae Fr.m M.m Bernardum de Bononia, (4) Prov.ae Tholosae Fr.m M.m Matthaeum de Bononia, Provinciae Cathaloniae Fr.m M.m Philippum Riboti, Prov.ae Superioris Alemaniae Fr.m M.m Conradum de nova Civitate, (5) Prov.ae Vasconiae Fr.m commiserunt R.do M. Ordinis ut ordinaret quem voluerit, Vicarium Vicariatus Flandriae Fr.m Johannem de Chistella.

Item statuerunt quod Provinciales in Provincijs Schismaticis nunc instituti, in suis Provincijs nativis, possint remanere donec ad commissas eis Provincias possint accedere. Et interim in omnibus electionibus locum et vocem habeant active et passive, ac si Provinciales non fuissent instituti.

(15-c) Istae sunt ordinationes factae per Revr.dum Mag.m Michaelem Priorem Generalem et Diffinitores Capituli Generalis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli, in Generali Capitulo Anno Domini 1384 in Festo Pentecostes Babenbergae celebrato.

(1) Doctor Bononiensis 1390.
(2) Quiltal.
(3) Malcolm
(4) De Anguanis.
(5) Zollner, doctor Bononiensis 1380.

Primo ordinaverunt quod amodo sit Generale Studium in Conventu Viennae Provinciae Superioris Alemaniae; et quod ibidem Studentes per triennium, ac legentes ordinarie Bibliam, aut Sententias, ac doctorati, gaudeant eisdem gratijs, quibus hactenus Lectores nostri Parisiensis Studij ac alij Graduati et Doctorati gaudere consueverunt, dummodo ibidem Graduati, per Priorem Generalem fuerint promoti.

Item ordinaverunt, et in virtute Sanctae obedientiae omnibus Prioribus Prov.bus districte mandaverunt, ut plene observent et observari faciant Constitutionem, quae habetur in Rubrica XVI de Studijs et Studentibus; in qua dicitur: In primis ordinamus, quod nullus Magister, Bachalarius, sive Lector actu legens gaudeat aliqua taxatione, seu vestiario ordinato nisi principiaverit solemniter etc. Quod si secus factum fuerit, ipsi Prov.les de suis Personalibus teneantur reddere Provincijs suis quidquid talibus dabunt, sub poena Proprietariorum.

Item reassumpserunt Librum antiquum Ordinis, et antiquum Sigillum Capituli Generalis, quae in Capitulo Generali Veronensi fuerunt deposita.

Item ad instantiam Generalis renovaverunt constitutionem factam in Generali Capitulo Brugensi, qua dicitur, quod Prior Generalis possit omnia ordinare et facere, quae nos Diffinitores facere possemus; absolutionibus, et institutionibus Provincialium libere et sine culpa, et revocatione a Gradu Theologiae Parisius et Tholosae sine rationabili causa requirente et appositione Sigilli Communis Ordinis solum dumtaxat exceptis.

Item in virtute Sanctae Obedientiae mandaverunt omnibus Prioribus Localibus, seu Praesidentibus, quatenus post prandium pro gratijs reddendis Fratres in communi Refectorio comedentes, ad Ecclesiam faciant cantando pergere.

Item ordinaverunt in virtute Sanctae obedientiae, et districte praecipiendo mandaverunt omnibus et singulis Prioribus vel Praesidentibus in Conventibus, ac omnibus Custodibus Conventuum quatenus omnibus Fratribus nostris infirmis, (15-d) cujuscunque Gradus aut conditionis existant, diligenter provideant, ac provideri faciant, secundum exigentiam infirmitatis eorum, de habitatione, de Ministris, de Medico, et expensis, prout in nostris Constitutionibus, scilicet in Rubrica 43 continetur, ita parvis sicut magnis; sic quod in statu infirmitatis,

nullus sit Status, gradus, aut Personarum acceptatio, sub poena rebellium, tam Prioribus, ac Praesidentibus, Custodibus et quibuscunque contradicentibus vel impedientibus infligenda.

Item in virtute sanctae obedientiae mandaverunt, ne aliquis Prior, Custos, aut frater cujuscumque Gradus, Status, aut conditionis existat, audeat aliquid nomine Conventus recipere, exponere, vel alicui distribuere, nisi infra tres dies talia recepta, exposita, vel distributa, scribantur in Libro Conventus ad hoc deputato: alias de receptis ut fures judicentur; et de expensis ac distributis satisfaciant.

Item ordinaverunt quod Priores Provinciales in Capitulis Provincialibus, absente Priore Generali et ejus Vicario, noviter electi propter mortem Prioris Prov.is praecedentis, habeant statim confirmari per primum Diffinitorem illius Capituli Prov.is vel per secundum in casu quo primus Diffinitor in Priorem Prov.em esset electus.

Item commiserunt Priori Generali ut ordinet de Officialibus Conventus Romanae Curiae, scilicet de Procuratore Generali, Priore, Mag.o Regente, et alijs; et illos, ac quemlibet illorum prout sibi videbitur et quandocumque valeat permutare. Et consimili modo eidem de Socijs ejusdem commiserunt.

Item ad instantiam Prioris Generalis ordinaverunt quod vestiarium Magistri Ordinis, quod erat C fl. amodo sit LXX, vestiarium Sociorum Generalis sit X, vestiarium Procuratoris Ordinis sit X et M.ri Regentis in Curia sit X.

Item ordinaverunt sequens immediate Generale Capitulum in Conventu Silvarum Prov.ae Thusciae ad quatuor annos scilicet in anno M. C. C. C. L.XXX.IX in Festo Pentecostes. Volentes quod si interim contingeret vacare Officium Prioris Generalis quacumque ex causa, quod Generale dictum Capitulum ex hoc non acceleretur, sed usque ad praefixum tempus Ordo per Vicarium Ordinis regatur.

Item ordinaverunt, quod Conventus Leodij subsit R.do Priori Prov.li Inferioris Alamaniae in omnibus, sicut alij Conventus Provinciae praedictae.

(16-a) Infrascriptae sunt receptae taxationum Provincialium Ordinis a Capitulo Generali Veronae celebrato usque ad praesens Capitulum celebratum. Primo a Prov.a Siciliae pro quatuor taxationibus fl. LX, a Prov.a Angliae pro 4 taxationibus fl. CXX,

a Prov.a Romana pro 4 taxationibus fl. C. a Prov.a Alamaniae Inferioris pro 4 taxationibus fl. LXIIII, a Prov.a Lombardiae pro 4 taxationibus fl. LX, a Prov.a Hiberniae pro tribus taxationibus fl. XXVIII, a Prov. Bononiae pro duabus taxationibus fl. XXX, quia alias duas taxationes remiserunt Diffinitores Prov.ae praedictae, propter Provinciam Prioris Generalis in partibus Italiae per duos annos commorantis. A Prov.a Superioris Alamaniae pro 4 taxationibus XLVIII, a Conventu Leodij fl. XV, De bonis Fr.s Johannis de Vineis in Anglia incarcerati fl. IIII.

Istae sunt receptae Subsidij dati Ordini pro solutione debitorum Ordinis. Primo a Prov.a Siciliae fl. LI. Item a Prov.a Angliae fl. CXVII. Item a Prov.a Romae fl. XXXVIII, item a Prov.a inferioris Alamaniae fl. XL. Item a Prov.a Lombardiae fl. XXXVI. Item a Prov.a Thusciae fl. XXI. Item a Prov.a Bononiae fl. XXXIII. Item a Prov.a Superioris Alamaniae fl. LX.

Istae sunt expensae factae pro Communitate Ordinis a Capitulo Generali Veronae usque ad praesens Capitulum.

Expensae primi anni post Capitulum Veronense. Primo pro Sigillo Officij Generalatus per dictum Capitulum noviter facto fl. IIII. Item Fr.i Thomae Quintis pro tunc Socio Generalis, et Martino ejus famulo euntibus cum M.o Ordinis Romam expoliatis in Montopoli fl. XIII. Item in cera et papiris per totum annum fl. III, (16-b) Item diversis Cursoribus per totum annum fl. III. Item pro vectura fardelli Magistri Ordinis de Bononia usque Romam et e converso fl. 5. Item pro vestiario Prioris Generalis fl. C. Item pro vestiario Sociorum et famulorum Mag. Ordinis fl. XII. Item pro vestiario Bachalarij Curiae Romanae fl. 5.

Expensae secundi anni post Capitulum Veronense, Primo pro quadam infirmitate Prioris Generalis fl. 6. Item pro diversis Cursoribus per totum annum fl. III. Item pro cera et papiro per totum annum flor. III. Item pro portitura Libri Communitatis Ordinis et Sigilli de Bruggis usque Bononiam fl. 9. Item pro vestiario Prioris Generalis fl. C. Item pro vestiario Sociorum et famulorum M.ri Ordinis fl. XII.

Expensae tertii anni, quando Generalis recessit ex Italia,

ut visitaret Provincias Alamaniae et Angliae. Primo pro viatico Generalis, Sociorum, ac famulorum de Verona usque ad Augustam fl. XIII. Item pro perditione Equorum fl. XXVII. Item pro cera et papiro per totum annum fl. II. Item pro Cursoribus per totum annum flor. II. Item pro vestiario M.gri Ordinis fl. C. Item pro vestiario Sociorum ac famulorum M.gri Ordinis flor. XII.

Expensae quarti anni. Primo in papiro et cera fl. III. Item pro diversis Cursoribus fl. III. Item pro vestiario M.gri Ordinis fl. C. Item pro vestiario Sociorum ac famulorum M.gri Ordinis fl. XII.

(16-c) Expensae factae per R.dum Magistrum Nicolaum de Luca Procuratorem Ordinis in Romana Curia per quatuor annos ascendunt ad florenos ducentos quinquaginta septem cum dimidio.

Et sic computatis omnibus receptis et expensis, cum debito in quo remansit obligatus Ordo in Capitulo Generali Veronensi, restat nunc Ordo obligatus in florenis CCCXXV cum dimidio.

(16-d) In nomine Domini et Gloriosae Virginis Mariae. Amen.

Haec est Tabula Actorum Capituli Generalis Fratrum Ordinis Gloriosae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, in Festo Pentecostes Brixiae celebrati Anno D.ni M. C. C. C. LXXXVII die XXVI Maij, post depositionem R.di M.ri Michaelis de Bononia per Sanctissimum Dominum Nostrum D.um Urbanum Divina Providentia Papam VI.um. In quo quidem Capitulo primo ab omnibus de Gremio Capituli unanimiter in Priorem Generalem nostri Ordinis electus fuit R.dus Magister Johannes de Raude de Mediolano. Et secundum nostri Ordinis instituta in Priorem Generalem pronunciatus. In quo quidem Capitulo Generali Diffinitores fuerunt infrascripti. Diffinitor Prov.ae Terrae Sanctae R.dus M.r Antonius de Janua. Diffinitor Prov.ae Siciliae R.dus M.r Bartholomaeus de Sacha. Diffinitor Prov.ae Angliae Fr. Thomas Palagrave, Diffinitor Prov.ae Narbonae Fr. Gervaxius de Mediolano, Diffinitor Prov.ae Romae Fr. Antonius de Recio, Diffinitor Prov.ae Franciae Fr. Antonius de Bononia, Diffinitor Prov.ae Alamaniae Inferioris Fr. Henricus

de Dalen. (1) Diffinitor Prov.ae Lombardiae R.dus M.gr Philippus de Parma. Diffinitor Prov.ae Aquitaniae Fr. Iohannes Lambardus de Bononia. Diffinitor Prov.ae Hispaniae Fr. Johannes Andreae. Diffinitor Prov.ae Hiberniae Fr. Antonius Masenzana. (2) Diffinitor Prov.ae Provinciae R.dus M.r Dominicus de Cremona. Diffinitor Prov.ae Scotiae Fr. Georgius de Alexandria. Diffinitor Prov.ae Thusciae Fr. Albicius de Florentia. (3) Diffinitor Prov.ae Bononiae R.dus M.r Johannes de Padua. (4) Diffinitor Prov.ae Tholosae R.dus M.r Matthaeus de Bononia. Diffinitor Cathaloniae Fr. Laurentius Vanis. Diffinitor Prov.ae

---

(1) Henricus de Dalen. Incertum utrum Mechliniensis an Coloniensis, primus qui in novella universitate Coloniensi per omnes gradus ad magisterii ascendit fastigium, nam anno 1393 promotus est s. theol. doctor, anno 1399 electus fuit decanus senatus facultatis theologiae in eadem universitate, anno 1404 (secundum Koch anno 1405) resignante Johanne Brammart Coloniae electus fuit provincialis Alemanniae inferioris, praefuitque usque ad annum 1410 (secundum Koch 1411) quando officio suo resignavit, et superstes attigit annum 1415 quo obiit Coloniae 12 Augusti (Norbertus a S. Juliana).

(2) Mediolanensis anno 1395 nominatur in quodam pergameno dicti conventus: « Magister Antonius de Massanzana professus dictae domus de Monte Carmello. » Anno 1403 provincialem Lombardiae egit. Doctor Bononiensis 1405. De eo Lezana ad annum 1410. Obiit 1421.

(3) Albicius fil. quondam Azzolini de Nerlis (alias Verlis, et quidem, ut videtur, rectius), florentinus, lauream suscepit in universitate florentina 24 Oct. 1389; Per plures annos provincialem Thusciae egit uti infra patebit, at anno 1410 ea dignitate privatus, antiquum sigillum provinciae necnon librum actuum capitulorum secum retinuit unde querela orta est in capitulo « propter quam pertinaciam approbamus librum novum actuum ». Anno 1415 (14 Sept.) iterum eligitur provincialis necnon diffinitor pro capitulo generali, et sigillum restituit. Anno 1420 officio cessit, sed a. 1425 secundus vicarius designatur pro tuenda provincia absente provinciali. Obiit 12 Dec. 1428 ut liquet e Necrologio quod sic habet: « Albicus Azzolini de Verllis in s. theol. eximius doctor; hic fuit vir totius sanctitatis nam cum omnibus diebus vitae suae jejuniis, vigiliis et orationibus vacaret adeo delata est ejus sanctitatis fama ut ordo ipsius gratia nimium sublimaretur et ob hoc multa bona conventui tribuebantur; ipse vero adhuc vivens quam plurima conventui contulit ut patet in capella, paramentis argenteis, balariis et aliis pluribus; qui postquam annis viginti duobus provincialatus functus fuisset officio obiit et sepultus est Florentiae in sancta decrepitate. « Numerus tamen annorum provincialatus non quadrat cum iis quae ex capitulis eruuntur.

(4) Johannes Bonus de Padua.

Alamaniae Superioris Fr. Hermanus de Norerga. (1) Diffinitor Prov.ae Vasconiae Fr. Hemanuel de Incisa. (2)

(17-a) Totum Gremium Capituli assumpsit gratiose in Diffinitorem, pro Vicariatu Flandriae Fr. Goswinum de Herdenburgo.

Qui Diffinitores una cum R.do M. Ordinis infrascriptos Provinciales ordinaverunt, Prov.lem Terrae Sanctae Fr.m Dominicum Achille, (3) De Provincialatu Siciliae committimus Priori Generali, ut possit providere illi Provinciae de Prov.li prout sibi videbitur, Prov.lem Angliae M.m Robertum Yvorii, Prov.lem Narbonae Fr.m Gervaxium de Mediolano, Prov.lem Romae Fr.m Hemanuelem de Incisa, Prov.lem Franciae Fr.m Antonium de Bononia, Prov.lem Alemaniae inferioris R.dum M.m Johannem Bramacht, (4) Prov.lem Lombardiae R.m M.m Philippum de Parma, Prov.lem Aquitaniae Fr.m Johannem de Bononia, Prov.lem Hispaniae R.dum M.m Gualterum Disse, (5) Prov.lem Prov.ae Hiberniae Fr.m Robertum Kindallis, (6) Prov.lem Prov.ae Provinciae R.dum M.rum Dominicum de Cremona, Prov.lem Prov.ae Scotiae Fr.m Georgium de Alexandria, Prov.lem Prov.ae Thusciae Fr.m Laurentium Vanis, Prov.lem

---

(1) Hermanus de Norerga (Norimberga, i. e. Zollner).

(2) Hemanuel de Incisa (alias Hermanus. Anno 1412 quo provincialem Lombardiae egit et quidem die 16 Martii licentiam obtinuit a Johanne XXIII construendi ope marchionum terrae Incisa dioecesis Aquensis (Acqui in Lombardia) in loco congruo et honesto conventum sub vocabulo beatae Mariae de Monte Carmeli (Reg. Lat. 166, f. 15).

(3) Dominicus Achille (de Botorola).

(4) Johannes Bramacht. (Brammart).

(5) Gualterus Disse. Ex oppido Disse in comitatu Nordvolgiae oriundus in conventu Norvicensi Ordini nomen dedit; 16 Febr. 1352-3 diaconus ordinatus deinde Cantabrigiae studiis theologicis vacavit gradusque academicos suscepit, confessor (vel, uti nos diceremus, eleemosynarius et secretarius) comitis Johannis a Gandavo Lancastriensis uxorisque ejus Constantiae renuntiatus ab Urbano VI licentiam obtinuit instituendi quinquaginta capellanos honoris pontificios, colligendi pecunias pro cruciata contra Clementem VII et legatus apostolicus in Anglia, Hispania, Portugallia, Navarra, Aragonia et Gasconia institutus fuit. Burdigalae Carmen de schismate (inc. « Helyconis rivulo modice dispersus ») confecit. Jam antea concilio Londinensi contra Wiclifum (21 Maji 1382) interfuerat. Obiit Norvici ubi Vicarium generalem ordinis egerat, 21 Januarii 1404. Cf. Dict. Biogr. National. s. v. et alibi.

(6) Robertus Kindallis (qui supra Quiltal nominatur).

Prov.ae Bononiae R.m M.m Johannem (1) de Padua, Prov.lem Tholosae R.m M.m Matthaeum de Bononia, de Provincialatu Prov.ae Cathaloniae committimus Priori Generali ut possit providere illi Prov.ae de Priore Prov.li prout sibi videbitur, (17-b) Prov.lem Prov.ae Alamaniae Superioris R.dum M.m Corradum Calvum, (2) Prov.lem Prov.ae Vasconiae committimus Priori Generali ut possit providere illi Provinciae prout sibi videbitur, Vicarium Flandriae Fr.m Johannem Chistella.

Commiserunt Priori Generali ut possit providere de Priore Conventus Parisiensis et de Conventu Curiae Romanae, prout sibi videbitur.

Procuratorem Curiae Romanae pro 1° anno post Capitulum Generale R.dum M.m Antonium de Ianua. Et pro alijs tribus annis subsequentibus R.dum M.m Dominicum de Cremona.

Mag.m Regentem Curiae Romanae pro 1° anno post istud Capitulum R.m M.m Antonium de Ianua. Et alijs tribus annis subsequentibus R.m M.m Dominicum de Cremona.

Bachalarium Curiae Romanae pro 1° loco Fr.m Johannem Cranemer. Pro 2° Fr.m Iudocum de Hypris (3). Pro 3° Fr.m Albertum de Sicilia. Pro 4°. Fr.m Petrum de Padua.

Sequitur de Studijs et Studentibus. Primo ordinaverunt Biblicum in Conventu Bononiensi, Pro 1° anno immediate sequenti scilicet pro anno Dni. M. C. C. C. LXXXVII Fr.m Antonium a Masenzana. Item pro 2° loco Fr.m Johannem Cranemer. Item pro 3° loco Fr.m Iudocum de Hypris. Item pro 4° loco Fr.m Albertum de Sicilia. Item pro 5 loco Fr.m Petrum de Padua. Item pro 6 loco Fr.m Georgium de Alexandria.

Ordinaverunt ad lecturam Sententiarum in Conventu Bononiensi: Pro 1° anno Fr.m Karlulum de Bononia. Item pro alijs duobus annis subsequentibus Fr.m Antonium Masazanam. Pro alijs vero duobus annis Fr.m Johannem Cranemer.

(17-c) Ordinaverunt Fr.m Albicium de Florentia ad Lecturam Sententiarum in nostro Conventu Florentino pro forma secundum formam Statutorum D.ni N.ri Papae. Volentes ut incipiat legere quandocumque sibi placuerit. Nolentes quod illi qui

---

(1) Bonus.
(2) i. e. Zollner.
(3) Ipris.

sunt ordinati Bachalarii in Curia Romana admittantur Bononiae ad Lecturam Bibliae nec Sententiarum, nisi diligenter exequuti fuerint Officium Bachalariatus in Curia Romana prout sunt ordinati. Et in casu quo aliquis praedictorum Bachalariorum, aut Biblicorum nollet, aut non posset prosequi lecturam sibi ordinatam; volumus ut R.dus Prior Generalis possit de alijs providere loco ipsorum prout sibi videbitur: Volentes ut ipse Prior Generalis possit ordinare de Studijs et Studentibus prout communiter alij Priores Generales facere consueverunt. Dantes sibi plenariam potestatem circa Studentes et Studia, sicut alij Priores Generales habuerunt.

De Constitutionibus sic ordinarunt. Primo ordinaverunt, ut singulis diebus quibus fit memoria de Virgine Gloriosa in Vesperis et Matutinis, post memoriam Angelorum fiat memoria de Beata Anna Matre Dei Genitricis Mariae; et dicatur ad Matutinum Antiphona *Anna Matrona:* ad Vesperas autem *Anna Parens;* vel dicantur Antiphonae ad Matutinum et ad Vesperas ut unius Matronae, Versus ad Vesperas et ad Matutinum *Ora pro nobis Beata Anna*, Oratio *Deus qui Beatam Annam.*

Item ordinaverunt R.dum M.m Bartholomaeum de Sacha Procuratorem ad impetrandum Litteras Supplicatorias D.no Papae a Principibus, a Praelatis et a Nobilibus Curijs Provinciae Siciliae pro Canonizatione Beati Alberti Fratris nostri. Volentes quod sub Sacramento teneatur reddere computum Ordini de pecunijs, quas recipiet, et de expensis, quas faciet pro Litteris suprascriptis et supradictis obtinendis, et D.no N. D. Papae praesentandis.

Item in praefato Capitulo praedictus Prior Generalis revocavit omnes gratias per quoscumque suos Praedecessores alicui Fratri nostri Ordinis concessas.

(17-d) Item gratiose omnem Fratrem incarceratum libere absolvit a carceribus et ab omni poena corporali, quibus fuisset hactenus judicatus; restituens locum et vocem omnibus ipsis privatis; habilitans omnes inhabiles ad omnes Gradus et Officia, quantum sua se extendit potestas.

Item ordinaverunt praedictus Generalis, cum praedictis Diffinitoribus quod Provinciales noviter instituti in Provincijs Schismaticis, in suis Provincijs nativis possint moram trahere, donec ad sibi commissas Provincias poterunt accedere. Et interim in

ipsis Locum et vocem habeant active et passive, ac si Provinciales non essent.

Item ordinaverunt, quod Diffinitores assumpti ad Officium Diffinitionis Generalis Capituli per Vicarium Ordinis potestate D.ni N.i D.ni Papae sibi concessa, quod in sequenti Generali Capitulo, ad ejusdem Diffinitionis Officium valeant eligi per suas Provincias, cum modo non sint juxta morem Ordinis electi, sed potestate D.ni N.ri D.ni Papae.

Item ordinaverunt, ut deinceps M.r Regens in Curia Romana, et Procurator Ordinis habeant annuatim fl.s XV pro vestiario suo.

Item ordinaverunt, quod R.dus M.r Generalis pro provisione sua annuatim habeat et recipiat fl.s C, secundum consuetudinem antiquam.

Item ordinaverunt, quod quilibet Conventus nostri Ordinis pro expensis Ordinis solvendis solvant annuatim usque ad futurum Capitulum Generale fl. I.

Item ordinaverunt et commiserunt R.do Priori Generali ut possit sibi eligere Socios suos, prout sibi placuerit, et eos quoties sibi videbitur permutare.

Item commiserunt Priori Generali ut possit providere de Officialibus Curiae Romanae prout sibi videbitur, et eos permutare toties quoties sibi placuerit; nonobstante ordinatione superius de ipsis facta. Et idem volumus intelligi de Officialibus Conventus ubicumque Curia fuerit.

(18-a) Item ordinaverunt, ut M.r Dominicus de Cremona illis tribus annis, quibus erit Procurator Ordinis et Magister Regens in Curia Romana habeat contributionem taxatam pro utroque Officio.

Et consimiliter volumus, ut R.dus M.r Antonius de Janua habeat pro illo anno, quo erit Procurator et Magister Regens.

Expensae factae per R.dum M.um Priorem Generalem pro Communitate Ordinis, anno quo erat Vicarius Ordinis per Sedem Apostolicam institutus, scilicet pro anno 2° post Capitulum Generale Babenbergis celebratum.

Primo pro uno famulo, qui citavit Fratres nostri Ordinis residentes in Curia Romana de mandato D.ni Cardinalis fl. I, Item Notario qui scripsit et audivit depositiones Fratrum fl.s X. Item pro expensis factis pro prosecutione Commissionis Ordi-

nis fl.s XXXV. Item pro duabus Bullis fl.s XL. Item pro Sigillo Vicariatus Officij fl. I. Item pro uno famulo qui portavit Litteras ad Provincias Angliae et Alamaniae fl.s VI. Item pro alijs diversis Cursoribus et Litteris missis et receptis fl.s VI, Item pro expensis veniendi ad Capitulum de Mediolano et redeundi de Capitulo Mediolanum fl.s XVI. Item pro expensis mensae pro ipso Vicario, Socijs et famulis fl.s XXIIII. Item pro expensis trium Equorum, quos tenuit per unum annum fl.s XVI. Item pro defectu duorum Equorum fl.s X. Item pro vestiario Vicarij fl.s LXX. Item pro uno famulo qui ivit de Bononia Florentiam fl. I. Item pro uno alio famulo qui ivit de Florentia Lucam fl.s XX. Item pro una infirmitate quam habuit dictus Vicarius post Visitationem Provinciarum Bononiae, Thusciae et Romae fl.s X. (18-b) Item pro Ugolino, qui ivit de Florentia Bononiam pro Tabula Capituli Generalis praeteriti fl. I. Item pro uno famulo qui portavit Litteram Senis missam a Procuratore Ordinis fl. I. Item pro expensis R. M.gri Antonii tunc Regentis in Curia Romana, quas fecit quando ivit de Janua usque ad Portum Veneris, ut faceret Sermonem coram Papa in Vigilia Vigiliae Nativitatis Domini, prout sibi fuerat impositum fl.s IIII. Item pro Regentia R.di M.gri Antonii in Curia Romana fl.s X. Item pro contributione Ordinis data R. M.gro Philippo pro tribus annis quibus fuit Regens Parisiis fl.s XLV. Item pro contributione Procuratoris fl.s XV. Item pro expensis factis per Procuratorem Ordinis fl.s LXIIII ½. Item pro expensis factis pro R.do M.gro Michaele tunc Priore Generali Ordinis a Conventu Januensi fl.s XVI.

Summa praedictarum expensarum fl.s C. C. C. LXXXXVIII. s. 4.

Receptae pro eodem anno ab Ordine: Primo a Provincia Romae fl.s XXV. Item a Prov.a Inferioris Alamaniae fl.s XVI. Item a Prov.a Lombardiae fl.s XV. Item a Prov.a Thusciae fl.s XV. Item a Prov.a Bononiae fl.s XV. Item a Prov.a Superioris Alamaniae fl. XII. Item a Conventu Leodii fl.s V. Summa receptorum fl.s C. III.

Et sic restat Ordo obligatus R.do M.gro Johanni Priori Generali pro suprascripto anno fl.s CCLXXXXV s. 4.

Expensae factae per R.m M.grum Michaelem de Bononia

pro Communitate Ordinis pro 1° anno post Capitulum Generale Babenbergae celebratum: Primo pro expensis veniendo de praedicto Capitulo ad Provinciam Bononiae fl.s XX. Item pro expensis eundo Januam ad visitandum D.num Nostrum D.num Papam fl.s XX. Item pro quaestione Armachani fl.s III, (18-**c**). Item pro expensis factis in Festo Nativitatis Domini Ostiariis Domini nostri Papae fl.s X. Item pro cera data D.no Cardinali Sancti Ciriaci fl.s VI. Item pro vestiario R.di M.i Ordinis et Sociorum fl.s LX. Summa praedictarum expensarum fl.s C.XIX.

Receptae pro eodem anno. Primo recepit dictus R.us M.r Michael a Prov.a Thusciae fl.s XV. Item a Prov.a Lombardiae fl.s XV. Item a Prov.a Bononiae fl.s XV. Item a Prov.a Hiberniae pro tribus taxationibus fl.s XXVIII. Summa dictarum receptarum fl.s LXXIII.

Et sic restat Ordo obligatus R.do M.o Michaeli de Bononia pro suprascripto anno fl.s XLVI.

Et sic computato debito in quo remansit Ordo obligatus R.do M.o Michaeli de Bononia in Capitulo Babenbergae celebrato, quod fuit fl.s 325 1[1. Debet modo recipere praedictus Rev.dus M.r Michael de Bononia ab Ordine fl.s C.C.C.LXXI.

Ordinaverunt Capitulum Generale futurum celebrandum in Provincia Bononiae ad quatuor annos, scilicet pro anno Domini M. C. C. C. LXXXXI in Conventu assignando infra annum per R. Mgr. Johannem (1) Provincialem et per R. Mgros. et Patres dictae Provinciae.

Retinemus nobis auctoritatem ista permutandi, et alia ordinandi, prout R.do Priori Generali et Diffinitoribus videbitur usque ad quindecim dies. (18-**d** vacat).

(19-**a**) In nomine Domini Amen:

Haec sunt Acta Capituli Generalis Fratrum Ordinis Gloriosae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, in Festo Pentecostes Francfordiae celebrati anno D.ni M. C. C. C. XCIII. die XXV Mensis Maii per R.dum in Christo Patrem M.m Johannem de Raude de Mediolano Priorem Generalem totius Ordinis praedicti et Diffinitores ejusdem Capituli. In quo quidem Capitulo Generali Diffinitores fuerunt infrascripti.

---

(1) De Padua

Diff.r Prov.ae Siciliae Fr.r Philippus de Sicilia Prov.lis, Diff.r Prov.ae Angliae Fr. R.s M.r Johannes Chinigum (1) Prov.lis, Diff.r Prov.ac Alamaniae Inferioris R.s M. Johannes Bramhardi (2) Prov.lis, Diff.r Lombardiae R.s M.r Antonius de Mesetzana (3) de Mediolano, Diff.r Prov.ae Hiberniae Fr. Matthaeus Oswideari de Hibernia, Diff.r Prov.ae Thusciae Fr. Laurentius Vanis de Florentia Prov.lis, Diff.r Prov.ae Bononiae R.s M.r Matthaeus de Bononia Prov.lis, Diff.r Prov.ae Alamaniae Superioris R.s M.r Johannes Chicingam, (4) Prov.lis.

In dicto autem Capitulo remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus M.r Johannes de Raude.

Qui Diffinitores una cum R.o M.o Ordinis infrascripta (19-**b**) ordinaverunt. Primo de Prioribus Provincialibus. Prov.lem Siciliae Fr.m Philippum de Sicilia, Prov.lem Angliae Fr.m M.m Johannem Chuningam, Prov.lem Romae Fr.m Johannem Achalensam, (5) Prov.lem Alamaniae Inferioris Fr.m M.m Johannem Bramhardum, Prov.lem Lombardiae Fr.m M.m Philippum de Parma, Prov.lem Hiberniae Fr.m Rogerium Beg, (6) Prov.lem Thusciae Fr.m Laurentium Vannis de Florentia, Prov.lem Bononiae Fr.m M.m Matthaeum de Bononia, Prov.m Alemaniae Superioris Fr.m Henricum de Grefenbergi (7) Prov.m Vasconiae Fr.m Ricardum de Beverlaco. (8)

Sequitur de Studiis et Studentibus. Primo ordinaverunt, quod Bachalarii et Biblici ordinati et in futurum ordinandi ad lecturas ordinarias pro consequendo Gradu Magisterii in partibus et Universitatibus Italiae, antequam praesententur ad praedictas Lecturas habeant jurare in manibus sui Provincialis, vel suo

---

(1) Cunningham.
(2) Brammart.
(3) Mesenzana.
(4) Cunningham.
(5) Alias Cathalensis, Cichalensis vere Cechalensis.
(6) Bec, supra fol. 11-**a**).
(7) Henricus de Grefenbergi. Henricus Greifenberger de Norimberga theol. lector, electus a. 1393 provlncialis Alemaniae superioris rexit provinciam 28 annis estque sepultus in conventu Norimbergae ante summum altare. Obtinuit a Johanne XXIII licentiam erigendi conventum apud S. Petrum de Altenronhilt 26 Martii 1411, (Reg. Lat. 150 fol. 289).
(8) Ricardus de Beverlacy (supra de Anglia), anno 1385 ad Studium Viennense missus, lectoı et prior Bruxellis 1393.

M.gro Regenti, servare Statuta D.ni N.ri Papae directa praedictis Universitatibus Italiae per Summum Pontificem Urbanum Sextum et confirmata per Summum Pontificem Bonifacium IX.um.

Item ordinaverunt sub poena perjurii et privationis omnis Gradus, Dignitatis et honoris, praedictis Lectoribus ordinatis et ordinandis, quod nec per se, nec per alios quovis modo, directe vel indirecte, procurent nec in Curia, nec a Principibus cujuscumque Dignitatis accelerare tempus ordinatum ad consequendum Gradum Magisterii per praedictum Summum Pontificem et Capitulum nostrum Generale. Et in casu quo ipsis ignorantibus aliquis eis procuraverit, mandaverunt praedictis sub poena perjurii et infamiae perpetuae, ut talibus gratiis non utantur, nec eas acceptent; sed statim sub taxata poena habeant talibus gratiis et procurationibus renunciare. Nec aliquis super praedictis possit dispensare, sed neque R.us Mgr. Ordinis.

(19-c) Item ordinaverunt quod Bachalarii et Biblici et ordinandi in futurum in Universitatibus Italiae isto modo et procedunt, scilicet quod 1. anno legant duos Libros primos, et in 2.° anno duos ultimos Libros; et Bibliam legant anno ultimo post Sententias. Et stent vacantes ad visitandum Scholas et actus Scholasticos per duos annos: Ita quod ad minus stent in praedictis Universitatibus antequam consequantur Gradum Magisterii per quinque annos completos, conformando nos Statutis S.mi D.ni N.ri Papae directis praedictis Universitatibus Italiae: postea possint et non ante consequi Gradum Magisterii de beneplacito et consensu R. M.gri Ordinis et Magistrorum praedictarum Universitatum Italiae.

Item ordinaverunt, quod si quis amodo sine ordinatione Capituli Generalis Gradum Magisterii, aut Lecturas Bibliae et Sententiarum procuraverint; ex tunc volumus quod Paragraphus « si quis pro continuatione » Rubricae de Sigillis et Sigillationibus eidem inviolabiliter observetur.

Item approbaverunt, et incorporaverunt Universitatem Coloniensem: Ordinantes quod promovendi in eadem et in aliis Universitatibus Citramontanis in anno ordinationis suae pro 1° anno legant Bibliam, et pro anno sequenti sint vacantes, ut possint pro actibus suis sequentibus uberius disponere: pro 3. anno legant duos primos Libros Sententiarum. In 4. vero anno legant reliquos duos Libros ulteriores Sententiarum. Quibus lectis et com-

pletis, habeant et debeant stare actus Scholasticos sequendo per quatuor annos. Quo facto, de gratia et licentia R. M.gri Ordinis et Magistrorum, ad gradus Magisterii poterunt ascendere. Qui et iam juramentum solemniter cum subscriptione manus propriae coram Provinciali et Conventu Coloniensi praestare habebunt in hunc modum, scilicet quod nec per se, nec per alium, nec directe, nec indirecte oppositum hujus ordinationis procurabunt. Et si oppositum quocumque modo procuraretur per quemcumque, ex tunc huic procurationi indilate habeant cedere, nec aliquo modo uti, seu perfrui hujusmodi procurationibus, sub poena perjurii et infamiae. Volentes quod M.gr Ordinis Prior Generalis super hoc non possit dispensare. Et si quis amodo sine ordinatione Capituli Generalis Gradum Magisterii, aut Lecturas Bibliae et Sententiarum procuraverit; ex tunc volumus quod Paragraphus « si quis pro continuatione » de Sigillis et de sigillationibus sibi inviolabiter observetur.

Item ordinaverunt ad Bibliam pro forma in Universitate Coloniensi in nostro Conventu pro anno sequenti, scilicet a Festo Michaelis proxime futuro ad annum, scilicet Anno D.ni MCCCXCIIII Fr.m Johannem Ducis (1) Provinciae Alemaniae Inferioris.

Item ordinaverunt ad Lecturam Sententiarum pro forma in Universitate Ferrariensi in nostro Conventu pro anno praesenti, scilicet in Festo Lucae proxime futuro Fr.m Philippum de Mutina Biblicum.

Item ordinaverunt ad Lecturam Bibliae pro forma pro anno praesenti in Festo Luche proxime futuro in nostro Conventu Viennae Prov.ae Alemaniae Superioris Fr.m Michaelem de Hostreten.

Item ordinaverunt ad Lecturam Sententiarum pro forma in nostro Conventu Papiae Prov.ae Lombardiae pro anno sequenti scilicet in Festo Luche proxime tunc futuro (19-**d**) Fr.m Jacobum de Salvaticis (2) de Mediolano.

---

(1) Johannes Ducis (Hertoghs) Brabantinus, conventus Mechliniensis, professor in s. pagina, 1395 doctor Coloniae, dominae Johannae ducissae Brabantiae olim a confessionibus, obiit Mechliniae jubilarius a. 1433. (Sic Norbertus a. S. Iuliana alios authores corrigens).

(2) Jacobùs de Salvaticis alias Silvaticis, filius quondam domini Philippi. Anno 1403 in conventu Mediolanensi s. theologiam docebat; 1405 eidem conventui e suo patrimonio 200 libellas donavit; 1408 insimul provincialem et priorem ibidem egit.

Item commiserunt R.do M.o Ordinis quod quandocumque Fr. Philippus Prov,lis Sicilia renunciaverit Officio Provincialatus in manibus R. M. possit ipsum promovere ad Lecturam Sententiarum pro forma in una Universitate Italiae, quandocumque sibi placuerit, observatis ordinationibus praedictis.

Item ordinaverunt ad lecturam Bibliae pro forma in Conventu Bononiensi Fr.m Johannem Leonardum (1) de Florentia pro anno D.ni M. C. C. C. XCV proxime futuro. Committentes R.do M.o Ordinis quod nisi bene et laudabiliter se habuerit in Provincia sua infra dictum tempus, et nisi bene profecerit in moribus et in scientia, quod possit ipsum a dicta Lectura privare.

Item concesserunt Prov.ae Hiberniae quod possit mittere duos Studentes ad Prov.m Angliae, scilicet unum in Ossonia et unum in Cantabrigia, dummodo sint habiles pro talibus studiis.

De aliis Studiis et Studentibus per Ordinem commiserunt R.do M.o Ordinis quod possit disponere sicut sibi melius videbitur expedire.

Item commiserunt R. M. Ordinis quod si de suprascriptis Lecturis assignatis contigerit aliquam vacare citra Generale Capitulum proxime futurum possit substituere, et ordinare de illa Lectura prout sibi melius videbitur expedire.

Quantum ad Ordinationes et Constitutiones. Primo ordinaverunt, quod fiat omni anno in die B.i Dominici de Mense Augusti totum Duplex Festum Sanctae Mariae de Nive et Festum Dominici transferatur in proximum diem vacantem et fiat Officium sicut consuevit fieri diebus Sabbathinis de Commemoratione Beatae Virginis; sed Lectiones sumantur de legenda, seu Miraculo praedicti Festi.

Item ordinaverunt, quod fiat omni anno in crastinum Octavae S.ti Johannis Baptistae de Mense Julii Festum Salutationis

(1) Johannes Leonardi. Anno 1409 visitatione peracta tamquam vicarius generalis capitulo provinciali Thusciae praesedit; ab hoc anno (et forsan jam antea) usque 1414 fuit Regens studii florentini, annis 1410 et 1413 primus diffinitor capituli: 1414 vicarius generalis existens electus fuit provincialis et anno sequenti confirmatus, sed obiit paulo post uti patet e Necrologio quod sic habet; « 9 Aug. Johannes Leonardi doctor in theologia èt in devotione accensus obiit Florentiae in secundo anno sui provincialatus 1415 ».

Beatae Mariae Virginis ad Elizabeth ex praecepto S.mi D.ni Papae Bonifacii VIIII, et fiat Officium missum a Summo Pontifice.

Item ordinaverunt quod de praedicto Festo fiant Octavae solemnes, secundum formam Bullae missae a praedicto Summo Pontifice.

Item ordinaverunt, quod fiat omni anno Festum totum Duplex Praesentationis B.ae Mariae; et hoc in crastinum Sancti Eadmundi Regis et Martyris de Mense Novembri. Et in (20-a) casu quo Commemoratio Dominicae Resurrectionis evenerit in praedicto Festo, tunc ordinaverunt, quod praedictum Festum anticipetur, vel transferatur in proximam diem vacantem.

Item ordinaverunt, quod illi qui se gerunt pro Capellanis honoris D.ni N.ri Papae vel alterius cujuscumque quod per Priorem Prov.lem, in cujus Prov.ia existunt, aut per Priorem Localem, in cujus terminis incedunt, habeant poni ad rationem. Et si privilegium oppositum Bullae Gregorii XI non habuerint, ex tunc vigor illius vult quod per praedictos eis servetur.

Item in virtute Sanctae obedientiae districte praecipiendo mandat R.dus Magister Ordinis, quatenus nullus Frater nostri Ordinis ad Curiam Romanam accedat, nisi de licentia sui Provincialis; nonobstantibus quibuscumque gratiis per praedictum Priorem Generalem in oppositum indultis. Etiam quod in itinere, et in Curia habitum Religionis nostrae aperte et non occulte ad honestatem Religionis portent. Quod si oppositum fecerint ex tunc per Priores et singulos alios, quibus commissum fuerit, incarcerentur. Et hoc idem confirmatur per Diffinitores Capituli Generalis.

Item ordinaverunt, mandantes omnibus Fratribus in virtute Sanctae obedientiae, et sub poena carceris, quod nullus Frater audeat portare subtus tunicam habitum saecularem inhonestum; et quod quilibet portet tunicam, et Scapulare ejusdem coloris, et non variorum et diversorum colorum, sub poena perditionis tunicae et Scapularis (1).

Item ordinaverunt quod omnes Priores Conventuum nostri Ordinis debeant portare ad suum Provinciale Capitulum copias omnium privilegiorum tangentium Communitatem Ordinis, quae

(1) Professi gestabant Caputium cum Scapulari assutum, sicut etiam apud Dominicanos in usu fuit (*Analecta* II p. 265).

habent in suis Conventibus: quas copias Provinciales postea citius quo poterunt, habeant et debeant mittere R.do M.o Ordinis, et hoc ad expensas Ordinis.

Item mandaverunt omnibus Prioribus Provincialibus in virtute Sanctae obedientiae, quod servent et servari faciant Constitutiones de Studiis et Studentibus et provisionibus dandis eisdem.

Item ordinaverunt, quod in casu quo R. Mag. Ordinis virtute Bullarum Apostolicarum receperit aliquos Conventus; quod illi Conventus sic recepti non teneantur solvere taxationes aliquas nec aggraventur, quousque satisfecerint pro expensis Bullarum praedictarum de receptione talium Conventuum.

(20-b) Item Procuratorem Curiae Romanae pro parte Ordinis ordinaverunt M.m Dominicum de Cremona. Committentes R.do Mg. Ordinis quod possit ipsum mutare et illum (*sic pro* alium) instituere, prout sibi videbitur.

M.m Regentem Curiae Romanae ordinaverunt Magistrum Dominicum praedictum.

De Priore autem Curiae et Bachalario commiserunt R. Mag. Ordinis quod possit providere, prout sibi placuerit.

Quantum ad taxationes sic taxaverunt Provincias infrascriptas: Prov.m Siciliae fl.s XV, Prov.m Angliae fl.s XXX. Prov.m Romae fl.s XXV, Prov.m Alemaniae Inferioris fl.s XVI, Prov.m Lombardiae fl.s XV, Prov.m Hiberniae fl.s X, Prov.m Thusciae fl. XV, Prov.m Bononiae fl. XV, Prov.m Alemaniae Superioris fl.s XII, Prov.m Vasconiae fl.s XII, Conventum Leodii fl.s V.

De praedicta taxatione debent solvi R. Mag. Ordinis pro suo vestiario fl.s C, Item M. Regenti Curiae Romanae fl. XV. Item Procuratori Ordinis fl. XV. Item Bachalario Curiae Romanae fl. V. Item pro vestiario Sociorum et famulorum M.i Ordinis fl. XII. Item pro Advocato generali Ordinis in Curia Romana fl.s VI, Item pro Ianitoribus, Cursoribus et Mazeriis fl.s IX. Item pro Festo Conceptionis Beatae Mariae fl.s V, Item pro duobus enseniis dandis Protectori Ordinis; unum videlicet in Festo Nativitatis Domini, aliud in Festo Tituli sui fl.s VI, Item in papiro et cera pro Magistro Ordinis fl.s III, Item pro diversis Cursoribus ac Litteris recipiendis et mittendis fl.s III.

Socios R.di M. Ordinis ordinaverunt pro 1. Socio M.um Bar-

tholomaeum de Saccha Prov.ae Siciliae. Pro 2. Socio Fr.m Thomam Peverele (1) de Anglia. Committentes R.do Magistro Ordinis, quod ipsos possit commutare et alios assumere prout sibi placuerit.

Item commiserunt R.do Mag. Ordinis quod possit providere de Officialibus Conventus Romanae Curiae, prout sibi videbitur, et eos permutare toties quoties sibi placuerit; nonobstante constitutione superius facta de ipsis (20-c). Et idem volumus intelligi de Officialibus Conventus ubicumque Curia fuerit.

Item ordinaverunt ad satisfaciendum de debitis antiquis Ordinis, scilicet R. Magri Generalis et Mgri Michaelis, quod infrascriptae Provinciae solvant infrascriptam quantitatem pecuniae: Prov.a Siciliae solvet fl. XX, Prov.a Angliae fl. LXX, Prov.a Romae fl. XX, Prov.a Lombardiae fl. XX, Prov.a Hiberniae fl. X, Prov.a Thusciae fl. XX, Prov.a Bononiae fl. XX, Prov.a Alemaniae Superioris fl. XX, Prov.a Vasconiae fl. X.

Et sic Provinciae non tenentur plus solvere Ordini unum florenum pro quolibet Conventu ut ordinatum fuerat in Capitulo Brixiae; quia satisfactum erit in totum R.do Magro Ordinis et R.do M.o Michaeli de Bononia de debito antiquo, prout inferius continetur.

Capitulum Generale sequens ordinaverunt celebrandum in Prov.a Lombardiae ad sex annos, scilicet anno D.ni M. C. C. C. XCIX in Conventu assignando infra annum per R.dum Prov.lem dictae Prov.ae et per R. Magros et Patres dictae Provinciae. Declarantes quod in casu quo R.dus Mag. Ordinis esset assumptus, vel decederet infra praedictos sex annos, ordinaverunt quod Provincialis dictae Prov.ae Lombardiae sit Vicarius usque ad complementum temporis praedicti, nec possit accelerare tempus praedictum, nisi praeceptum haberet de oppo-

---

(1) Thomas Peverele. Thomas Peverell e Sudvolgia oriundus (Balaeus dicit e: Norvico), doctus, pius et humilis. Oxoniae usque ad bacalaureatum ascendit. Anno 1397 nominatus episcopus Ossoriensis in Hibernia anno sequenti ad Landavensem ecclesiam in Cambria translatus fuit. Annis 1399 et 1406 consensum praestitit conventionibus de successione regali; anno 1407 ad sedem Wigorniensem promotus fuit; contra Lollardos strenue processit. Pluries regi magnis pecuniarum summis subvenit. Obiit 1 Martii 1418-9, Oxoniae in ecclesia fratrum sepultus. Dict. Biogr. Nation. et alibi.

sito a Summo Pontifice; nonobstantibus quibuscumque Constitutionibus in contrarium factis usque ad praesentem diem.

Retinuerunt Diffinitores et Magister Ordinis sibi posse ista permutandi, et alia ordinandi prout eis videbitur usque ad X dies.

Expensae factae per R.dum Magistrum Ordinis pro Communitate Ordinis a Capitulo Brixiae celebrato usque ad Capitulum Francfordiae celebratum Anno D.ni M. C. C. C. XCIII.

Primo pro vestiario M.ri Ordinis ad computum centum florenorum pro anno, ascendit ad summam pro sex annis sexcentorum florenorum.

Item pro vestiario Sociorum et famulorum M.ri Ordinis ad computum duodecim florenorum in anno, ascendit ad summam pro sex annis fl. LXXII. Item pro Officio Procuratoris pro sex annis, ad computum fl. XV in anno, ascendit Summa fl. LXXXX. Item pro Regentia M.ri Regentis in Curia pro sex annis ad computum XV fl. in anno, ascendit Summam fl. LXXXX. Item pro D.no. Anselmino Advocato Ordinis ad computum sex florenorum in anno, ascendit pro sex annis fl. XXXVI. Item in cera et papiro pro sex annis, computando III fl. in anno, ascendit ad summum fl. XVIII. Itum pro diversis Cursoribus et litteris missis et receptis (20-d) per sex annos ascendit Summa fl. XVIII. Item Ostiariis, Mazeriis et Cursoribus D.ni Papae, pro sex annis, ad computum fl. IX pro quolibet anno, ascendit ad summam fl. LIIII. Item Protectori Ordinis pro quatuor annis, ad computum fl. VI pro quolibet anno in duobus enseniis ex parte Ordinis; unum in Festo Natalis D.ni et aliud in Festo tituli sui fl. XXIIII. Item pro Festo Conceptionis Beatae Mariae pro sex annis in prandio Praelato qui facit sermonem et pro illo qui celebrat Missam, et pro potu famulorum dominorum Cardinalium, dando V fl. in anno, ascendit Summa fl. XXX. Item pro expensis M.ri Antonii de Ianua, quando fuit institutus Procurator, eundo de Ianua Lucham, cum portatura raubae suae fl. III. Item de Lucha Perusium cum portatura raubae suae fl. V. Item pro conductura unius Domus in Perusio fl. IIII. Item pro sua infirmitate fl. IIII, Item de Perusio Ianuam cum portatura rerum suarum fl. VII. Item de Ianua Mediolanum, et in revertendo inde fl. IIII. Item de Ianua Romam cum rebus suis fl. V. Item pro reversione de Roma Mediola-

num fl. VI. Item pro satisfactione rerum suarum quando fuerunt sibi ablatae a Piratis in mari fl. XXX.

Expensae factae per M.um Dominicum Procuratorem Ordinis. Et primo pro expensis suis de Cremona Romam cum rauba sua et Socio fl. XXV. Item pro variis infirmitatibus in quatuor annis fl. VIII. Item pro uno Procuratore Substituto in Audientia contradictoriarum fl. I. Item pro Bulla Visitationis Mariae ad Elizabeth fl. VII. Item pro Bulla Indulgentiarum Conventus Argentinensis et Francfordiensis fl. VI. Item pro expensis de Roma Perusium sequendo Curiam, cum Equo, Socio et famulo, eo quod manserunt in via 17 diebus Summa fl. X. Item pro rauba de Roma usque Perusium portata fl. XII. Item pro expensis suis veniendo de Perusio ad Capitulum et redeundo fl. XLV. Item pro pitanciis eius in quatuor annis fl. VIII.

Expensae particulares factae per R.dum M.m Ordinis. In primis pro expensis suis et Sociorum eundo de Mediolano Lucham ad visitandum D.num Urbanum fl. VII. Item pro expensis factis ibidem in Conventu pro victu suo et Equorum in XXXII diebus quibus mansit ibidem fl. X. (21-9). Item pro duabus Bullis duarum Extravagantium fl. XVI. Item exposuit Provincialis Thusciae insequendo Fr.m Andream de Petralia quando fugit de carceribus de Mediolano, et venit Pisas fl. V. Item in Constitutionibus Ordinis fl. IIII. Item pro expensis factis in Brixia et prope Brixiam ratione Fratris Andreae de Petralia volentis recedere a carcere Ordinis fl. IIII. Item pro expensis M.ri Ordinis pro se et Sociis eundo Romam, et de Roma revertendo Mediolanum et in Roma fl. L. Item Ostiariis, Mazeriis, et Cursoribus D.ni Papae in Lucha et in Roma fl. XVI. Item pro enseniis datis D.no Papae et Protectori Ordinis fl. LV. Item pro variis infirmitatibus in sex annis fl. L. Item pro defectu pecuniae taxationum receptarum fl. IX. Item pro expensis factis in Colonia in quatuor mensibus cum dimidio fl. XX. Item pro expensis de Provincia Alemaniae Inferioris ad Provinciam Angliae fl. XVII. Item pro expensis R.di M.ri Ordinis a Capitulo Generali cum Sociis usque Mediolanum fl. XXXV.

Summa omnium expensarum supradictarum est fl. M. C. C. C. C. C. VIII.

Receptae Ordinis a praedicto Capitulo usque ad praesens Capitulum sunt istae.

In primis recepi a Provinciali Siciliae pro taxatione sex annorum post Capitulum Brixiae fl. XC. Item, pro taxatione unius flor.i pro quolibet Conventu pro quinque annis fl. XC. Item recepi ab eodem pro parte solutionis taxationis unius flor.i pro quolibet Conventu, pro VI.o anno post praedictum Capitulum fl. XII. Item R). a Provinciali Angliae de antiqua taxatione pro sex annis dando pro anno flor.s XXX ascendit Summa CLXXX. Item Recepi ab eodem pro 4 annis de taxatione unius floreni pro quolibet Conventu pro XXXV Conventibus, ascendit summa CXL. Item a Provincia Romae pro sex annis, dando pro quolibet (21-b) anno fl. XXV, ascendit fl. CL. Item Recepi ab eodem pro taxatione posita unius flor.i pro sex annis fl. XXX. Item Recepi a Prov. Alemaniae Inferioris pro sex annis solvendo pro anno flor.s XVI, ascendit Summa fl. LXXXXVI. Item Recepi ab eadem pro taxatione unius floreni pro quolibet Conventu fl. LXXII. Item recepi a Provincia Lombardiae pro sex annis de antiqua taxatione, solvendo XV fl. in anno, ascendit Summa fl. XC. Item Recepi ab eadem pro taxatione unius floreni pro quolibet Conventu in sex annis fl. LXXIIII. Item Recepi a Provincia Thusciae pro sex annis, dando pro quolibet anno fl. XV, fl. XC. Item Recepi ab eadem pro taxatione unius floreni, pro quolibet anno, pro sex annis fl. XLII. Item Recepi a Provincia Bononiae pro sex annis, dando pro quolibet anno fl. XV, ascendit Summa fl. XC. Item Recepi ab eadem pro taxatione unius floreni, pro quolibet Conventu pro sex annis, fl. LXXII. Item a Provincia Alemaniae Superioris pro sex annis, solvendo pro quolibet anno fl. XII, ascendit Summa fl. LXXII. Item Recepi a Vicariatu Flandriae fl. XXIIII. Item a Provincia Vasconiae fl. CIIII. Item Recepi a Conventu Leodii pro sex annis, dando pro quolibet anno fl. V, ascendit Summa fl. XXX, Item Recepi ab eodem pro taxatione unius floreni, pro quatuor annis, fl. IIII. Item Recepi a Provincia Hiberniae pro sex annis, solvendo pro quolibet anno fl. X, ascendit Summa fl. LX. Item Recepi ab eadem pro taxatione unius floreni pro quolibet Conventu, pro VIII Conventibus fl. XXXII.

Summa omnium praedictarum ascendit M. VI.c XXXVIII fl.

Summa omnium expensarum ascendit M. V.c VIII fl.

Summa resti Capituli praeteriti fl. CC. XCV.

Et sic defalcatis defalcandis remansit Ordo obligatus R.do Mag. Johanni Priori Generali fl. C. LXV.

Hic notandum, quod pro solutione suprascriptorum C. L. XV fl. in quibus Ordo obligatur R.do Priori Generali, et pro solutione XLVI fl. in quibus Ordo obligatur M.ro Michaeli, Prior Generalis, et Diffinitores posuerunt taxationem suprascriptam, cujus Summa est fl. C. C. X, ultra communem et antiquam taxationem.

(21-c) In nomine Domini et Gloriosae Virginis Mariae Amen.

Haec sunt Acta Capituli Generalis Fratrum Ordinis Gloriosae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmelo in Festo Pentecostes, in Conventu Placentiae Prov.ae Lombardiae celebrati Anno D.ni M. C. C. C. LXXXXVI die 21ª Mensis Maii per R.dum in Christo Patrem Magistrum Johannem de Raude Priorem Generalem.

In quo quidem Capitulo Diffinitores fuerunt infrascripti. Diffinitor Prov.ae Siciliae Fr. Philippus Prov.lis Siciliae, Diff. Prov. Angliae Fr. Thomas Palagrave Bacchalarius in Theologia, (1) Diff. Prov.ae Romae Fr. Johannes Cathalensis Prov.lis ejusdem, Diff. Prov. Alemaniae Inferioris M.r Henricus de Dalen, Diff. Prov. Lombardiae M.r Philippus de Parma Prov.lis ejusdem, Diff.r Prov.ae Thusciae M.r Albicius Prov.lis ejusdem, Diff.r Prov.ae Bononiae M.r Michael de Bononia, Diff.r Prov.ae Alemaniae Superioris Fr. Henricus de Greffenberg.

In dicto autem Capitulo remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus M.r Johannes de Raude qui una cum suprascriptis Diffinitoribus infrascripta ordinaverunt. Primo de Prioribus Provincialibus: Prov.lem Siciliae Fr.m Philippum de Sicilia, Prov.lem Angliae M.m Johannem Chiningam, Prov.lem Romae Fr.m Jo: Achalensem, Prov.lem Alemaniae Inferioris M.m Johannem Bramarth, Prov.lem Lombardiae M.m. Philippum de Parma, Prov.lem Thusciae M.m Albicium de Florentia, Prov.lem Bononiae M.m Karolum de Bononia, Prov.lem Alemaniae Superioris Fr.m Henricum Greffenbergh.

Commiserunt Diffinitores praedicti R.do Priori Generali suprascripto ut possit ordinare Prov.lem in Prov. Hiberniae et Prov. Scotiae, prout sibi melius videbitur.

---

(1) Vide supra.

Socios R. M. Generalis ordinaverunt: Primum M. Anthonium de Masenzana de Mediolano; Secundum Fr. Georgium de Placentia. Volentes dicti Diffinitores quod M. Generalis possit dictos Socios transmutare, et alios sumere, prout ei melius videbitur fore expediens quandocumque et quotiescumque esset expediens.

Sequitur de Studiis et Studentibus.

Primo posuerunt studium Generale in Philosophia et Theologia in Conventu Papiae et approbaverunt et incorporaverunt dictam Universitatem, mandantes ut Bacchalarii et Biblici ordinati et ordinandi ad legendum ibi et alibi Sententias et Bibliam, legant secundum modum et formam in Bulla D.ni N.ri Papae contentam. Et secundum Constitutiones factas in proximo Capitulo praeterito Generali Francfordiae celebrato; dictas Constitutiones (21-d) approbantes et confirmantes.

Item ordinaverunt ad legendum Sententias pro forma pro anno praesenti, scilicet M. C. C. C. LXXXXVI in Curia Romana Fr.m Philippum de Sicilia, et pro anno 1398 Bibliam.

Item ordinaverunt ad legendum Bibliam pro forma pro eodem anno in dicta Curia Romana Fr.m Jacobum de Sicilia, et pro anno 1398 Sententias.

Item ordinaverunt ad legendum Bibliam pro forma in Universitate Bononiae ad expensas proprias pro anno praesenti, scilicet 1396 Fr.m Bartholum Johannis (1) de Florentia. Volentes ut post lecturam Bibliae sit Bacchalarius vacans; et postea anno immediate sequenti, scilicet 1398 legat ibidem Sententias pro forma.

Item ordinaverunt ad legendum Bibliam pro forma in Universitate et in Conventu nostro Viennensi pro anno immediate sequenti Fr.m Gualterum de Bamberga.

Item ordinaverunt ad legendum Bibliam in Conventu Papiae ad expensas proprias pro anno praesenti Fr.m Antonium de Pisis.

Item ordinaverunt ad legendum Sententias pro forma in

(1) Bartholus Johannis. Bartholomaeus Johannis de Florentia, anno 1408 (probabiliter jam antea) regens erat Pisis et sequenti anno electus fuit provincialis Thusciae quod officium cum regentia Pisana conjunxit per plus quam quatuor annos. Obiit Prati 14 Martii 1413 sepultusque fuit Florentiae « famosus praedicator ».

Conventu Papiae pro anno praesenti Fr.m Andream de Luca (1) et pro anno 1398 ad legendum Bibliam ibidem.

Item ordinaverunt pro eodem anno, scilicet 1398 ad legendum ibidem Sententias pro forma Fr.m. Antonium de Pisis.

Item de Conventu Curiae sic ordinatum est.

In primis ordinaverunt Pröcuratorem in Curia Romana Fr.m Johannem Cichalensem, Prov.lem Romae. Item ordinaverunt M.m Regentem ibidem M.m Matthaeum de Bononia. Item ordinaverunt Bacchalarium in dicta Curia praedictum Fr.m Philippum de Sicilia et Biblicum Fr. Jacobum, ut dictum est supra. Item Priorem Fr. Petrum Lappi de Senis, (2) Item Mgrum Studentium Fr. Bartholomaeum Gori de Senis. Committentes R.do M.o Generali de Priore Curiae Romanae et aliis Officialibus, quod possit ordinare et eos mutare prout sibi melius videbitur, et sic de omnibus aliis Studiis et Studentibus.

Quantum ad Constitutiones.

In primis ordinaverunt, quod quilibet Biblicus electus pro forma ad legendum in Universitate Papiensi contribuat Conventui Papiensi (22-a) annuatim fl. VIII. Item quilibet Bacchalarius actu non legens formatus annuatim fl. VIII. Item quilibet studens in Theologia annuatim solvat eidem Conventui fl. VIII. Item quilibet Studens in Artibus et Philosophia.. fl. IIII.

Eximuntur tamen ab his solutionibus Biblici, Bacchalarii et Studentes Prov.ae Lombardiae dicti Conventus. Volentes et decernentes ex nunc pro tunc, quod solutio praedictarum pecuniarum non convertatur in alios usus, nisi lectis et lectisterniis prò dicto Conventu, donec fultae sint omnes Camerae Studentium et aliorum Conventus praedicti; fultis autem Cameris, applicentur ad alios usus, prout erit expediens.

Item quod nullus habeatur aut reputetur Lector Sacrae Paginae: nisi studuerit per tres annos in Theologia et fecerit tres collationes tribus vicibus Mgro Studentium, aut alicui Bacchalariorum responderit.

---

(1) Andreas Nicolai de Lucca vide supra p. 82.

(2) Idemne ac Petrus bacchalarius qui anno 1441 priorem Senis egit?

Item ordinamus sub poena carceris, quod nullus Frater cujuscumque Gradus, Conditionis, et eminentiae existat, accedat ad Curiam Romanam sine speciali licentia Prioris Generalis et sui Provincialis. Mandantes sub eadem poena talibus habentibus licentiam, ut ante eorum exitum de sua Provincia teneantur causam sui exitus sub Sacramento suo Priori Provinciali explicare et ut statim cum intraverint Curiam Romanam, sub eadem poena teneantur infra diem naturalem Procuratori Ordinis se praesentare, et eidem causam sui adventus explicare per Sacramentum. Si qui oppositum fecerint, volumus ut Procurator eos incarceret, et eorum bona Ordini applicet. Per hoc tamen non intendimus, quin Prior Generalis libere et sine cujuscumque sui inferioris licentia, possit mittere quemcumque ad Curiam Romanam, qui non teneatur ad Constitutionem praedictam.

Item gratiose concesserunt, quod quicumque voluerint facere causa devotionis Festum novem Lectionum de Sancto Christophoro in crastino octavarum Sanctae Mariae Magdalenae, libere facere poterunt.

Item renovaverunt constitutionem de non revelando indebite secreta Ordinis sub poena carceris eis infligenda.

Item ordinaverunt quod Procurator Ordinis procuret rehabere bona Ordinis tenta per Mgrum Dominicum.

Item praecipimus et mandamus omnibus Provincialibus in virtute Sanctae Obedientiae, et sub poena privationis ab Officio, quatenus portent vel mittant copias omnium Bullarum existentium in eorum Provinciis pertinentium ad Communitatem Ordinis, ad Capitulum Generale celebrandum.

Ratio taxationum positarum in proximo Capitulo Generali praeterito et receptarum a dicto Capitulo usque ad praesens, (22-b). In primis a Prov.a Siciliae fl. X, a Prov.a Angliae fl. CLX, a Prov.a Romae fl. LXXXXV, a Prov.a Alemaniae inferioris fl. LXIII, a Prov.a Lombardiae fl. LXV, a Prov.a Thusciae fl. L, a Prov.a Vasconiae fl. X, a Prov.a Bononiae fl. LXV, a Prov.a Alemaniae Superioris fl. XXXVI.

Summa praedictarum est fl. CCCCCLIII.

Et sic patet quod Provincia Siciliae tenetur Ordini de taxationibus positis in Capitulo Francfordiae in fl. LV, Prov.a Hiberniae nihil solvit, ideo tenetur in fl. XL, Prov.a Thusciae in

fl. XV, Prov.a Alemaniae Superioris in fl. XX, Prov.a Vasconiae in fl. XXXVI.

Summa dicti debiti est fl. CLXVI.

Expensae factae per R.dum Mag.m Ordinis pro Ordine a Capitulo Generali Francfordiae celebrato usque ad praesens Capitulum, prout calculatum est et ostensum particulariter coram Diffinitoribus et approbatum per eos fuit; sunt fl. V.c LXXXXIX.

Summa expensarum factarum per M.m Dominicum pro duobus annis quibus fuit Procurator Ordinis post Capitulum celebratum Francfordiae est fl. CXXXIII.

Summa expensarum factarum per Fr. Johannem Cichalensem pro anno quo fuit Procurator statim post Mag. Dominicum est fl. LXIX.

Summa igitur omnium expensarum factarum a Capitulo Generali Francfordiae celebrato usque ad praesens Capitulum celebratum Placentiae computatis CLXV fl, in quibus Ordo remansit obligatus Priori Generali in Capitulo Francfordiae est flor. VIIII.c LXVI et sic computatis omnibus expensis et receptis ordinis a Capitulo Francfordiae usque ad praesens Capitulum Placentiae celebratum remanet Ordo obligatus in fl. IIII.c XII.

De quibus Provinciae infrascriptae de taxatione posita in Capitulo Generali Francfordiae celebrato debent solvere ut infra continetur: Prov.a Siciliae fl. LV, Prov.a Hiberniae fl. XL, Prov.a Thusciae fl. XV, Prov.a Alemaniae Superioris fl. XX. Prov.a Vasconiae fl. XXXVI.

Summa est fl. CLXVI.

(22-c) Quibus receptis adhuc remanet Ordo obligatus Priori Generali in ducentis XLVI fl. Pro quorum solutione ordinaverunt quod infrascriptae Provinciae infra annum solvant dictam taxationem. Provincia Angliae flor. LXX, Alamaniae inferioris XL, Lombardiae XXV, Hiberniae XIII, Tusciae XXV, Bononiae XXV, Alemaniae Superioris XIII. Quibus receptis adhuc remanet Ordo obligatus Priori Generali de supradictis expensis in flor. 10.

Ultra dictas taxationes ordinaverunt, quod quaelibet Provincia solvat communem, et antiquam Ordinis taxationem.

Inprimis Provincia Siciliae flor. XV, Angliae XXX, Romae XXV, Alemaniae inferioris XVI, Lombardiae XV, Hiber-

niae X, Tusciae XV, Bononiae XV, Alemaniae superioris XII, Conventus Leodij V.

De suprascripta taxatione debent fieri expensae communes Ordinis secundum nostri Ordinis consuetudinem institutae, et debent solvi M.ro Bartholomeo de Sicilia flor. XX. pro tempore quo fuit Procurator Ordinis, tam pro Constitutione sua quam pro expensis factis per eum.

Ordinaverunt Capitulum Generale celebrandum ad tres annos in Coñtu Silvarum Prov.ae Tusciae in Festo Pentecostes, ad quod solum debent accedere illi de Gremio. (1)

Retinemus nobis authoritatem ista permutandi et declarandi hinc ad octo dies, aliaque instituendi prout nobis videbitur. (22-d *vacat*).

(23-a) Haec sunt Acta Capituli Generalis Ordinis Fratrum Sanctae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli in Festo Pentecostes, in Conventu Silvarum Provinciae Tusciae celebrati, Anno D.ni M. CCC. LXXXXIX. die 18[a] Maij per R.dm in Christo Patrem M.rum Joannem de Raude Priorem Generalem dicti Ordinis. In quo quidem Capitulo fuerunt infrascripti Diffinitores.

Diffinitor Provinciae Siciliae R. Mag. Philippus Provincialis Siciliae, Diffinitor Prov. Angliae R. Magister Thomas de Lema, (2) Diffinitor Prov. Romae Fr. Johannes Cechalensis, ex dispensatione. Diffinitor Prov. Alemaniae inferioris Fr. Everardus de

(1) Antiquitus in Capitulis adfuerunt praeter Gremiales plurimi Patres, Fratres Studentes et Laici. (*Monù. hist.* I p. 256, 258, 259). Ratio hujus decreti non potest esse solitudo loci, quia non longe distat a loco *Signa* et aliis.

(2) *Thomas de Lema.* Thomas de Lynne, dioecesis Norvicensis. 30 Maji 1399 obtinuit honorem et privilegia capellani honoris pontificii; sequenti anno fuit prior conventus de Lynne. Anno 1409 Alexandro V supplicationem praesentavit quatenus olim Heidelbergae studiis vacaverit atque gradus bacchalareatus et magisterii obtinuerit, quoniam vero ab aliquibus aemulis diffamatus fuerit quasi omisso bacchalareatu magisterium per saltum adeptus esset rogat ut ipse Summus Pontifex dignaretur benigne eidem super his providere; cum vero Alexander ante confectionem litterarum obierit successor Johannes XXIII litteris datis Bononiae VIII Kal. Junii 1410 Johanni de Bononia priori generali mandat quatenus diligenti inquisitione facta ora obloquentium et aemulorum obstruat. (Reg. Lat. 144, fol. 177) Obiit tandem Lynneae anno incomperto.

Odendorp. (1) Diffinitor Prov. Lombardiae R. Mag. Jacobus de Salvaticis Provincialis Lombardiae; Diffinitor Prov. Tusciae R. Mag. Johannes Leonardi de Florentia, Diffinitor Prov. Bononiae R. Mag. Karolus de Bononia, Provincialis Bononiae, Diffinitor Prov. Alemaniae Superioris Fr. Henricus Woghet. (2)

In dicto autem Capitulo remansit ut prius confirmatus Prior Generalis R. Mag. Johannes de Raude suprascriptus, qui una cum suprascriptis Diffinitoribus infrascripta ordinaverunt:

Primo de Provincialibus: Provincialem Prov. Siciliae R.dum Magistrum Philippum de Sicilia, Provincialem Prov. Angliae Fratrem R. M. Johannem Kyningam, (3) Provincialem Prov. Romae Fratrem R.dum Johannem Cechalensem; Provincialem Prov. Alemaniae inferioris R. M. Johannem Brammart, Provincialem Prov. Lombardiae Fratrem R. M. Anthonium de Massenzana, Provincialem Prov. Tusciae Fratrem R. M. Albinum Albicium (4), Provincialem Prov. Bononiae Fratrem R. M. Mattheum de Bononia, Provincialem Prov. Alemaniae Superioris Fratrem Henricum de Grefenberet. (5)

Item ordinaverunt R. M. Johannem de Kyningham Provincialem Angliae Vicarium Prov. Hiberniae; (6) committentes eidem per obedientiam salutarem, ut provideat (23-b) dictae Provinciae de Provinciali per electionem illius Provinciae, vel aliter, prout melius sibi videbitur.

Commiserunt Diffinitores praedicti R.do M. Ordinis supra-

---

(1) Everardus Meynardi, Gelrensis, de vico Oudeberck prope Gelriam, professus Gelriae, theologus celebris et eruditus, concionator famosus et eloquens. Anno 1393 prior et regens studii Bruxellensis, anno 1399 bacchalaureus formatus Coloniae. Antea, scil. anno 1385 erat lector secundarius Moguntiae unde Gessnerus eum Moguntinum putavit. Ab anno 1401 usque 1404 prior Bruxellensis (desunt libri provinciae ab anno 1392 usque 1422 ita ut cetera ejus officia nos lateant). Anno 1422 lector Gelriae, et iterum 1424 lector secundarius ob promotionem Petri a Nova Ecclesia ad gradum doctoratus. Obiit Gelriae 10 Dec. 1429 in loco capitulari sepultus. Gradum doctoratus numquam attigerat. Ita Norbertus a S. Juliana corrigens cum Gessnerum tum Bibliothecam Carmelitanam.

(2) Forsitan Vogel.

(3) Cunningham.

(4) Videtur idem ac Albicius Azzolini.

(5) Greifenberg.

(6) Hujus tempore unita provincia Anglo-Hibernica mille quingentos fratres habuisse dicitur.

scripto, ut possit ordinare Provincialem in Prov. Vasconiae prout melius sibi videbitur.

Socios R.di M.stri Generalis ordinaverunt. Primum R.dum M.rum Andream de Lucha, Secundum F.rm Ambrosium Cornu (1). Volentes Diffinitores, quod ipse R. Mgr. Generalis possit dictos socios transmutare et alios assumere, prout ei melius videbitur expediens, quandocumque et quotiescunque sibi videbitur expedire.

Sequitur de Studiis et Studentibus.

In primis ordinaverunt ad legendum Bibliam pro forma in Conventu Coloniensi pro anno praesenti, scilicet M. CCC. LXXXXIX°, et consequenter ad lecturam Sententiarum, secundum formam et modum Universitatis Coloniensis F.rm Everardum de Odendorp de Colonia.

Item mandant Priori Provinciali et Diffinitoribus Capituli Provincialis Prov. Alemaniae superioris proxime celebrandi, quatenus promoveant unum vel duos Fratres de Provincia sua, sufficientes ad Lecturam Bibliae et Sententiarum pro forma in Studio Viennensi, ad expensas dictae Provinciae, secundum morem praefatae Universitatis Viennensis, pro duobus annis immediate sequentibus.

Item ordinaverunt, quod studentes in Theologia in Prov. Tusciae possint promoveri per Capitulum Provinciale dictae Prov. in Conventu Florentiae pro gradu Lectoratus; et hoc ad instantiam dictae Prov. Tusciae: sic tamen quod dicti studentes teneantur respondere solemniter M.gro Studentium qui erit, vel Bachalario ter in anno, vel bis ad minus, et facere duas collationes in anno.

Item ordinaverunt Studium in Artibus in Conventu Cataniensi Provinciae Siciliae, Committentes Priori Generali et Diffinitoribus Capituli Provincialis dictae Prov. ut si dictus Conventus Catanensis non posset sustinere dictum studium, habeant providere de uno alio Conventu dictae Prov. pro dicto studio etc.

Item ordinaverunt, quod nullus studens de caetero promoveatur ad Studium Theologiae pro Gradu Lectoratus, nisi primo continuaverit praedicationes, per annum scilicet praedicando ad populum, ad laudem Dei, et augmentum Ordinis. Si fuerit

---

(1) Ambrosius de Cornibus fuit conventualis Mediolani anno 1403.

Lector, non gaudeat privilegiis Lectorum, nisi regulariter praedicaverit ad populum.

Committentes R.do M.ro Generali, quod de aliis studiis et studentibus habeat providere secundum quod suae videbitur discretioni.

At quia Universitas Papiae translata est ad Civitatem Placentiae, posuerunt studium Papiae in Civitate et Conventu Placentiae cum privilegiis, libertatibus, (23-c) alias positis per Capitulum Generale in Conventu Papiae.

Ordinaverunt Bachalarium in Conventu Placentiae F.rem Thomam Tylney ad legendum Sententias pro duobus annis immediate sequentibus, et ad legendum Bibliam pro 3.° anno. Commiserunt R.do M.ro Philippo Proali Siciliae, quatenus supplicet ex parte R.di M.ri Ordinis, et Diffinitorum Capituli Generalis, vice totius Ordinis, D.no N.ro Papae pro Canonizatione Beati Alberti de Trapano.

Quantum autem ad Constitutiones, sic ordinaverunt. P.o ordinaverunt, quod de S.to Heliseo Propheta Montis Carmeli fiat omni anno 18 Kalend. Julii, scilicet die 14.a Mensis Junii Festum duplex vel maius, et fiat Officium de uno Confessore quousque habebitur Officium proprium.

Item ordinaverunt, quod eodem modo fiat omni anno Officium de Sancto Cyrillo Doctore Montis Carmeli, et Confessore, cuius Festum celebrari debeat septimo idus Martii, scilicet die IX eiusdem Mensis. Mandantes Prioribus Provincialibus, quatenus dicta Festa faciant inseri in Kalendariis suarum Provinciarum.

Item concesserunt, quod omnes Fratres Prov. Angliae possint facere Officium duplex de Sancto Augustino Apostolo Anglorum.

Item ordinarunt, ut alternatis septimanis feria V.a cantetur solemniter Missa de Corpore Christi, si dies vacaverit, et consequenter alternatis septimanis de Spiritu Sancto; nonobstante Constitutione quod in hebdomada semel cantetur Missa solemniter de Spiritu Sancto.

Item statuerunt, et mandaverunt omnibus Fratribus nostri Ordinis cuiuscumque Gradus, aut conditionis existant, ne aliquis audeat impetrare Officium Provincialatus a Curia Romana, directe vel indirecte, per se vel per alium quovis modo, nec aliquod aliud officium a Curia Romana, sub poena privationis

loci et vocis ipso facto, et inhabilitationis cuiuscumque gradus, et honoris, sine licentia Prioris Generalis, vel Capituli Generalis.

Item ordinaverunt Procuratorem in Curia Romana Fratrem Johannem Cechalensem, M.rum Regentem ibidem R.dum M.um Philippum de Sicilia. Priorem in Conventu Curiae Romanae Fratrem Michelinum de Monte Catino: (1) Volentes quod R.dus Mag. Generalis omnes suprascriptos Officiales et caeteros alios dictae Curiae possit permutare, secundum quod suae videbitur discretioni toties quoties sibi videbitur expediens et opportunum.

Ordinaverunt sequens Generale Capitulum hinc ad sex annos proximum futuros in Provincia Bononiae in Conventu, quem praefata Provincia Bononiae, seu Capitulum Provinciale dictae Provinciae duxerit eligendum. Committentes R.do M.ro Ordinis, quod dictum Capitulum (23-d) Generale possit permutare quo ad locum et tempus, secundum quod sibi videbitur expedire. Mandantes omnibus suis inferioribus, in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto, ut nullus audeat procurare per se vel per alium, directe vel indirecte ut dictum Capitulum anticipetur.

Retinemus nobis auctoritatem supradicta mutandi, et declarandi, et alia instituendi prout nobis videbitur usque ad decem dies inclusive.

Ratio taxationum positarum in proximo Capitulo Generali praedicto Placentiae celebrato, et Receptarum a dicto Capitulo usque ad praesens Capitulum.

Primo R. a Provincia Angliae taxationem illius Provinciae pro tribus annis fluentibus a Capitulo Placentiae celebrato usque ad praesens Capitulum computando pro quolibet anno flor. XXX ascendit ad flor. nonaginta LXXXX. Item R. ab eadem Provincia pro taxatione posita in Capitulo Placentiae celebrato pro solutione debitorum Ordinis flor. LXX. Item R. a Prov. Romae taxationem illius Provinciae pro tribus annis a Capitulo Placen-

(1) Michael de Monte Catino. Videtur Michael Moi de quo Necrologium florentinum dicit quod multoties fuit prior hic et alibi in provincia, obiit Prati prior S. Martini de Roma et ex devotione in morte petiit ascribi in hoc libro. Obiit 30 Julii 1400.

tiae usque ad praesens Capitulum, computando flor. XV. omni anno ascendit ad flor. XLV. Item R. a Prov. Alemaniae inferioris taxationem communem pro tribus annis sequentibus Capitulum Placentiae usque ad praesens Capitulum, computando omni anno flor. XXI. ascendit ad flor. LXIII. Item R. ab eadem Prov. de taxatione posita in Capitulo Placentiae pro debitis Ordinis solvendis flor. XL. Item recepi a Prov. Lombardiae taxationem pro tribus annis immediate sequentibus Capitulum Placentiae usque ad praesens Capitulum, computando omni anno flor. XV. ascendit summa ad flor. XLV. Item R. ab eadem Prov. pro taxatione posita in Capitulo Placentiae pro solvendis debitis Ordinis flor. XXV. Item R. a Prov. Tusciae pro taxatione de debito in quo obligabatur Ordini in Capitulo Placentiae flor. XV. Item R. ab eadem Prov. taxationem pro tribus annis a Capitulo Placentiae usque ad praesens Capitulum, computando omni anno flor. XV, ascendit ad flor. XLV. Item R. ab eadem Prov. de taxatione posita in Capitulo Placentiae pro debitis Ordinis solvendis flor. XXV. Item R. a Prov. Bononiae taxationem pro tribus annis post Capitulum Placentiae computando omni anno flor. XV. ascendit ad flor. XLV. Item R. ab eadem Prov. de taxatione posita in Capitulo Placentiae pro debitis Ordinis solvendis flor. XXV. Item R. a Prov. Alemaniae Superioris de debito in quo obligabatur Ordini in Capitulo Placentiae flor. XX. Item R. ab eadem Prov. pro taxatione communi illius Prov. pro tribus annis immediate sequentibus Capitulum Placentiae usque ad praesens, computando annuatim flor. XII. ascendit (24-a) ad flor. XXXVI. Item R. ab eadem Prov. de taxatione posita in Capitulo Placentiae pro debitis Ordinis solvendis flor. XX. Item R. a Prov. Vasconiae pro debito in quo obligabatur Ordini in Capitulo Placentiae fl. XXXVI.

Summa omnium receptarum a praedicto Capitulo Placentiae celebrato usque ad praesens Capitulum, de communibus et antiquis taxationibus Provinciarum, etiam de taxatione posita in dicto Capitulo Placentiae pro debitis Ordinis solvendis; et etiam de ijs in quibus aliquae Provinciae obligabantur Ordini in dicto Capitulo Placentiae celebrato, ut supra scriptum est flor. VI.c XLV. Et sic patet, quod computatis quadringentis XII florenis in quibus Ordo obligabatur in Capitulo Generali Placentiae celebrato, et defalcatatis. *(aliqua desunt)*

RATIO EXPENSARUM ORDINIS A CAPITULO GENERALI PLACENTIAE USQUE AD PRAESENS CAPITULUM.

In primis pro vestiario R. M. Ordinis pro tribus annis a Capitulo Generali Placentiae celebrato usque ad praesens Capitulum, computando omni anno flor. centum, ascendit ad flor. CCC. Item pro vestiario Socii sui pro tribus annis, computando pro quolibet anno flor. XVI., ascendit ad flor. XLVIII. Item pro salario famuli sui computando pro quolibet anno flor. XII. ascendit a Capitulo Placentiae usque ad praesens flor. XXXVI. Item in Papiro, cera, et diversis Cursoribus pro litteris missis et receptis computando flor. VI. in anno, ascendit ad flor. XVIII. Item pro infirmitatibus suis, quas passus est a Capitulo Placentiae usque ad praesens Capitulum, flor. XLV. Item pro solutione debiti M. Gualteri Quaplod flor. XXVII. Item pro expensis factis per Fratrem Johannem de Pergamo quando ivit Bononiam ratione Capituli Generalis flor. II. Item pro solutione debiti in quo M. Nicolaus de Lucha obligabatur Dominis mercatoribus de Mainis Civitatis Mediolani et debiti Conventus Mediolani, ac expensis factis per R. M. Antonium de Masenzana quando ivit Bononiam pro executione testamenti dicti M. Nicolai flor. C. L.

Hic notandum quod praedicti CL. flor. defalcantur de CCCV. flor. in quibus Ordo obligabatur R.do M.ro Nicolao de Luca, ut superius in fine tabulae Capituli Generalis Veronae celebrati MCCCLXXXI. Item pro expensis factis pro recuperatione ducentorum (24-b) flor. expositorum de mandato D.ni Papae pro recuperatione Conventus Sancti Martini de Urbe, computatis illis XX. flor., quos R. M. Ordinis recepit ultra dictos ducentos florenos flor. XXVI. Item pro expensis R. M. Ordinis veniendo ad Capitulum Generale, et inde redeundo ad Conventum Mediolani flor. LXX. Item pro expensis factis per Procuratorem extra Ordinem a Capitulo Placentiae celebrato usque ad praesens Capitulum, computando contributionem suam, et partem solutionis infirmitatum suarum, et partem solutionis expensarum suarum veniendi ad Capitulum et inde ad Provinciam Romanam redeundi flor. CC.

Item pro expensis R. M. Matthaei de Bononia Regentis in Curia Romana eundi ad dictam Curiam Romanam bina vice, et

inde redeundi, ac pro contributione sua, et pro satisfactione sua rerum suarum praedictarum flor. LXV.

Summa igitur omnium expensarum factarum a Capitulo Generali Placentiae celebrato usque ad praesens est flor. VIIII.c LXXXVII. Et sic patet quod computatis CCCCXII. flor. in quibus Ordo obligabatur in Capitulo Generali Placentiae celebrato, defalcatis VI.c XLV flor. acceptis ab Ordine a praedicto Capitulo Placentiae celebrato usque ad praesens Capitulum remanet Ordo obligatus in flor. VII.c LIIII.

De quibus Prov. Siciliae obligatur Communitati Ordinis in flor. centum. Item prov. Hiberniae obligatur in flor. 83. Item Vasconiae obligatur in flor. XLIX. Item Alemaniae superioris in flor. V.

Item ordinaverunt, ut communis et antiqua taxatio Provinciarum augeatur propter expensas occurrentes, etiam quia Provinciae Schismaticae nihil contribuunt Ordini, ita ut usque ad proximum Capitulum Generale celebrandum quaelibet Provincia annuatim solvat ut infra continetur:

Prov. Siciliae flor. XX., Angliae flor. XLIII., Romae flor. XX., Alemaniae inferioris flor. XXXII., Lombardiae flor. XX., Hiberniae XV., Tusciae flor. XX., Bononiae flor. XX., Alemaniae Superioris flor. XXII., Vasconiae flor. XVII.

Ultra istam ordinariam taxationem ordinaverunt, ut pro solutione debiti Ordinis, quaelibet Provincia, exceptis duntaxat Prov. Siciliae et Romae solvat per duos annos immediate sequentes, aut quolibet istorum duorum (24-c) annorum prout infra continetur, scilicet: Prov. Angliae flor. LXVII cum dimidio, Alemaniae inferioris flor. XLVII cum dimidio, Lombardiae flor. XXXIII, cum dimidio, Hiberniae flor. XVI., Tusciae flor. XXXIII cum dimidio, Bononiae XXXIII cum dimidio, Alemaniae superioris XXXIII., Vasconiae XVI cum dimidio.

(Postea vacat pagina).

(25-a) *In nomine Domini Amen.*

Haec est Tabula actorum Capituli Generalis Fratrum Ordinis Sanctae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli Bononiae celebrati anno Domini Millesimo quadringentesimo quinto, post decessum bonae memoriae Reverendissimi M.ri Johannis de Raude Prioris Generalis. In quo Capitulo primo ab omnibus de gremio unanimiter in Priorem Generalem nostri Ordinis fuit rite et ca-

nonice electus R. M. Matthaeus de Bononia; et secundum nostri Ordinis instituta in Priorem Generalem pronunciatus. In quo quidem Capitulo Generali Diffinitores fuerunt infrascripti, scilicet:

Diffinitor Prov. Siciliae Frater Sergius Provincialis; Prov. Angliae Fr. Johannes Hotton (1); Prov. Narbonae M. Jo: Leonardi de Florentia; Prov. Franciae M. Andreas de Luca; Prov. Alemaniae inferioris R. M. Henricus (2) Provincialis; Prov. Aquitaniae Fr. Jacobus de Mannellis de Bononia; Prov. Romae Fr. Paulus Thomae (3) Prior Senarum; Prov. Hispaniae Fr. Nicolaus Bachalarius Venetis; Prov. Hiberniae Fr. Matthaeus (4) Provincialis Hiberniae; Prov. Provinciae Fr. Gerardus de Trapano; Prov. Scotiae Fr. Antonellus de Roma; Prov. Tusciae M. Albicus Provincialis; Prov. Bononiae Fr. Thomas Prior Ferrariae; Prov. Tholosae Fr. Anellus de Neapoli; (5) Prov. Cathaloniae Fr. Philippus de Marsala de Sicilia; Prov. Alemaniae Superioris Fr. Johannes de Cells; Prov. Vasconiae Fr. Johannes de Cruce. (6) Qui Diffinitores una cum R. M. Generali infrascriptos Provinciales instituerunt et ordinaverunt; scilicet: Provincialem Terrae Sanctae, commiserunt Provinciali Siciliae quod provideat. Provincialem Siciliae Fr. Sergium de Sicilia; Angliae M. Stephanum Patrington; (7) Narbonae M.

(1) *Johannes Hotton.* Idemne qui anno 1381 apud Lichfield presbyter ordinatus fuit, tunc temporis conventualis apud Coventry existens, et anno 1397 prior Cantabrigiae fuit, cujus nomen Johannes Hoyden vel Heydon scribitur?

(2) Henricus Dalen.

(3) Paulus Thomae de Senis. Annis 1409, 1413 et 1424 (in primo capitulo illius anni) fuit diffinitor provincialis, annis 1409, 1412, 1413, 1416 et 1417 prior conventus Senensis.

(4) Postea vocatur Siride, Synden.

(5) In aliquo instrumento Neapolitano anni 1411 occurrit primo loco Mag. Agnellus de Neapoli, provincialis provinciae Romanae. Sub die 30 Maji 1421 instituitur episcopus Acciensis (Ajaccio) in insula Corsica. Obiit anno 1440 seu 1441.

(6) Johannes de Cruce. (Idemne ac ille qui Monument. 427 commemoratur?)

(7) Stephanus Patrington. Eboracensis patria, Oxoniensis studiis et doctrina, et jam ante 1382 bachalariatu, ante 1389 laurea magistrali insignitus: unus e principalioribus adversariis Wiclifi Lollardorumque. Anno 1389 licentiam obtinuit legendi atque praedicandi in ecclesia cathedrali Lincolniensi etiam absente cancellario. Paulo post conventum Oxoniensem cum Londinensi permutavit et in capitulo

Johannem Leonardi de Florentia; Provinciae Romae M. Anellum de Neapoli; Franciae M. Andream de Lucha; Alemaniae inferioris M. Henricum Dalen; Lombardiae M. Antonium de Mesanzana; Aquitaniae Fr. Jacobum de Mannellis de Bononia; Hispaniae Fr. Nicolaum de Cataneis de Venetis; Hyberniae Fr. Matthaeum Syriden de Ybernia; Prov. Provinciae Fr. Gerardum de Trapano; Scotiae vacat; Tusciae M. Albizum de Florentia; (1) (25-b) Bononiae M. Carolum de Bononia; Tolosae Fr. Antonium de Pisis; Cathaloniae Fr. Philippum de Sicilia; Alemaniae superioris Fr. Henricum Greuenberg; (2) Vasconiae Fr. Bernardum de Cadiliacho; Priorem Romanae Curiae Fr. Cholam de Sicilia; (3) Procuratorem Romanae Curiae M. Andream de Luca; M. Regentem Romanae Curiae Magistrum praedictum; Suppriorum Rom. Curiae Fr.... Bachalarium Rom. Curiae fratrem...... Commiserunt R. M. Ordinis, quod omnes Officiales Curiae suprascriptos possit mutare, et alios instituere, prout sibi videbitur, nonobstante ordinatione superius facta de ipsis; et idem volumus intelligi de officialibus Conventus ubicumque Curia fuerit. Quantum vero ad studium sic ordinaverunt, scil. Primo commiserunt Priori Generali liberam dispositionem Studii ac studentium, et ordinariarum Lecturarum, tam Bibliae quam sententiarum.

Item propter Schisma et ipso regnante, ordinaverunt Stu-

---

anni 1399 prope Sutton (Plymouth) provincialis Angliae renuntiatus est. Johanni Gandavensi duci Lancastriae familiaris, demum utroque Henrico, quarto nempe et quinto acceptus quorum posteriori a confessionibus fuit. Die 1 Febr. 1415 episcopus Menevensis in Cambria renuntiatus, 9 Junii ejusdem anni per archiepiscopum Cantuariensem Chichele consecratus fuit. Episcopatum Chicestriensem sibi anno 1416 oblatum primo acceptare renuit, demum 27 Aug. ejusdem anni ejus emolumenta sibi a rege concessa fuerunt quamvis provisio papalis nonnisi 15 Decembr. 1417, mortuo jam Patrington, secuta sit. Refertur concilio Constantiensi ex parte saltem interfuisse, regemque Henricum V in itinere comitaturus morte correptus est, juxta Balaeum 22 Sept. 1417, sed probabilius 22 Novemb. cum testamentum conditum die 16 Nov. 1417, die 29 Dec. probatum fuerit. Sepultus est in choro ecclesiae Ordinis Londini.

Cf. Balaeum passim, Dict. Natl. Biogr. s. v.

(1) Albiccius de Florentia. Vide supra p. 99.

(2) Henricus Greifenberger, p. 106.

(3) In quodam instrumento Neapolitano anni 1411 occurrit frater Nicolaus Siculus lector, forte idem qui hic memoratur.

dium Parisiense in nostro Conventu Bononiae, nolentes quod in aliquo Conventu Italiae nostri Ordinis sit Universitas aliqua pro Gradu Lectoratus, nisi dumtaxat in Universitate Bononiae.

Item statuerunt, quod studentes nostri in Studio Bononiae in Theologica Facultate stantes per tres annos, Lectores sint, et eisdem gratiis ac privilegiis, quibus Lectores Parisienses utantur.

Item ordinaverunt, sub poena excommunicationis latae sententiae, quod Bachalarii et Biblici ordinati et ordinandi in futurum in Universitatibus Italiae legant sententias, et procedant isto modo; scilicet: quod pro primo anno legant duos primos Libros, et 2. anno duos ultimos Libros, et Bibliam legant ante vel post sententias, et stent vacantes ad visitandum scholas, et actus scholasticos per unum annum integrum; ita quod ad minus stent in praedictis Universitatibus antequam consequantur Gradus Magisterii per quatuor annos completos, conformando nos statutis Sanctissimi nostri Papae directis praedictis Universitatibus Italiae; postea possint et non ante consequi Gradum Magisterii de beneplacito et consensu R. M. Ordinis, et Magistrorum praedicta Universitatum Italiae.

Item ordinaverunt, quod si quis amodo sine ordinatione Capituli Generalis Gradum Magisterii, aut Lecturas (25-c) Bibliae et Sententiarum procuraverit, ex tunc inviolabiliter volumus Paragraphum « si quis » de sigillis et sigillationibus, observari.

Item ordinaverunt, quod Bachalarii et Biblici ordinati et in futurum ordinandi ad Lecturas ordinarias pro consequendo Gradu Magisterii in partibus et Universitatibus Italiae, antequam praesententur ad praedictas Lecturas, habeant jurare in manibus sui Provincialis vel sui Magistri Regentis servare statuta Dni N.ri Papae directa praedictis Universitatibus Italiae per Summum Pontificem Urbanum VI et confirmata per summum Pontificem Bonifacium IX.

Item ordinaverunt ad Lecturas sententiarum pro gradu Magisterii pro forma in Universitate Bononiae Fratrem Berengarium de Sicilia in nostro Conventu Bononiae pro anno praesenti.

Quantum ad Ordinationes.

In primis in praefato Capitulo praedictus Prior Generalis revocavit omnes gratias per quoscumque suos Predecessores alicui Fratri nostri Ordinis concessas.

Item idem gratiose omnem Fratrem incarceratum libere absolvit a carceribus et ab omni poena corporali, quibus fuisset hactenus judicatus; restituens locum et vocem omnibus ipsis privatis, habilitans omnes inhabiles ad omnes gradus et officia, quantum sua se extendit potestas, dempto Fratre Hermano de Casibus, cuius liberatio committitur R.do Provinciali Alemaniae inferioris, vel eius Capitulo Provinciali.

Item ordinaverunt praedictus Prior Generalis cum Diffinitoribus quod Provinciales noviter instituti in Provinciis scismaticis in suis prov. nativis moram possint trahere donec ad sibi commissas Provincias poterunt accedere, et interim in ipsis locum et vocem habeant active et passive, ac si Provinciales non essent.

Item ordinaverunt, quod Diffinitores assumpti ad officium Diffinitionis Generalis Capituli per Vicarium Ordinis potestate D.ni Papae sibi concessa, pro sequenti Capitulo Generali ad eiusdem diffinitionem valeant eligi per suas Provincias, et etiam infra Provinciam ad omnia officia, cum nunc non sint juxta morem Ordinis electi, sed potestate Domini Papae.

Item revocaverunt omnem potestatem aliquibus fratribus cujuscumque Provinciae per aliquod Generale Capitulum datam, qua ad libitum sine licentia sui Provincialis aliquem vel aliquos Conventus possint visitare.

Item ordinaverunt, quod quilibet Frater nostri Ordinis juret fidelitatem et obedientiam Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, et Sanctissimo D.no N.stro Innocentio sola Divina (25-**d**) Providentia Papae septimo, ac etiam acceperunt juramentum ab omnibus Fratribus qui in dicto Capitulo interfuerunt, super dicto negotio.

Item statuerunt, quod Constitutio, quae habetur in fine quartae Rubricae Constitutionum, de non dicentibus divinum Officium, per omnes Provinciales et Priores nostri Ordinis in virtute sanctae Obedientiae, et sub poena rebellionis, inviolabiliter observetur.

Item in virtute sanctae Obedientiae districte praecipiendo mandat R. Prior Generalis una cum Diffinitoribus quatenus nullus Frater nostri Ordinis ad Curiam accedat, nisi de licentia sui Provincialis, nonobstantibus quibuscumque gratiis per Generalem indultis. Etiam quod in itinere et in Curia habitum Religionis

nostrae aperte, et non occulte ad honestatem Religionis portent: quod si oppositum fecerint, ex tunc per Priores, et singulos alios, quibus commissum fuerit, incarcerentur.

Item ordinaverunt, mandantes omnibus fratribus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena carceris, quod nullus frater nostri Ordinis audeat portare subtus tunicam habitum saecularem et inhonestum; mandantes omnibus Provincialibus in virtute sanctae obedientiae, et omnibus Prioribus nostri Ordinis sub poena depositionis ab officio Prioratus, ut dictam Constitutionem observari faciant inviolabiliter.

Item mandaverunt omnibus Prioribus Provincialibus in virtute sanctae obedientiae, quod servent et servari faciant Constitutionem de Studiis et Studentibus, et provisionibus dandis eisdem, sub poena taxata in Constitutionibus infligenda.

Item Prior Generalis et Diffinitores considerantes quantae dignitatis et honoris sit Ordini nostro Gradus Magisterii, ordinaverunt, quod Magistri in Theologia praecedant omnes Priores Conventuum in Choro et Processionibus, ut alias fuit ordinatum. In Capitulo autem et Refectorio observent Constitutiones. Mandantes omnibus nobis inferioribus per salutarem obedientiam, ut in praemissis non audeant in contrarium se impedire.

Item praecipiunt Priori Provinciali Provinciae Hiberniae, et omnibus Prioribus Conventualibus eiusdem Prov., sub poena rebellionis, et sub eadem poena Priori Provinciali Prov. Angliae, et omnibus Prioribus eiusdem Provinciae; ac etiam omnibus Provincialibus et Prioribus nostri Ordinis, sub eadem poena, ut nullus praedictorum sit ausus recipere Apostatas cum habitu, vel sine habitu, cujuscumque alterius sibi alienae Provinciae sine speciali licentia R.di M.ri Ordinis.

Item ordinaverunt, quod omnes Fratres quorumcumque Conventuum nostri Ordinis sint sub obedientia Provincialium suorum, ut habetur in Rubrica XXXIII, de comminantibus et rebellibus paragrapho: Item statuimus quod omnes et singulos (26-a) fratres etc. Addentes super poenas illatas in illa Constitutione, quod si talia aliqui sint ausi perpetrare, ipso facto sint excommunicati, a qua excommunicatione nullus possit absolvi nisi a suo Provinciali.

Item approbaverunt, et confirmaverunt Constitutionem fac-

tam in Capitulo Placentiae, de non revelantibus (1) secreta Ordinis et fratrum extra ordinem quae cedant ad scandalum et dampnum ordinis nostri nec alicuius fratris praedicti Ordinis, juxta Rubricam Constitutionum XXXV. Paragrapho: Quicumque fratrem aliquem etc. sub poena excommunicationis, et cum hoc carceri mancipetur.

Item ordinaverunt, quod Conventus Senarum, et Conventus Aretinus, et Conventus Rochastratae, qui quasi sunt totaliter derelicti, sint de Provincia Tusciae, et ipsos amoverunt a Prov. Romana.

Item quia Studium Parisiense positum est in Conventu Bononiae, posuerunt Conventum Bononiae immediate sub obedientia R.di M. Ordinis, sicut consuevit esse Conventus Parisiensis quoad Priorem et officiales.

Item ordinaverunt omnibus fratribus et Conventibus nostri Ordinis in virtute sanctae obedientiae, quod non audeant facere de Festo trium lectionum Festum novem lectionum, nisi dumtaxat de Festis de quibus Ordinale nostrum, et Constitutiones faciunt mentionem, sub poena rebellionis omnibus contrafacientibus infligenda.

Socios R.di M.ri Ordinaverunt:

Primum socium Fratrem Nicolaum de Cataneis de Venetis, secundum socium Venerabilem Fratrem Laurentium Vannis de Florentia. Committentes praedicto M.ro Ordinis, ut ipsos possit permutare et alios assumere, secundum quod sibi videbitur.

Capitulum Generale sequens ordinaverunt in Provincia Alemaniae Superioris hinc ad quatuor annos in Festo Pentecostes: Committentes R.do M.ro Ordinis, ut ipsum possit permutare quoad locum et tempus, secundum quod sibi videbitur.

Collationem in dicto Capitulo faciat R.dus M. Johannes Leonardi de Florentia.

(26-**b**) Quantum ad introïtum Ordinis.

Imprimis recepi a Provinciali Siciliae de taxationibus praeteritis usque ad praesens Capitulum Generale Bononie celebratum Ducat. XXXIIII, residuum solvit R.do M.ro Johanni Praedecessori meo.

Item recepi a Provinciali Tusciae de taxationibus praeteritis

(1) Lege « de non revelando ».

usque ad praesens Capitulum Generale Bononiae celebratum Ducatos LXXX; residuum solvit R.do M.ro Ordinis Praedecessori meo in pluribus vicibus, ut vidi in pluribus scripturis.

Item recepi a Provinciali Hiberniae flor. X. residuum solvit R. M. Ordinis Praedecessori meo, ut asseruit.

Summa Introitus Ducat. CXXIIII.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCCV. Infrascriptae sunt expensae Ordinis factae per R.dum Magistrum Matthaeum de Bononia Vicarium Generalem Ordinis Carmelitarum post decessum bonae memoriae R.di M.ri Johannis de Raude Prioris Generalis nostri sacri Ordinis a Mense Octobris Anno D.ni MCCCCIIII. usque ad Generale Capitulum in Festo Pentecostes in Conventu Bononiae celebratum Anno D.ni MCCCCV. de Mense Junii die VII.

Inprimis dedi uni Cursori die XXIIII. Octobris mihi misso cum Litteris R. Provincialis Lombardiae flor. XX Bonon.

Item dedi duobus nuntiis quos misi ad Curiam, et steterunt tribus mensibus pro defensione libertatis Ordinis; quia aliqui Magistri nostri Ordinis voluerunt usurpare; et pro multis expensis quas fecerunt, et pro expensis suis in eundo et redeundo et stando Ducat. XXXIX.

Item R.mo Protectori Ordinis pro factis Ordinis, et pro Bulla suppletionis vocum pro Generali Capitulo Ducat. XXXII.

Item pro prode sive usura pignorum multorum quae impignoravi pro multis pecuniis pro factis et expensis Ordinis Ducat. VI.

Item in Nuntiis et Fratribus missis hinc inde pro factis Ordinis et Litteris missis atque receptis pro notificatione Capituli Generalis Provincialibus Ordinis Ducat. XX.

Item pro mensa Vicarii Ordinis et sociorum et famuli Ducat. X.

Item pro vestiario Vicarii Ordinis pro novem mensibus Ducat. LXXV.

(26-c) Item pro cera et papiro per totum annum Ducat. II.

Item Magistro Andraeae de Luca pro quo misi ut faceret sermonem Generalis Capituli, cum uno socio veniendo et redeundo, Ducat IX. cum dimidio.

Item pro famulo R.di M.ri pro novem mensibus Ducat. V.

Item pro expensis Fratris Michelini (Condari) quondam Prio-

ris Romae quia non fuit sibi satisfactum in veniendo de Roma Ducat. XII.

Item pro famulis et servitoribus in praesenti CapituloDucat. I.

Summa expensarum flor. CCXII. Summa Introitus flor. CXXIIII. Restum Ordinis flor. LXXXVIII. Quod restum debet recipere R.dus M. Ordinis.

Quantum ad taxationes sic ordinaverunt:

Provincia Siciliae flor. XX., Angliae XXX., Romae XV., Alemaniae inferioris XVI., Lombardiae XX., Hiberniae XII., Tusciae XX., Bononiae XX., Alemaniae superioris XX., Vasconiae XV.

Summa flor. CLXXXVIII.

(26-**d**) R.di Patres Diffinitores retinuerunt sibi posse diffinitionis usque ad feriam sextam proxime futuram inclusive. (1) *(deinde vacat).*

(27-**a**) Haec est Tabula ordinationum, Constitutionum, et Diffinitionis, quam nos Frater Johannes (2) humilis Prior Ge-

---

(1) Juvat hic afferre bullam hucusque ineditam.

Alexander etc, Ad futuram rei memoriam.. Cum nuper ex certis rationabilibus causis animum nostrum ad id moventibus voluerimus et auctoritate apostolica ordinaverimus quod dilectus filius Johannes Grossi ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmeli professor et in s. theologia magister, qui tempore retroacti scismatis in partibus ubi iniquitatis filio Petro de Luna olim Benedicto tertio decimo nominato obedientia praestabatur pro priore generali dicti ordinis reputatus et tentus fuerat, prout reputatur et tenetur et qui officium generalatus ipsius ordinis in eisdem partibus hactenus laudabiliter rexerat, in eodem officio usque ad generale capitulum dicti ordinis primo celebrandum remaneret, illudque interim in eisdem partibus dumtaxat regeret ac etiam exerceret omnibus et singulis prioribus provincialibus et fratribus dicti ordinis earundem partium qui nunc sunt et interim erunt in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus quatenus eidem Johanni in omnibus et singulis in quibus vero priori generali dicti ordinis secundum constitutiones et instituta ejusdem ordinis obedire tenentur et debent cum effectu pareant et obediant, alioquin sententias et poenas quas idem Johannes rite tulerit in rebelles ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Pisis VI Non. Octobris anno primo (2 Oct. 1409). (Reg. Lat 136, fol. CII b).

(2) Johannes (Grossi).

Cf. quae diximus in Monumentis passim. Obiit secundum Necrologium Florentinum 1 Aug. 1435.

neralis et Servus Fratrum Ordinis Beatae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli noviter in unione et reintegratione Ordinis antedicti electus unanimiter et confirmatus per Diffinitores Capituli Generalis, Provincialesque ac caeteros de Gremio dicti Capituli Bononiae Anno D.ni Millesimo CCCCXI. Dominica qua cantatur in Ecclesia Evangelium « Ego sum Pastor Bonus », quae fuit die XXVI Mensis Aprilis. Nomina vero Diffinitorum in eodem Capitulo existentium sequuntur in hac forma. Diffinitor Siciliae Fr. Gerardus de Trapano in Sacra Pagina Bachalarius, Diffinitor Angliae Fr. Henricus Scargil in Theologia Bachalarius; Provinciae Narbonae Fr. Nicolaus Coc (1) in Sacra Pagina Magister; Franciae Fr. Petrus de sancto Martino (2) Provincialis et in Sacra Pagina Magister; Alamaniae inferioris Fr. Wernherus Borbei; (3) Aquitaniae Fr. Petrus Vasconis Lector in Theologia; Prov. Provinciae Fr. Godofredus Godofredi Prior Viennae, et in Sacra Pagina Lector; Tusciae Frater Bartholomaeus Johannis (4) Provincialis et in Sacra Pagina Magister; Bononiae Fr. Karolus de Bononia Provincialis et in Sacra Pagina Magister. Et iste rigore Constitutionum praesedit electioni. Diffinitor Prov. Tholosae Fr. Robbertus Tholozani (5) Conventus Tholozae Prior, Prov. Vasconiae Fr. Dominicus de Spiali Provincialis et in Sacra Pagina Magister; Turoniae Fr. Stephanus Ramari Prior Aurelian. De quorum

(1) Conventus Podiensis ut liquet e codice Constitutionum Lunelensi; cf. Monumenta 425. Sub die 27 Junii anni 1420 (V. Kal. Junii a. IV) concessit Martinus V petitionem sibi a Nicolao Quoch in s. pag. professore ac priore provinciali Narbonae porrectam scilicet ut sibi liceat acceptare locum quem nonnulli nobiles Aeduensis dioeceseos (Autun) pro fundando conventu obtulerant. Supplic. 146; fol. CXVI.

(2) Petrus de s. Martino. Confessor domini Caroli II. regis Navarrae qui ad ejus preces conventum Pampelonensem intra moenia civitatis transtulit (cum antea extra fuisset), situmque et domus a domino Johanne Cruzat equite confiscatas pro fabrica instruenda concessit unde conventus ille tamquam fundatio regalis habetur. Acta sunt haec anno 1374, in solutionem voti a rege emissi.

(3) Wernherus Borbei. Wernerus Lorber qui annis 1382 et 1391 prior Spirensis erat.

(4) Bartholomaeus Johannis (Bartholus). P. 117.

(5) Balaeus de eo pluries, sed per transennam tantum: « Vir religiosus et doctus, lector, scripsit quaestionarium super omnia evangelia. »

omnium unanimi et concordi assensu fuit diffinitum, et ordinatum, de his quae pertinent ad regimen Ordinis nostri, prout infra sequitur.

Et primo ordinatum fuit et diffinitum, quod pro communibus negotiis Ordinis solvantur taxationes sequentes quolibet anno usque ad Capitulum generale immediate sequens, quod celebrabitur ad quatuor annos. Provincia Terrae Sanctae IX flor. Ciciliae XXVII flor., Angliae XXXIII flor. Narbone XXIII.; Romana XI.; Franciae XXVIII., Alemaniae inferioris XXVIII. cum dimidio; Lombardiae XIX., Aquitaniae XVII., Hispaniae... Hiberniae XVII.; Prov. Provinciae XVII., Scotiae...... Tusciae XVIII., Bononiae XVIII., Tholozae XVII., Cathaloniae...... Alemaniae Superioris XIIII., Vasconiae XVII., Turoniae XVII., Boëmiae X. Summa flor. CCCXL cum dimidio.

(27-b) De qua quidem summa debent persolvi P. Priori Generali pro vestiario suo et Sociorum suorum quolibet anno c. flor. Item eidem pro expensis factis veniendo ad Capitulum Generale et provisione fienda pro Concilio Generali celebrando XXXVII flor. cum dimidio. Item M.ro Regenti Parisijs XV flor.; item Biblico ibidem VIII flor. Item Conventui Parisiensi pro censibus L. flor.; item pro salario famulorum Prioris Generalis XII. flor.; item pro Loco Procuratoris in Consistorio V. flor.; item Procuratori Ordinis XV flor.; item Procuratori Seculari VI flor., item Advocato in Consistorio XX flor., Ianitoribus primae custodiae III flor. Ianitoribus 2 custodiae IIII.; M.ro Regenti Curiae Romanae XV.; Bacallario ibidem V.; pro Festo Conceptionis in Curia V.; pro vestiario R.di M.ri Matthaei (1) XL flor. Summa CCCXL flor. cum dimidio.

Item ordinatum est, (2) quod de placito ducto in Curia Romana contra Augustinenses pro loco in Scholis et alibi in Processionibus per Conventum Tholozanum, in quo praedictus Conventus exposuit CLXXX Libr. Turonens.; cum hoc tangat totum Ordinem, quod in sequenti Generali Capitulo praedicta summa taxabitur.

---

(1) Magistri Mathaei i. e. Mathaei Bononiensis quondam prioris generalis.

(2) « Item ordinatum est. » Agitur hic de bulla data Niciae III. Non. Martii anno IX (5 Martii 1405) a Benedicto XIII quam publici iuris fecit Eubel (Avinon. Obed. No. 1006).

Sequitur Ordinatio Priorum Provincialium.

Provincialis Terrae Sanctae Fr. Stephanus Bule. (1) Ciciliae Fr. Gerardus de Trapano Bacalarius in Theologia; Angliae Fr. Stephanus Patrington Magister in Theologia; Narbonae Fr. Poncius Bordi Magister in Theologia; Romanae commissum est Generali ut possit ordinare; Franciae Fr. Petrus de Sancto Martino Mag. in Theologia; Alemaniae Inferioris Fr. Nicolaus de Spira (2) Licentiatus; Lombardiae Fr. Hemmanuel de Incisa (3) Lector; Aquitaniae Fr. Johannes de Salesio M. in Theologia; Hispaniae Fr. Blasius Michaël Lector; Iberniae Fr. Matthaeus Synden; Provinciae Fr. Rostagnus Pharaudi Magister; Scotiae commissum est Magistro Ordinis; Tusciae Fr. Bartholomaeus Johannis Magister; Bononiae Fr. Karolus de Bononia Magister; Tholozae Fr. Raymundus Chammarii (4) Magister; Cathaloniae Fr. Petrus Iusti Mag.; Alamaniae Superioris Fr. Arnoldus de Vienna (5) Mag.; Vasconiae Fr. Dominicus de Spiali Mag.; Turoniae Fr. Guillielmus Chauchardi Magister; Bohemiae Fr. Johannes de Praga; (6) Procurator Generalis in Curia Romana Fr. Andreas Nicolai de Lucha Magister. Prior Curiae Romanae ad voluntatem Prioris Generalis; Prior Conventus Parisiensis Fr. Godofridus Polixen; Magister Regens in Curia Romana Mag. Andraeas Nicolai de Lucha; Bacallarius ibidem Fr. Coraldus

---

(1) « Stephanus Bule. » Johannes XXIII., concessit per litteras datas Romae apud S. Petrum IV. Id. Augusti anno II (10 Aug. 1411. Stephano Bulla ordinis Carmelitarum ut possit ad ordinem Praemonstratensium transire, et Kal. Sept. ejusdem anni postquam eum abbatiae S. Mariae de Episcopia Nicosiensis dioeceseos dicti ordinis praefecerat ut possit a quocumque episcopo benedici inque ejus manus juramentum fidelitatis praestare. Reg. Lat. 156 f. XCI, 157, f. CLXV.

(2) Incertum utrum idem qui annis 1429 et 1434 priorem Spirensem egit.

(3) Hermanus de Incisa (Emanuel de Incisa).

(4) Extat documentum sub die 6 Junii 1410 quo praesentibus magistro Joh. Grossi generali et magistro Raymundo Chaminarii provinciali Tholosano capitulum conventus Nemausensis Johanni Audiberti mercatori Nemausensi ob beneficia collata missam quotidianam pro se suaque uxore concedit.

(5) Arnoldus de Vienna. (Idemme ac Arnoldus Sehusen?) Doctor Viennensis.

(6) Johannes de Praga. Poenitentiarius Eugenii IV obiit Florentiae 17 Nov. 1435. Necrol. Florentinum.

de Tremonia; (1) Magister vacans Parisiis Fr. Guillelmus Squirelli; (2) Socii Prioris Generalis Fr. Nicolaus Coc, et Guillelmus Squine (3) in Sacra Pagina Magister.

(27-c) Ordinamus Magistrum Regentem Conventus Burdegalae usque ad instans Capitulum Generale cum privilegiis et libertatibus Magistrorum Fratrem Johannen de Bingo in Sacra Pagina Magistrum; nolentes quod aliquis inferior Generali possit eos deponere vel absolvere.

Ordinatio ad legendum Sententias Parisiis.

Pro I° anno Fr. Laurentius Christiani (4); pro II° anno Fr. Philippus Raydor (5); pro III° anno Fr. Oliverius Briencii pro IV.° anno Fr. Seguinus Cognati; (6) pro V.° anno Fr. Jacobus Vileti; (7) pro VI.° anno Fr. Johannes David. (8)

Ordinatio ad legendum Bibliam Parisiis.

Pro I° anno Fr. Oliverius Briencii; pro II° anno Fr. Seguinus Cognati; pro III° anno Fr. Jacobus Gileti; pro IV° anno Fr. Johannes David; pro V° anno Fr. Thomas Barth; pro VI.° anno Fr. Thomas Multoris (9); pro VII° anno Fr. Johannes Barata (10).

---

(1) Conradus Ernesti de Tremonia secundum Koch provinciae Alemanniae inferioris, at secundum Balaeum (minus probabile) Alemanniae superioris, bachalaureus Bononiensis, socius et individuus comes Thomae Waldensis, Michaelis Bononiensis sectator et interpres, scripsit librum de illustribus viris, obiit Londini anno 1419.

(2) Monumenta 439,

(3) Guilelmus Squine (Sequini).

(4) Laurentius Christiani. Monumenta 401.

(5) Philippus Raydor. Cf. Monumenta 397.

(6) Seguinus Cognati. Monumenta 425.

(7) Jacobus Vileti. Anno 1441 in capitulo provinciae Alemanniae superioris in die S. Annae in conventu Augustensi celebrato praesedit tamquam Vicarius Generalis per totam Germaniam.

(8) Johannes David. Monumenta 427.

(9) Monumenta, 435. Sub die 14 Febr. 1427 (XVI. Kal. Mart. anno X) Martinus V. rescripsit officiali Andegavensi quatenus Thomae Multoris bachalario formato Parisiensi et tunc temporis provinciali Turonensi qui ob bella grassantia et defectum pecuniae Parisius accedere non possit post diligens examen per se et alios tres vel quatuor magistros in s. theologia si ipsum ad hoc idoneum repererint licentiae gradum et magisterii insignia adhibitis consuetis solemnitatibus cum omnibus privilegiis et exemptionibus conferre queat. Reg. Lat. 270, f. CXVII.

(10) Johannes Barata. Monumenta 416.

Ordinatio ad legendum Sententias Tholozae.

Pro I° anno Fr. Stephanus Scutleri; pro II° Fr. Johannes Boerii; pro III° Fr. Guillelmus Costall; (1) Pro IV° Fr. Dominicus de Pelafiga; pro V° Fr. Petrus Vasconis; pro VI° Fr. Guillelmus Segerii.

Ordinatio ad legendum Bibliam Tolozae.

Pro I° anno Fr. Guillelmus Costalli; pro II° Fr. Dominicus de Pelafiga, pro III° Fr. Petrus Bastonis; pro IV° Fr. Guillelmus Segeri; pro V.° Fr. Raymundus Fresardi; pro VI° Fr. Anselmus Ogerii; pro VII° Fr. Jacobus de Monte.

Item ordinamus ad legendum extraordinarie Fr. Wilhelmum Bixton Provinciae Angliae.

In Studio Bononiensi pro I° anno Lector Sententiarum Fr. Nicolaus de Rizzo; (2) pro II° anno Lector Sententiarum Fr. Nicolaus de Cathaneis.

In Studio Florentiae Bibliam legat Fr. Anthonius Fidei (3)

---

(1) De conventu Burdegalensi ubi etiam prior erat (vide Monumenta, 478, 480, inter epistolas Waldensis), provincialis Vasconiae ab a. 1441 usque 1457.

(2) Provinciae Siciliae, de conventu Cathanae, doctor multiplici divini muneris talento dives. Duo opera quadragesimalia notabilia edidit quae Bononiae praedicavit tempore quo ibi pro forma legit. Composuit etiam sermones de tempore et de sanctis fere per totum annum. Ita Bostius in Speculo (Mediolan. Brera, A. E. XII, 22, P. 567), et Balaeus passim qui addit eum in provincialatu Siciliae Jacobum Rappe praecessisse, et tandem in sua provincia mortem obiisse.

(3) *Antonius Fidei de Florentia.* Anno 1410 in cap. prov. Tusciae fuit tertius diffinitor, tunc temporis lector existens, et fuit nominatus praedicator Luccae pro quadragesima instanti. Magisterii lauream suscepit in patria universitate, forte anno 1411, cum sequenti anno quo nominabatur regens Senarum designetur Magister. Anno 1413 fuit prior Florentiae et ibidem praedicator quadragesimae, sequenti vero regens Senis et praedicator per totum annum. A Johanne XXIII creatus episcopus Calvensis (Calvi) 15 Febr. 1415 secundum Necrol. novum Florent. possessionem episcopatus non intravit (aliter, sed haud probabiliter apud Eubel), sed 12 Aug. 1418 a Martino V nominatur episcopus Suanensis (Soana) *Antonius del Fede de Florentia*, ord. Carmelit. Obiit 5 Jan. 1434 (Necrol. Vetus dicit 1433) in conventu Lucae ubi et sepultus fuit. Reliquit conventui florentino domum paternam.

de Florentia; Sententias legat Fr. Mathaeus Anthonii (1) de Florentia.

In Conventu Pisarum Lector Sententiarum Fr. Anthonius Matthaei. (2) Et praesententur isti Provinciae Tuschiae per Priorem Provincialem Doctoribus, ut moris est.

Item ordinamus Studium Generale in Conventu Paduano Prov. Bononiae.

---

(1) *Matthaeus Antonii de Florentia.* Anno 1409 quo liber actuum provincialium orditur pro baccalaureatu quem tenuit Florentiae recepit tres florenos, et pro tertio anno theologiae Bononiae alteros quatuor; decretum fuit quatenus provincialis et socii submitterent capitulo generali promotionem ejus ad magisterium. Sequenti anno eligitur prior Florentiae, praedicator Senis pro quadragesima, necnon socius et diffinitor ad cap. generale. Anno 1411 primus diffinitor capituli provincialis, prior Florentiae et bachalarius ibidem, et similiter, quantum ad bachalariatum, sequentibus duobus annis. Anno 1414 primus diffinitor provinciae sub titulo magistri, prior Florentiae, regens et praedicator quadragesimae ibidem, necnon secundus vicarius provincialis absente provinciali. In primo anni 1415 capitulo electus fuit socius ad cap. generale et diffinitor casu quod provincialis qui debuit esse primus diffinitor capitulo non interesset, et regens Florentiae. In altero vero capitulo quo secundus diffinitor erat electus fuit primus vicarius absente provinciali. 1417 primus diff., 1419 vero secundus, necnon prior Florentiae et socius ac diffinitor pro capit. generali tunc instanti. Paulo post (desunt enim acta paucorum capitulorum) electus fuit provincialis Thusciae quam dignitatem retinuit usque ad finem vitae, ut liquet e Necrologio: « 13 Oct. 1428. Mathaeus Antonii in s. theol. doctor egregius necnon dignus provincialis Tusciae annis decem cum dimidio; obiit Florentiae ».

(2) *Anthonius Mathaei de Pisis.* Anno 1410 fuit lector, secundus diffinitor, prior et baccalaureus Pisis ibidemque praedicator quadragesimalis. 1411 iterum prior et baccalaureus pro gradu magisterii quem anno 1413 videtur obtinuisse. Partim singulis partim alternis annis fuit prior Pisis usque ad annum 1435 et saepe saepius diffinitor provincialis necnon vicarius provinciae. Anno 1432 confirmatur in regentem Pisis « si ita est sicut ipse scribit quod habet litteram a Rev. magistro ordinis quod ipse sit regens usque ad futurum capitulum generale cum taxa ordinaria ». In capitulo anni 1435 praesidente generali Johanne Facy eligitur provincialis quam dignitatem tenuit usque ad secundum capitulum anni 1452 cui Johannes Soret praesidebat in cujus manus officium resignavit. Sequenti anno eligitur prior Pisanus, « verumtamen sit ibi infra mensem » quam conditionem videtur non explevisse cum anno 1454 prior Pistoriensis nominatus sit, in qua dignitate confirmatus fuit alternis fere annis usque 1463. Cetera latent nos, praesertim locus et tempus mortis. Nota Lezanam (Ann. IV, 888) Antonium Matthaei et Matthaeum Antonii confudisse.

Item revocamus omnes gratias per Praedecessores nostros concessas, Litteris Beneficii exceptis.

Item revocamus omnes Vicarios Generales alias ubicumque ordinatos, et ordinamus, quod ulterius non constituatur aliquis Vicarius Generalis, nisi ad requestum Provinciarum, vel Provincialium citra Capitulum Generale, cum Rmus Magister Ordinis habeat hinc ad sequens Generale Capitulum per se totum Ordinem visitare. Si vero aliquis hujusmodi Vicariatum extra Ordinem sibi procuraverit, eo facto omni provisione ordinis et vestiario privetur; sed teneatur Constitutio antiqua, qua primo habeatur recursus ad Priorem Localem; in defectu Prioris localis ad Provincialem, et in defectu Provincialis ad Capitulum Provinciale; et in defectu Capituli Provincialis ad Priorem Generalem, prout habetur in Rubrica de Itinerantibus Paragrapho « Item nullus Frater audeat accedere, » sub poena (27-d) in eadem Constitutione sive Rubrica taxata. Et eadem auctoritate inhibemus ne aliquis Fr. nostri Ordinis cuiuscunque Gradus, aut conditionis existat pro quacumque culpa sibi infra Ordinem, vel a Fratribus Ordinis imposita, aut defensione cuiuscunque causae cujus cognitio ad Ordinem spectat, accedat ad quemcumque Judicem saecularem, vel Ecclesiasticum, sub poena excommunicationis ipso facto, et aliis poenis in Constitutionibus nostris taxatis.

Item ordinamus, quod Rotulus Parisienses pro regimine Conventus et Studij antiquitus ordinatus teneatur et observetur quoad omnes et singulos articulos in eodem contentos. Et addatur in eodem quod studentes non astringantur ad celebrandum alias Missas praeterquam consuetum est, nisi Missam Petronillae de Creponio, et Dni Nicolai de Lesponsa; sed ad requestam Graduatorum habeantur duo vel tres Conventuales de Provincia Franciae, vel Turoniae instructi sufficienter in cantu, et praedicatione, prout in Rotulo continetur, qui vices studentium in praedictis Missis supplere habeant, et etiam in aliis habeant servire Conventui, ut alii Conventuales.

Item ordinamus, quod Magistri Provinciales sub poena depositionis ab eorum officiis habeant compellere Priores locales suae Provinciae, ut pueros ad Ordinem induant, et indutos ad studia promoveant, atque mittant; cum ex defectu Clericorum Ordo noster multum debilitetur.

Item ordinamus, quod in Ordine nostro sint XXI Provin-

ciae, quarum duae ultimae sint Turonia et Boemia; ita quod Prov. Alamaniae Superioris dividatur in duas, quarum prima stabit in ordine suo et nomine; Boemia vero erit ultima. Et praecipimus omnibus Prioribus Provincialibus quatenus in suis Constitutionibus habeant inserere has duas Provincias in loco suo; sub poena excommunicationis prohibentes, et privationis omnis Gradus, status et honoris, quod amodo nullus habeat loqui de reunione aut divisione praedictarum Provinciarum, specialiter Franciae et Turoniae, cum huic materiae perpetuum silentium imposuerimus, de assensu omnium Diffinitorum, attenta consideratione praedictae divisionis per plura Capitula Generalia etiam per Summum Pontificem.

Item ordinamus quod Prov. Boemiae habeat sequentes Provincias sive Regiones scilicet, Boemiam, Poloniam, Prussiam, Ungariam, Saxoniam, Durigiam, cum Conventibus in eisdem contentis.

Item ordinamus, quod Conventus Burdegalae, Bajonae, Aquens. et Salvaterra reducantur ad Provinciam antiquam Vasconiae de qua alias erant.

Item ordinamus, quod quilibet Provincialis omni anno habeat visitare Provinciam suam in propria persona propter Reformationem Ordinis et Conventuum, et non per Vicarium, nisi esset tantae debilitatis, aut infirmitatis, quod merito posset excusari. Et eo casu, quo mitteret Vicarium ad visitandum, quod provideatur eidem Vicario, prout in Constitutionibus continetur.

Item approbamus et ratificamus promotionem Fr. Nicolai de Spira Provinciale Alamaniae inferioris ad Gradum Magisterii, cum gratiis, privilegiis, ac libertatibus. et aliis emolumentis Magistrorum, in Sacra Theologia fieri consuetis secundum nostri Ordinis instituta.

Item ordinamus, quod deinceps, scilicet a XXVI. die Mensis Aprilis Anni Dni MCCCCXI. non fiant Lectores in Parisiis nec habeantur pro Lectoribus, nisi ibidem steterint per tres annos.

Item ordinamus, confirmamus, et approbamus, quod Provincia Tholosae possit mittere unum studentem Parisiis absque quacumque contributione, cum Provincia praedicta plures sustineat Graduatos et studentes diversarum Provinciarum.

(28-a) Item ordinamus, quod de Prov. Angliae veniant, et

mittantur ad Concilium Generale, dum illud contigerit celebrari, duo Magistri sive Doctores in Theologia, et totidem de Prov. Franciae, duo de lingua occitana, duo de natione Alamaniae, et duo de natione Italiae, ad sumptus communes Ordinis; qui quidem sint instructi circa materiam Confessionum, Praedicationum ac sepulturarum, et in scriptis redigant, et secum portent pro libertatibus Ordinis.

Item ordinamus, quod de Beata Anna fiat per totum Ordinem memoria de B. Anna ad Vesperas et Matutinum.

Item ordinamus, quod post *Salve Regina,* et *Ave Regina coelorum* in prandio, et in caena post gratias dicatur Psalmus *De profundis, Kyrie el. Pater noster, A porta Inferi, D.ne exaudi, D.nus vobiscum*, cum orationibus *Deus veniae largitor*, et *Absolve* et finiatur *Per Christum Dominum nostrum Amen. Requiescant in pace.*

Item ordinamus, quod de B. Heliseo Propheta fiat Festum duplex die XIIII. Mensis Junii, ad modum unius Confessoris non Episcopi, donec Officium proprium habeatur.

Item ad idem de Beato Cyrillo Heremita et Confessore Montis Carmeli fiat Festum duplex die VI. Mensis Martii ad modum unius Confessoris non Episcopi.

Item de Beato Alberto de Trapano fiat Festum duplex die Sancti Donati, et fiat de eo ut unius Confessoris non Episcopi donec Officium proprium de eo fuerit divulgatum, quod quidem jam habetur. Item de Beato Basilio Caesariensi Episcopo fiat etiam Festum duplex, est in die Circumcisionis Domini, ideo transferatur usque in crastinum octavarum Epiphaniae Domini.

Item ordinamus, quod de Festo Conceptionis B. Virginis fiant octavae solemnes, dum non impediant Responsoria propria sive Laudes de Adventu. Dominica vero infra octavam a Capitulo primarum vesperarum usque ad Completorium Dominicae fiat de Dominica, et memoria fiat de octavis.

Item volumus, et ordinamus, quod Magistri in Theologia praecedant in Choro, Refectorio et Processionibus caeteros Fratres nostri Ordinis, et in aliis locis, nisi in electionibus, et Diffinitorio Capituli Generalis, quoniam ibi stabunt secundum antiquitatem Provinciarum, et hoc idem intendimus de Capitulis Provincialibus, quoniam ibidem stabunt in Diffinitorio secundum quod fuerint electi.

Item ordinamus, quod Lectores vacantes non ponantur in communi Tabula pro hebdomadaria, aut alia Officia in Conventu in quo stabunt peragenda, nisi in casu quo Fratres alii essent in questu, vel alibi rationabiliter occupati; non intendentes tamen quin possint et debeant ordinari per Tabulam communem pro sermonibus, et aliis actibus scholasticis, et ad hoc compelli.

Item eximimus ab obedientia cuiuscumque nobis inferioris R.dum M.um Matthaeum de Bononia, ita quod nullus nobis inferior de eodem habeat se aliquo modo impedire, nec etiam de socio per eum eligendo ; dum tamen Fratrem non accipiat pro servitio suo, qui sit in officio aliquo communi legitime impeditus.

Item mandamus omnibus Prioribus Provincialibus Alemaniae et Italiae, quod ad Studium Parisiense et Tholozanum, ac alia studia Regni Franciae et Burdegalis mittant juvenes habiles, cum habuerint et econtra etiam Provinciales Regni Franciae ad partes Italiae et Alamaniae pro Studiis mittant.

28-b) Item damus aucthoritatem Priori Generali, quod possit providere de Biblicis et Bacallariis in Universitatibus Parisiensi et Tholozae, et aliis prout sibi videbitur expedire, casu quo aliquis de ordinatis loco resignaret, seu dimitteret.

Item damus auctoritatem eidem socios suos mutandi prout sibi videbitur expedire.

Item cum inter nonnullos Fratres nostri Ordinis sit controversia ac dissensio de àntiquitate in Ordine; an qui primo professatur, tamen ultimus ingressus fuit Ordinem, vel qui primo Ordinem ingressus est, et ultimo professatur; idcirco huic quaestioni finem imponentes determinamus, quod ille qui primo ingressus est Ordinem, primum locum obtineat; ita quod ab ingressu et non a professione antiquitas computetur.

Item approbamus Magisterium Fratris Thomae de Lenia (1) Prov. Angliae, praecipientes in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto M.ro Johanni Taversham (2) eiusdem Ordinis et Provinciae, quatenus super hac materia nihil amplius loquatur, cum hoc cedere possit in maximum scandalum et Ordinis detrimentum.

---

(1) Thomas de Lynne. P. 121.
(2) Norvicensis, obiit 19 Sept. 1451 Norvici.

Assignamus Capitulum Generale in Conventu nostro Tholozae a Festo Pentecostes proxime futuro ad quatuor annos. Volumus tamen quod Prior Generalis possit mutare quoad tempus et locum, si sibi videatur expediens, et consonum rationi.

Retinemus nobis posse agendi, et mutandi, et diffiniendi, et coetera faciendi usque ad octo dies inclusive.

Item ordinamus quod quilibet Sacerdos nostri Ordinis dicat pro statu Summi Pontificis tres Missas, unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Virgine, tertiam de Cruce.

Item dicat pro familiaribus et benefactoribus Ordinis, tam vivis quam Defunctis, et Licteras Confraternitatis habentibus septem Missas, duas de Beata Virgine, duas de Sancto Spiritu, et tres de Mortuis.

Item notandum quod, pro Magistro Andrea Nicholai de Luca restant taxandi XLIIII. Ducat. pro expensis factis per eum in curia, et debent solvi usque ad finem Capituli per partem quae olim M.ro Matthaeo de Bononia obediebat.

Item cum nonnulli Fratres nostri Ordinis mali et ambitiosi in aliquibus Provinciis nostri Ordinis ad conspirationes et monopolia processerint cum effectu, propter quae gravissima scandala et multa damnosa dispendia Ordini fuerunt subsecuta, contra suos Provinciales se erigentes, suasque conspirationes, et monopolia versute colorantes; et Constitutionem quandam impie intelligentes, ac inique applicantes quae habetur in Constitutionibus nostris Rubrica *de Capitulo Provinciali* §. « Si vero; » ubi sic habetur; si vero Prior Provincialis fuerit praesens in Capitulo Provinciali; et infra: Et si Prior Provincialis quicumque inveniatur sic partialis, quod affectione quacumque deprimat, vel non promoveat bonos etc. quae in dicta Constitutione et quibusdam aliis Constitutionibus continentur; in quibus datur facultas Diffinitoribus Capituli Provincialis deponendi, vel absolvendi Priores Provinciales. Ne impostefum tales Constitutiones dent occasionem conspirandi seu male agendi; ordinamus, et statuimus, quod Diffinitores Capituli Provincialis culpis Provincialium, si quae fuerint, in publicum auditis legitimeque probatis, (28-c) redigant in scriptis, et celeriter mittant Priori Generali si praesens non fuerit, de cuius assensu et voluntate, una cum Diffinitoribus Capituli Provincialis, si justum fuerit, deponatur, et aliter non. Quod si per aliquos contrarium attentatum fuerit

totum reputamus irritum et inane; et tales reputamus conspiratores, et rebelles, et ab omni Gradu et honore penitus inhabilitamus, donec per Capitulum Generale cum eis misericorditer fuerit dispensatum. Volumus etiam, quod Diffinitores talis Capituli Provincialis suum posse retinere valeant quoad hoc duntaxat, quousque per Priorem Generalem ad plenum materia consummata fuerit, una cum Diffinitoribus ipsis: Nichilominus tamen semper utatur Prior Provincialis suo Officio libere, et ad plenum, donec contra ipsum iudicatum fuerit, seu contra eum fuerit sententia lata!

(28-**d**) Haec est Tabula ordinationum Constitutionum, et Diffinitionis, quam nos Fr. Johannes humilis Prior Generalis ac Servus totius Ordinis Fratrum B.ssmae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Balneolarum Prov. Narbonae Anno D.ni M.CCCC.XVI. in Festo Pentecostes celebrati, fecimus de ijs quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto, et approbato in Ordine nostro Sacro. In quo quidem Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres sequentes: Diffinitor Prov. Terrae Sanctae..., Siciliae..., Angliae..., Narbonae Magister Poncius Bordi Provincialis; Romanae..., Franciae Magister Thomas Avis (1) Provincialis; Alamaniae Inferioris Fr. Gerardus Scuto; (2) Lombardiae Fr. Hemanuel de Incisa Provincialis; Aquitaniae Magister Johannes de Salesio Provincialis; Hispaniae..., Hiberniae..., Prov. Provinciae Magister Rostagnus Pharaudi Provincialis; Scotiae..., Tusciae Mag. Albicius de Florentia Provincialis; Bononiae..., Tholosae Mag. Raymundus Chamarii Provincialis; Cathaloniae admissus de gratia Mag. Johannes de Campo; (3) Alamaniae superioris Fr. Henricus Flad de Nurenberga; Vasconiae Fr. Petrus Costalli Turoniae Mag. Guillelmus Chouleti (4) Provincialis; Boemiae...

---

(1) Thomas Avis. — Monumenta 309.

(2) Anno 1411 prior Moguntiae, item 1416 Coloniae, 1426 Argentinae et 1429 Durensis.

(3) Idemne ac Johannes de Campolongo, ord Carmel. mag. theol. qui 14 Mart 1421 episcopus Usselensis (Ales in insula Sardinia) creatus fuit et decursu anni 1425 mortem obiit?

(4) Guilelmus Chouleti. Guilelmus Cholet. Monumenta 401. Alius ejusdem nominis fuerat 15 Aprilis 1363 ab Urbano V in capellanum honoris receptus et praestiterat solitum juramentum.

Aragoniae..., De quorum omnium assensu definitum et ordinatum fuit, quod pro communibus Ordinis negotiis solvantur taxationes sequentes per modum qui sequitur quolibet anno.

Provincia Terrae Sanctae..., Sicilia XX Duc. XII gross.; Angliae XXXIII. Ducat. XII gross.; Narbonae XVI Ducat. XII gross. Romana V Ducat. VIII gross.; Franciae XVI Ducat. XII gross.; Alamaniae Inferioris XVIII Duc. XII gross.; Lombardiae X Ducat. XII gross.; Aquitaniae X Duc. XII gross.; Hispaniae seu Castellae VI Ducat. XII gross.; Prov. Provinciae X Ducat. XII gross.; Tusciae XII Ducat. XII gross.; Bononiae XIIII Duc. XII gross.; (29-a) Tholosae X Duc. XII gross.; Cathaloniae XVII Duc. XII gross. Alamaniae Superioris X Duc. XII gross.; Vasconiae XI Duc. XII gross.; Turoniae X Duc. XII gross.; Boemiae X Duc. XII gross.; Aragoniae X Duc. XII gross.; Summa II c. LXIII Ducat.

De qua quidem summa debent solvi primo Priori Generali pro suo vestiario, et Sociorum suorum centum flor. de florentia, sive Ducati aut Franci. Item M. Regenti Parisius XV Ducat.; Biblico ibidem VIII Ducat.; Conventui Parisiensi pro censibus eiusdem L Ducat.; pro salario famulorum Prioris Generalis XII Ducat.; pro loco Procuratoris in Consistorio V Ducat.; Procuratori Ordinis pro vestiario suo XV Ducat.; Procuratori Saeculari VI Ducat.; pro Advocato Generali Ordinis in Consistorio XX Ducat.; Ianitoribus primae Custodiae D.ni Nostri Papae III Duc. Ianitoribus 2 custodiae IIII. M.ro Regenti Curiae Romanae XV Duc.; Bachalario ibidem V Ducat.; pro Festo Conceptionis in Curia V Ducat.; Item pro expensis factis per R.mum M.rum Ordinis in duobus Conciliis scilicet Romano et Constantiensi deductis II c. XLIX franc. II gross. receptis a juvamine Fratrum aliquarum Provinciarum, scilicet Narbonae, Aquitaniae, Provinciae Provinciae, Tholozae et Vasconiae; restant taxandi Mille quatuor viginti (1) decem et septem Ducati sive franci.

Item pro expensis factis per M.rum Andream Nicholai de Lucha, ac perditione aliquorum bonorum suorum taxantur sexaginta ducati, sive franci. Quae quidem summae modo infrascripto per Provincias persolventur. Provincia Siciliae LXXIX

(1) *Gallice:* quatre-vingt, *latine* octoginta. (Du Cange). Infra in libro Ordinis scribitur: $\overset{XX}{IIII}$.

Ducat.; Prov. Angliae XCIX Ducat; Narbonae LXXIX.; Romana XXXI.; Franciae LIX.; Alamaniae Inferioris LXXIX.; Lombardiae XLIIII.; Aquitaniae XLIX.; Castellae XXIX.; Hiberniae XV.; (29-b) Prov. Provinciae XLIX.; Scotiae...; Tusciae XLIX.; Bononiae LXIX.; Tholozae XLIX.; Cathaloniae LXIX.; Alamaniae superioris XLIX.; Vasconiae LXIX.; Turoniae XLIX.; Boemiae LIX.; Aragoniae LIX.; Conventus Parisiensis XXIIII. Ducat.

Suprascriptam vero summam persolvet quaelibet Provincia, prout ordinatum est, infra tres annos complete R.mo Magistro Ordinis.

Et ipse R.mus Magister persolvet supradicto M.ro Andreae de Lucha infra illos tres annos sexaginta francos sive Ducatos pro eo taxatos.

In dicto autem Capitulo Generali remansit ut prius confirmatus Prior Generalis praedictus Magister Johannes Grossi.

Sequitur autem ordinatio sive Institutio Priorum Provincialium

Primo ordinamus Priorem Provincialem Provinciae Terrae Sanctae Fr. Petrum de Rivola (1) Prov. Siciliae...; Priorem Provincialem Prov. Angliae M.um Thomam Walden; (2) Prov. Narbonae M.um Pontium Bordi; Prov. Romanae M. Anthonium de

(1) *Petrus de Rivola.* Hic et in capitulo anni 1420 provincialis nominatur Petrus de Rivola, sed in capitulis annorum 1425, 1430 et 1434 Jacobus de Rivola. Quaeritur utrum idem sit errante scriba in praenomine, an alius forte cognatus priori.

(2) *Thomas Walden.* De Thoma Netter Waldensi agitur in Monumentis, 442, ubi aliquae addenda veniunt. De intimo ejus amico nominis Gulielmi cujus recordatur pluries in suis operibus dixi « suspicor fuisse Guglielmum Woodford ordinis Minorum cujus lecturam Oxoniae frequentabat annis 1389 et seqq. ». Addendum hic Balaeum (Harley 3838, f. 79a) autumari fuisse Gulielmum Cockisford Carmelitam, qui anno 1375-6 ab episcopo Eliensi pro audiendis confessionibus et praedicando Verbo Dei licentiatus fuit, ac proinde conventus Cantabrigiensis alumnus erat. E conventu Linnensi oriundus per multum tempus Cantabrigiae theologiam professus est, celebris cum ob famam doctrinae tum ob prudentiam et sanctitatem; scripsit contra Wiclifum. Obiit tandem in provecta aetate Linneae. Ibidem dicitur (ex Lelewel, *Historia Lithuaniae*, P. 153-155, Rambaud, *Historia Russiae*, t. I, P. 182-3, Morfill, *Polonia*, P. 53-4) Vitort non fuisse conversum ad fidem Christianam; attamen in *Analectis* (T. II, P. 245 nota) refertur bulla qua Papa nominat Vitort suum vicarium in temporalibus, et « dilectum filium », quae pagano non congruunt.

Sicilia; Franciae M. Thomam Avis; Alamaniae Inferioris M. Nicolaum de Spira; Lombardiae...; Aquitaniae M. Johannem de Salesio; Hispaniae sive Castellae...; Hiberniae Fr. Philippum Raydour Praesentatum Parisiensem; Prov. Provinciae M. Rostagnum Pharaudi; Prov. Scotiae...; Tusciae M. Albicium de Florentia; Bononiae M. Karolum de Bononia; Tholosae M. Raymundum Chaminarii; Cathaloniae...; (29-c) Alamaniae Superioris Fr. Henricum Grefenberger; (1) Vasconiae M. Dominicum de Spiali; Turoniae M. Guillelmum Chauletti; Prov. Boemiae M. Arnoldum de Sehusen; Aragoniae...; Procuratorem Generalem Ordinis Magistrum Bertrandum Vaquerii (2); Magistrum Regentem in Curia ordinamus ad dispositionem Rmi Magistri Ordinis; Magister autem Regens in Avinione Fr. Bernardus Boerii (3); Socios Prioris generalis ordinamus primum M. Nicolaum Coc, secundum

---

(1) Henricus Grefenberger. (Greifenberg).

(2) *Bertrandus Vaquerii.* Quem Balaeus perperam Bernardum vocat (Monumenta, 444), poenitentiarius minor Domini Papae, procurator generalis, provincialis provinciae Romanae, et vicarius generalis super novem provincias, obiit anno 1440 in conventu Montis Pessulani in tumba lapidea honorifice humatus (Balaeus). In quodam documento conventus Montis Pessulani 8 Febr. 1428 signat primo loco tamquam magister regens. Extat bulla Martini V diei 21 Junii 1422 (XI. Kal. Julias anno V) qua praedicto Bertrando qui fere sexagenarius et ord. Carmelit. generalis procurator existit ac multis retroactis temporibus Romanam curiam secutus fuit, necnon inibi ac etiam Constantiae dum generale Concilium celebraretur, ibidem non sine gravibus expensis diversos subiit solicitudines et labores, de cetero qui etiam ab eodem ordine in nullo relevetur, non habens unde juxta sui status decentiam valeat congrue sustentari, assignantur quoquo anno ducenti libri Turonenses parvi super bona incerta quae in civitatibus Narbonensi et Bituricensi a fidelibus in pios usus legata sunt. Praesentia valitura usquedum praedicto Bertrando de aliqua dignitate fructuosa provisum fuerit. Eodem die episcopi Vabrensis et Electensis necnon officialis Magalonensis constituuntur executores hujus gratiae. Reg. Lat. 225, f. CCXXX.

(3) Benedictus XIII sub 2 Julii 1404 mandat Johanni Grossi generali quatenus indulgeat ut Bernardus Boerii baccal. in theol. in scholis fratrum suorum vel aliis Avinione per tres annos librum Sententiarum legat et si idoneus inventus fuerit ad honorem magisterii et docendi licentiam promoveatur. Eubel, *Avignon. Obedienz*, No. 965. Insuper Johannes XXIII ipsi, tunc Magistro in s. theol. Avinione existenti, concessit per bullam 1 Martii 1415 (Constantiae, Kal. Martii anno V) ut quinque fratribus aliorum ordinum jam bachalariis existentibus et aliunde idoneis magisterii gradum conferat etiam eorum superiorum licentia non obtenta, ita tamen quod tales fratres ex emptio-

M. Bartholomaeum de Roqualli (1). Prior Conventus Curiae Romanae ad dispositionem Rmi M. Ordinis; Prior Conventus Parisiensis Magister Guillelmus Bocherii (2), Magister vacans Parisiis Magister Theobaldus Picardi (3) usque ad finem Regentiae M. Johannis de Vernone (4), quem post finem suae Regentiae Magistrum vacantem ordinamus, cum sit filius Conventus. Bachallarius Curiae Romanae ad dispositionem R.mi M.ri Ordinis.

Sequitur Ordinatio illorum, qui lecturi sunt in Studio Parisiensi

Et primo pro primo anno leget Bibliam Parisiis Fr. Thomas Multoris, pro 2 anno Fr. Petrus Odenc (5); pro 3 anno Fr. Johannes Sarerii; pro 4 anno Fr. Guillelmus de Pontefracto; (6) pro 5 anno Fr. Johannes de Abbacia (7); pro 6 anno Fr. Galcerandus Macpharii; pro 7 anno Fr. Jacobus Bolido. Et isti etiam legent sententias secundum cursum in praedicto studio consueto.

Sequitur Ordinatio illorum qui lecturi sunt in Studio Tholosano.

Pro 1. anno leget Bibliam Tholosae Jacobus de Monte; pro 2. loco Fr. Johannes Ales; pro 3. anno Fr. Petrus de Sanctis;

---

nibus a choro et missis et aliis observantiis regularibus minime gaudeant. Reg. Lat. 176, f. C. Eodem die concessit eidem ut tempore Quadragesimae in civitate et provincia Arelatensi Verbum Dei praedicaturus etiam possit fidelium confessiones excipere et eos ab omnibus reservatis absolvere in quibus minores poenitentiarii papales absolvere possunt, consuetis tamen cautelis. Ibidem, f. CXI.

(1) Monumenta, 257. Die 10 Julii 1422 obtinuit a Martino V bullam qua confirmatur in regimine scholarum collegii S. Bernardi universitatis tholosanae cum certis juribus quae abbas Grandissilvae ordinis Cisterciensium sibi vindicaverat. Reg. Lat. 225 f. CCLXI. Anno 1428 dono dedit conventui Coloniae mandibulum S. Dorotheae. Die 18 Febr. 1431 confirmationem accepit ab Eugenio IV alicujus pacti circa praecedentiam Mendicantium in universitate tholosana. Reg. Lat. 305, f. CXXVIII. Eodem anno praesidebat capitulo provinciali Thusciae in conventu Florentino cum suo socio Gulielmo de Pontefracto. Ad episcopatum Massiliensem evehitur 2 Sept. 1433. Obiit anno 1444 vel 1445 non, ut suspicatur Lezana, anno 1438.

(2) Guilelmus Bocherii. Monumenta 401.

(3) Theobaldus Picardi. Monumenta 399.

(4) Johannes de Vernone. Monumenta, 414.

(5) Petrus Odenc. Hodenc. Monumenta, 431.

(6) Gulielmus de Pontefracto. Vide supra in nota ad Bartholomaeum Roqualli ac etiam p. 85.

(7) Johannes de Abbatia. Monumenta 420.

pro 4. anno Fr. Raymundus Chevalerii; (1) pro 5. anno Fr. Johannes Macellarii; pro 6. anno Fr. Durandus Capellarii; (2) pro 7. anno Fr...... Combaut. (3) Et isti etiam legent Sententias secundum cursum in dicto Studio assueto.

Item ordinamus ad legendum Tholosae extraordinarie Sententias in Conventu, vel ubi commodius poterit in primo anno Fr. Petrum Pontii. Secundo vero loco extraordinarie in Conventu praedicto, vel alibi, ut praemissum est, legat Sententias Fr. Johannes Ales.

Item ordinamus Biblicum Colonien. pro anno Domini M.CCCC.XVII. Fr. Johannem Villici. Et eundem secundum morem illius Studii et cursum ad legendum Sententias ordinamus.

Item ordinatum fuit, quod de placito ducto in Curia Romana contra Augustinenses, pro loco in Scholis, et alibi in Processionibus per Conventum Tholosanum; in quo placito praedictus Conventus exposuit CLXXX. franc. cum hoc tangat totum Ordinem, quod in sequenti Capitulo Generali praedicta summa taxetur, cum in isto Capitulo ex ordinatione Capituli Generalis Bononiae celebrati debuisset esse taxata praedicta summa.

(29-**d**) Cum altercationes quamplures in Studio Tholosano ortae fuerint in praeteritum, et verisimiliter oriri praesumantur in futurum; ex eo quod unus Regens in Conventu Tholosano jurare faciat Bacallarium sub ipso principiantem, quod sub eo transeat, et ex hoc contingat unum Magistrum plures habere Magistros sub ipso principiantes, et alius nullum habeat sub ipso transeuntem: idcirco volumus, statuimus, et ordinamus, quatenus deinceps nullus habeat exigere a Baccallario quocumque sacramentum, sive facere jurare ipsum, quod sub ipso transeat, sed observetur modus in Universitate Parisiensi consuetus, scilicet quod quisque sit contentus uno filio, ita quod unus alteri succedat.

Item ordinamus et statuimus, quod nulli Licentiato in Theologia cujuscunque Provinciae sit, solvatur contributio sib

---

(1) Obiit Nemausi mag. Raymundus Chevalerii magister in . pagina et prior loci 4 Aug. (non dicit quo anno). Ita Balaeus.

(2) Durandus Capellarii. (alias Capellani).

(3) . . . . Combaut. Infra Johannes Combaudi.

per Provinciam suam taxata, nisi tempore intermedio Vesperiarum, et Aulae. Si vero acceptis pecuniis sive taxatione, infra mensem festum suum, sive Gradum Magisterii adeptus non fuerit, teneatur restituere ex integro summam per ipsum acceptam infra mensem, sub poena perditionis omnium bonorum suorum, et privationis omnis gradus, status et honoris. Illi vero qui jam receperunt pecunias pro Magisterio adipiscendo a Communitate Provinciarum, teneantur restituere suo Provinciali nisi infra annum a Festo hoc Pentecostes computandum Gradum Magisterii adepti fuerint, sub poenis in hoc articulo superius expressis.

Item ordinamus, et statuimus, quod omnes magistri in Theologia sequantur Refectorium Conventus ubi fuerint, a Festo Paschae usque ad Festum Beati Andreae, sub poena privationis victus, nisi aliunde necessitas congrua illos excusaret, quod volumus declarari a Priore Conventus. Mandantes sub eadem poena, quod istis et aliis temporibus nullus Magister, nec alius quicunque Frater nostri Ordinis comedat in sua Camera cum numerosa societate saecularium, nisi eos contingeret hospites honorabiles, aut Fratres notabiles extraneos et honestos habere, excepto dumtaxat, quod in Cameris suis poterunt Magistri comedere solum cum uno socio et famulo, sive Clerico aut Fratre servitore suo, et non aliter sub taxata poena.

Item ordinamus et statuimus, quod omnes Magistri in Theologia nostri Ordinis, nisi legitima eos rationabiliter excusaret necessitas quam volumus declarari per Priorem Conventus, teneantur maxime in Adventu et Quadragesima praedicare, quoties per Priorem ad praedicandum fuerint ordinati sub poena privationis victus per tres dies.

Item quia propter assuetam Priorum absentiam sequelae Refectorii, multa sequuntur inter Fratres dispendia inhonestatis, et inutilitatis; idcirco statuimus, et mandamus, quod nullus Prior localis absentet se a comestione in Refectorio, in prandio et in coena, nisi eum necessitas rationabilis excusaret, sub poena privationis sui vestiarii, secundum quod suo Priori Provinciali videbitur expedire.

Item quia multi effraeni ora sua laxant contra Dominos tam ecclesiasticos, quam temporales, inter Fratres et inter saeculares pessime loquendo, praedicando, aut confabulando;

unde potest Ordo multipliciter laedi et scandalizari; propter (30-a) hoc districtius, sub poena carceris eo facto transgressoribus infligenda, statuimus et ordinamus quod nullus de Ordine nostro, cuiuscunque fuerit Gradus, aut conditionis existat, audeat sinistre praedicare, aut loqui de quocumque Domino, qualicumque ratione. Mandantes quibuscumque Prioribus Provincialibus, et localibus, eorumque loca tenentibus sub poena depositionis a suis Officiis, quod antiquam Constitutionem de non loquendo male de Praelatis et Principibus, ad unguem faciant observari.

Item quia Doctores nostri Ordinis propter negligentiam Cursorum veniunt in oblivionem, quia nolunt eos in suis actibus sub suis nominibus propriis allegare, idcirco sub poena retardationis suarum Lecturarum, et suorum honorum per unum annum, districte ordinantes et statuentes mandamus omnibus et singulis Bacchallariis et Cursoribus, quod deinceps nostros rememorent Doctores allegando eos in suis actibus, tam in principiis, quam in responsionibus, ac in quibuscunque aliis actibus, sub poena pretaxata.

Item confirmamus omnes Constitutiones factas in Capitulo Generali Tarbiae celebrato, de indumentis Fratrum, tam exterioribus quam interioribus. utpote caputiis, scapularibus, de manicis et colaretis, camisiis et disploidibus sub eisdem poenis ibidem contentis.

Item confirmamus illam Constitutionem factam in Capitulo Generali Tarbiae celebrato, de non conspirando contra suos Provinciales, ad eos deponendum, quantumcumque fuerint dicti Provinciales inventi culpabiles, nisi prout in Constitutione praedicta sufficienter ordinatum est, lateque declaratum, et in Capitulo Bononiensi confirmatum: Et hoc sub poena ibidem expressata ad longum.

Item quia multae Provinciae Lectoribus indigent pro suis Conventibus ad honorem et servitium Ordinis, idcirco statuimus et volumus, quod omnes et singuli Provinciales totius Ordinis suos Studentes qui modo sunt Parisiis, et imposterum erunt, completis duobus annis possint vocare ad suas Provincias, nonobstante quacumque Constitutione alias in contrarium facta. Mandantes omnibus et singulis studentibus, qui nunc sunt, aut in futurum erunt, sub poena privationis suarum taxationum, et suorum vestiariorum, quod dum a suis Provincialibus vocati fue-

rint, absque contradictione quacumque eis obediant, ad suas Provincias sub praedicta poena revertendo.

Item revocamus antiquam ordinationem Magistri Petri Raymundi Graxy (1) alias factam super ordinatione Prioris Conventus Rupecolae de Provincia Provinciae: Mandantes, et volentes, quod Provinciale Capitulum dictae Provinciae ordinet de Priore dicti Conventus, et de omnibus aliis, sicut de aliis quibuscumque Conventibus praefatae Provinciae.

(30-b) Item destituimus, et revocamus omnes Vicarios per nos alias constitutos undecumque et ubicumque fuerint, excepto Vicario Provinciae Angliae dumtaxat.

Item propter bonum totius Ordinis et regimen in communi et utilitatem ac pacem eiusdem, retinemus nobis auctoritatem et potestatem in omnibus et singulis diffiniendi, agendi et terminandi usque ad Mensem Maii inclusive, committentes et dantes Rmo Patri Magistro Generali omnem nostram auctoritatem cum plenitudine nostrae potestatis omnia et singula agendi terminandi et diffiniendi, destituendi et constituendi quoscumque officiarios nostri Ordinis, et alia omnia faciendi quae potest facere generale Capitulum, ad suum libitum, coassumptis sibi tribus aut quatuor Magistris in Theologia, quos sibi duxerit eligendos usque ad tempus illud.

Item ordinamus, quod Poenitentiarii quicumque nostri Ordinis possint tenere Officia in Ordine, dum tamen actualiter subijciantur correctioni Regulari Ordinis et non aliter.

Item ordinamus Capitulum Generale ad quatuor annos proxime futuros celebrandum in Monte pessulano Provinciae Narbonae, ad expensas dicti Conventus.

Item notificamus Ordini, quod R.mus Magister Generalis totius Ordinis non recepit a sequentibus Provinciis taxationes sequentes, quae sunt sibi debitae a sequentibus Provinciis: Sicilia pro quinque annis centum XXXV Ducat.; Hibernia pro quatuor annis LXVIII Ducat.; Prov. Romana pro quinque annis LV Ducat.; Terra Sancta, pro quinque annis XLV. Ducat.

Summa totalis omnium taxationum adhuc debitarum ducenti et tres ducat.

Item statuimus et mandamus, quod quilibet Conventus, et

(1) Grassi.

omnis Sacerdos nostri Ordinis pro Fratribus et Benefactoribus, ac Litteram Confraternitatis habentibus defunctis celebret tres Missas de mortuis, et alias tres, scilicet primam de Sancto Spiritu, secundam de Virgine Maria, tertiam de Angelis, pro Fratribus et familiaribus ac benefactoribus, et Dominis Praelatis, et Principibus vivis.

Item ordinamus quod quilibet Conventus Ordinis, et omnis Sacerdos dicat unam Missam de Beata Virgine semel pro conservatione, et salute R.mi Patris in Christo, et Domini., Domini Cardinalis Vivariensis (1) Protectoris nostri Ordinis; et aliam de sancto Spiritu, et aliam pro Defunctis progenitoribus ac Parentibus suis.

Item mandamus, quod quilibet Conventus Ordinis dicat unam Missam semel in anno de Trinitate, pro salute et pace et unione ecclesiae, omnium Dominorum Praelatorum, et Illustrissimorum Regum, et Principum.

Item volumus, et ordinamus, quod Missa semel in hebdomada celebranda in nostro Conventu Parisiensi, ad intentionem et salutem D.ni Guillelmi Anglici Presbiteri et Canonici celebretur per Fratres Conventuales dicti nostri Conventus, cum sint in numero sufficienti, nullum conventualem eximendo, (30-c) quacumque gratia nonobstante. Et si contingeret numerum Conventualium non fore sufficientem, tunc committimus Provinciali Franciae, quod ibi possit mittere Conventualem aut Conventuales pro dicta Missa dicenda.

Item ordinamus, quod quilibet Sacerdos nostri Ordinis dicat tres Missas pro Domino Brucicaudo Marescallo Franciae, et eius uxore, videlicet unam de Sancto Spiritu, aliam de Beata Virgine, et tertiam de Mortuis.

Haec est Tabula ordinationum, Constitutionum, et diffinitionis, quam nos Fr. Johannes humilis Prior Generalis, ac Servus totius Ordinis Fratrum Beatissimae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, et Diffinitores Capituli Generalis in Conventu Montis pessulani Provinciae Narbonae, Anno Domini M.CCCC.XX. et die XXVI. mens. maii in Festo Pentecostes celebrati, fecimus de ijs quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto et approbato in Ordine nostro facto, in quo quidem Capitulo fuerunt Diffinitores fratres subsequentes.

---

(1) Joannes de Bronhiaco, Card. 1385-1426. Cf. Eubel. *Hier*.

Et primo: Diffinitor Prov. Narbonae Fr Johannes David (1) Praesentatus Parisiens.; Prov. Alemaniae inferioris Fr. Thomas Hemershem (2) Prior Provincialis; Aquitaniae R. Magister Regens Tholosae Fr. Raymundus Frezardi; Prov. Provinciae Fr. Pontius Renardi Lector; Tusciae R. M.er Matthaeus Antonini; Tholosanae M. Bartholomaeus de Roqualli Prior Tolosae; Cathaloniae R. M. Jacobus Poiade; (3) Alamaniae superioris Fr. Johannes Sacker; Vasconiae R. M. Fortius de Porta; Boemiae Fr. Nicolaus Putstet.

De quorum omnium unanimi assensu diffinitum et ordinatum fuit, quod pro communibus Ordinis negotiis solvantur taxationes per modum qui sequitur anno quolibet. Provincia Terrae Sanctae...; Siciliae XX Ducat. et XII. gross.; Angliae XXXIII Ducat. X, XII gross. Narbonae XVII. ducat. XII gross.; Franciae XII ducat. XII gross. (30-d); Romana V ducat. VIII gross.; Alamaniae Inferioris XVIII ducat. XII gross.; Lombardiae XVIII ducat. XII gross.; Aquitaniae X ducat. XII gross.; Castellae VI ducat. XII gross.; Prov. Provinciae X ducat. XII gross.; Tusciae XII ducat. XII gross.; Bononiae XIIII ducat. XII gross.; Tholosae XIII ducat. XII gross.; Cathaloniae XVII ducat. XII. gross.; Alamaniae superioris X ducat. XII gross.; Vasconiae X ducat XII gross.; Boemiae X ducat. XII gross.; Aragoniae X ducat. XII gross. Turoniae X ducat. XII gross. De qua quidem summa debent solvi, primo Priori Generali pro suo vestiario, et Sociorum suorum centum floreni de florentia, sive Ducati aut franchi Fran. Pro M.ro Regente Parisiensi X franc.; pro Biblico ibidem VI fran.; Conventui Parisiensi pro censibus eiusdem L

---

(1) Johannes DD (David), Monumenta 427.

(2) Prior Boppardiensis ab anno 1406 usque 1419, provincialis a 1420 usque 1430, doctor Coloniensis anno 1421. Sub die 30 Decembris 1420 (III Kal. Jan anno IV) obtinuit a Martino V rescriptum quo episcopo Argentinensi mandatur ut diligenter inquirat utrum domus Carmelitarum ibidem existens ad provinciam Alemanniae inferioris (uti Thomas Heimersheim asserebat) vel Alemanniae superioris uti fratres ipsi praetendebant pertineat. Ex actis utriusque provinciae liquet litem in favorem Alemanie inferioris decisam fuisse Reg. Lat. 213 f. XCI. Vide infra sequenti Capitulo.

(3) Mathaeus Antoninus (Antonii).

(4) Jacobus Puyades memoratur tanquam provincialis Cataloniae in quodam instrumento 21 Sept. 1404 (Eubel, Avignon. Obedienz, N. 977).

franc.; pro salario Famulorum Prioris Generalis XII fran.; pro loco Procuratoris in Consistorio V fran.; pro vestiario Procuratoris Curiae Romanae XVI fran.; pro pittancia eiusdem quandiu Curia erit in partibus Italiae IX fran.; Procuratori saeculari VI fran.; Ianitoribus primae Custodiae D.ni nostri Papae III fran.; Janitoribus secundae custodiae IIII fran. Magistro Regenti Curiae Romanae X fran.; pro Festo Conceptionis in Curia V fran. Item pro expensis factis per R.mum Magistrum Ordinis in Concilio Generali Constantiensi octingent. XXVI fran.; Quae quidem summa modo infrascripto per Provincias persolvetur. Primo Provincia Siciliae LX ducat.; Angliae LXX ducat.; Narbonae L ducat.; RomanaXXV.; Franciae XLV ducat; Alamaniae inferioris LV ducat.; Lombardiae L.; Aquitaniae XXX.; Castellae XXX.; (31-a) Hiberniae XV.; Prov. Provinciae XL.; Scotiae X.; Tusciae XXXVI.; Bononiae L.; Tholosana XXX.; Cathaloniae XXXVIII.; Alamaniae superioris XL.; Vasconiae XXX.; Turoniae XL.; Boemiae XL.; Aragoniae XLII.

Suprascriptam vero summam persolvet quaelibet Provincia prout ordinatum est, infra quatuor annos complete R.mo Magistro Ordinis.

Sequitur Ordinatio, sive Institutio Priorum Provincialium.

Primo ordinamus Priorem Provincialem Provinciae Terrae Sanctae Fratrem Petrum de Rivola; Prov. Siciliae R. M. Nicolaum de Rixo; Angliae M.um Thomam Valdenc (1) Narbonae M. Nicolaum Coc.; Romanae M. Bertrandum Vaquerii, Franciae M. Thomam Avis; Alamaniae Inferioris Fr. Thomam Hemershem; Lombardiae M. Jacobum de Silvaticis; Aquitaniae M. Raymundum Frezardi; Castellae M. Johannem Martini; (2) Hiberniae M. Philippum Rayder; Provincia Provinciae M. Rostagnum Pharaudi; Scotiae Fr. Philippum Bonn; (3) Tusciae M. Mathaeum Anthonii; (31-b) Bononiae M. Nicolaum de Venetiis; Tholosae M. Raymundum Chamarii; Cathaloniae M. Franciscum Spineti; (4) Alamaniae superioris Fr. Henricum Grefenberg.;

(1) Thomas Valdenc (Waldensis).

(2) Johannes Martini. De eo extat documentum sub die 2 Julii 1437.

(3) Philippus Bonn. (infra Boney).

(4) Martinus V sub 29 Maji 1427 (IV Kal. Junii anni X) sibi concessit ut Johanni Caffredi ord. Carmel. qui per plures annos in

Vasconiae M. Fortium de Porta; Turoniae M. Guillelmum Tholeti; Boemiae M. Arnaldum de Sehusen; Aragoniae Fr. Johannem de Vermundo.

Procuratorem Generalem Ordinis Magistrum Bertrandum Vaquerii; M.um Regentem in Curia Romana M. Mathaeum Anthoninum; Baccalarium ibidem, ad dispositionem Prioris Provincialis. Magistrum Regentem in Avinione M. Bernardum Boerii. Socios Prioris Generalis M. Bernardum de Rivosicco, (1) et M. Benedictum Jandonis. De Priore Curiae Romanae committimus Priori Provinciali et Capitulo Provinciali; Priorem Conventus Parisiensis Fr. Johannem Villero, Magistrum Vacantem Parisiis R.dum Magistrum.......

Sequitur Ordinatio illorum qui lecturi sunt in Studio Parisiensi.

Pro primo Anno, videlicet XX Fr. Johannes Triparii, (2) leget Bibliam; pro 2. anno Fr. Galcerardus Macphani; pro 3. anno Fr. Jacobus Bolido; pro 4 anno Fr. Bardinus Sampson; (3) pro 5 anno Fr. Michael Gauterii; (4) pro 6 anno Fr. Stephanus Avole (5) pro 7 anno Fr. Petrus Villeti (6). Pro XX leget Pa-

---

diversis domibus et studiis generalibus theologiae et aliis facultatibus operam navaverat, si eum idoneum reppererit, magisterii gradum conferat. Reg. Lat. 273, f. LII.

(1) Benedictus XIII sub die 17 Dec. 1413 committit alicui canonico Barcinonensi ut confirmet venditionem domus S. Jacobi Vallis paradisi ord. Carthusiensis factam Bernardo de Rivosicco vicario generali et provinciali Cataloniae ad usum Carmelitarum. (Eubel, Avignon. Obedienz, No. 1277). Sub die vero 30 Martii 1415 idem pontifex concedit eidem vicario generali Carmelitarum facultatem fundandi 15 domos ad usum fratrum dicti Ordinis in regnis Castellae, Legionis, Aragoniae et Navarrae ubi adhuc paucae ipsius ordinis domus fundatae existunt. Ib. No. 1307.

(2) Johannes Triparii. Monumenta 439.

(3) Monumenta 439. In manuscripto Vat. Lat. 4100 habentur aliqui sermones ejus, nempe f. 48a super textum Laetare Jerusalem et f. 92a super Sic nos existimet, pro dominica III Adventus. Capitulum provinciae Tusciae Florentiae celebratum in die Ascensionis 1439 praesidente Antonio Mathaei et assistente Bardino Sanxonis procuratore generali et vicario generali habitum fuit. Obiit eodem anno, 25 Septembris in suo nativo conventu florentino.

(4) Probabiliter idem qui anno 1440 diffinitor provinciae Narbonae recensetur sub nomine Michael g.

(5) Stephanus Avole. Monumenta 421.

(6) Petrus Villeti. Monumenta 440.

risiis Sententias Fr. Johannes Janerii. Pro XXI. leget ibidem Sententias Fr. Johannes de Abbatia; pro aliis vero annis legent Sententias ibidem Biblici superius nominati, secundum ordinem suum, ut moris est.

(31-c) Sequitur ordinatio eorum qui lecturi sunt in Studio Tholosano Bibliam, videlicet pro primo anno, scilicet XXI leget Fr. Johannes Macellarii eo quia in praesenti Capitulo Generali fuerat promotus; pro 2. anno Fr. Guillelmus Segnerii; (1) pro 3 anno Fr. Guillelmus Monachi; pro 4 anno Fr. Johannes Fassi; (2) pro 5 anno Fr. Johannes Philippi (3); pro 6 Fr. Petrus Joannes Vessonis; pro 7 Fr. Arnaldus de Cruone.

Pro anno XXI leget Sententias Tholosae Fr. Johannes de Vermundo Prov. Aragoniae Provincialis. Biblici vero legent ibidem Sententias secundum cursum suum, ut moris est.

Item ordinamus, quod amodo nullus legat extraordinarie absque licentia speciali R.mi Magistri Generalis, et Diffinitorum Capituli Generalis; et in casu quo oppositum contingeret, volumus quod deferat licentiam in scriptis sigillatam sigillo Communitatis totius Ordinis.

Item ordinamus, quod Fr. Petrus de nova Ecclesia (4)

---

(1) Guilelmus Segnerii. (supra Segerii).

(2) *Johannes Fassi.* Monumenta 257 et passim. Visitationes et capitula provincialia celebravit annis 1434 in Alemannia superiori, 1435 et 1441 in Tuscia, 1442 in Anglia. (Bull. I., 619). De gestis ejus in Alemannia inferiori et Lusitania alias dicetur. « Legi alibi, ait Balaeus, quod hic generalis in consistorio Lateranensi solus pronuntiatus ad ecclesiam Valentinam (in Hispania) regendam assumptus fuit ». Attamen 16 Martii 1450 promotus fuit ad ecclesiam Regensem (Riez). Cum successor ejus 18 Aprilis 1463 « ob obitum Johannis » nominatus fuerit, corrigendus est Lezana qui eum anno 1464 defunctum esse tradit. Balaeus narrat Avinione in una tumba duos episcopos sepultos esse quorum unus fuit Joh. Facy; sed alibi dicit corpus in sua ecclesia, cor vero Avinione tumulatum esse.

(3) Johannes Philippi, alius ab eo qui Monumenta, 427 et 437 memoratur.

(4) *Petrus de Nova Ecclesia.* Doctor Coloniensis et prior ibidem a 1427 usque 1430, deinde provincialis Alemanniae inferioris usque 1444. De schismate quod anno 1442 usque 1445 provinciam divisit atque Petrum nostrum et plures alios innocentes dire afflixit infra sermo erit. Iterum provincialis a 1456 usque 1467, quo anno obiit (non 1464 uti Lezana vult). Accusatur a quibusdam quasi reformationi Beati Johannis Soreth obstiterit ac ideo repentina morte percussus fuerit quae omnia ab auctore alicujus scripti in archiviis generalibus refutantur.

legat Sententias adhuc pro uno anno, videlicet pro anno D.ni M.CCCC.XXI.

Item in Studio Coloniensi ordinamus Fratrem Oligerium Risenberg de Arlen Biblicum pro anno XXI, et Sententias pro aliis annis immediate sequentibus, ut moris est in dicto Studio.

Sequitur Ordinatio in Studio Bononiensi.

Item in Studio Florentino ordinamus quod scholares Fratres nostri Ordinis lectorari possint pro tempore pro quo commodius Parisius non valebunt accedere, et dicti Fratres ibidem lectorati habilitari possint ad gradum Magisterii, et pro nunc habilitamus Fratres Petrum Francisci de Prato, (1) et Bartholomaeum Petri (2) Lectorem Parisiens.

---

(1) Studens in artibus Florentiae ab a. 1409 usque 1414, sequenti anno informator artium ibidem; 1419 quartus diffinitor provincialis et secundus socius ad cap. generale; duo anni theologiae quibus Florentiae stetit cum Parisiis stare debuisset (ex decreto capituli 1416) ad precem capituli provincialis sibi computantur; anno 1420 prior Florentiae, et 1425 (tunc bachalarius formatus) secundus diffinitor provincialis et socius prioris Florentiae. Petrus Andreae de Castagno refert eum anno 1440 in ecclesia S. Mariae de Prato panegyricum S. Andreae Corsini praedicasse (Cod. Vatic. 3813, f. 47-a). Anno 1442 fuit primus diffinitor provincialis et prior Prati; similiter anno sequenti quoad prioratum; 1444 quartus diffinitor, 1545 prior Florentiae, 1446 primus diffinitor et 1447 secundus socius pro capitalo generali. Postea amplius non memoratur.

(2) *Bartholomaeus Petri* de Palmeriis de Florentia ab anno 1409 usque 1412 Florentiae artium studio operam navavit, a. 1414 informator in logicalibus Florentiae, sequenti anno Senis in artibus nominatus fuit; 1416 pro anno sequenti ad studium Parisiense destinatus ante completum cursum in patriam remeavit unde commutatio duorum annorum theologiae studii florentini loco parisiensis a capitulo generali requisita fuit. A. 1424 fuit biblicus et prior Florentiae necnon primus diffinitor provincialis, 1426 vero bacchalarius formatus, quartus diffinitor et socius Pistoriensis. Sub die 14 Novembris 1427 (XVIII Kal. Dec. anni XI) Martinus V concessit Hermanno Nusso (de Nussia) in curia Romana existenti ut Bartholomaeo nostro qui ob paupertatem gradum magisterii obtinere nequivit, si post examen a quatuor magistris institutum eum idoneum reppererit ad dictum gradum promoveat (Reg. Lat. 282, f. LXXXIII) et capitulum provinciale anni 1429 supplicavit capitulo generali pro subsidio dicti magisterii. Hinc Magister Bartholomaeus anno 1430 nominatur prior Lucae, 1431 primus diffinitor et prior Florentiae, 1433 iterum prior Florentiae, 1439 prior Prati, 1446 secundus diffinitor et prior Montis Catini, 1442 prior Aretii, 1443 et 1444 prior Senarum, 1445 quartus diffinitor et prior Prati, 1446 prior Lucae, 1448 quartus diffinitor et 1453 tertius diffinitor. Obiit 10 Julii 1461 Florentiae cum elogio viri docti et concionatoris boni.

Item ordinamus in Studio Avinion. in Bacchalarium pro anno Domini M.CCCC.XXI. Fratrem Durandum Capellani. (1)

Item pro anno D.ni M.CCCC.XXII. Fr. Johannem Combaudi ibidem. (2).

Item ordinamus in Studio Viennensi Biblicum Fr. Nicolaum Ichstet (3) pro anno XXI.; et pro tribus immediate sequentibus ibidem Sententias lecturum.

(31-d) Item in dicto Studio ordinamus lecturum Bibliam Fr. Fredericum Waganer (4) pro anno XXI. et pro tribus sequentibus immediate Sententias ibidem.

Sequuntur Ordinationes factae.

Primo ordinamus, quod nullus Fr. nostri Ordinis praesumat ingredi Villam sine licentia sui Prioris localis vel Praesidentis, exceptis Magistris in Theologia, et Licentiatis et Bacchalariis, sub poena apostasiae, nonobstantibus quibuscumque gratiis; exceptis Sociis R.mi Magistri Ordinis, et Priorum Provincialium et Magistrorum, formatis Cursoribus et Lectoribus.

Item revocamus omnes Vicarios nostros per nos institutos in quibuscumque Provinciis nostri Ordinis.

Item revocamus quascumque exemptiones quibuscumque Fratribus nostri Ordinis per nos concessas, vel per Vicarios nostros; et omnes remittimus suis Ordinariis.

Item ordinamus, quod omnes et singuli Fratres nostri Ordinis habeant comedere in Refectorio, exceptis Magistris in Theologia, cum uno Socio et Clerico, et non in Cameris.

Item approbamus, et ratificamus ordinationem factam in duobus Capitulis Generalibus, in qua continetur, quod Conventus Tholosae duxit placitum contra Augustinenses in Curia Romana super prioritate locorum in scholis ac etiam Processionibus ; cum hoc tangat totum Ordinem ; in quo placito Conventus praedictus exposuit centum octuaginta francos, ordinamus quod in sequenti Capitulo Generali taxetur.

---

(1) Durandus Capellani. Item qui supra (fol. 29 c) Capellarii.

(2) Johannes Combaudi. (Frater Combaut, fol. 29 c).

(3) Nicholaus Ichstet. Conradus Eychstetter, forte frater istius Nicolai pluries in actibus Alemanniae inferioris a 1429 usque 1433 memoratur.

(4) Non confundendus cum alio ejusdem nominis qui fol. 10 c memoratur.

Item confirmamus omnes Constitutiones factas in Capitulo Tarbiae (1) celebrato, de indumentis Fratrum tam exterioribus quam interioribus, utpote Caputiis, Scapularibus, de manicis, et colaretis, camisiis, et diploidibus, sub eis poenis ibidem contentis.

Item confirmamus illam Constitutionem factam in Capitulo Generali Tarbiae celebrato, de non conspirando contra suos Provinciales ad eos deponendum, quamtumcumque fuerint dicti Provinciales inventi culpabiles, nisi prout in Constitutione praedicta sufficienter ordinatum est, lateque declaratum et in Capitulo Bononiensi confirmatum; et hoc sub poena ibidem expressata ad longum.

(32-a) Item praecipimus, et mandamus in virtute sanctae obedientiae omnibus Prioribus Provincialibus, quatenus in eorum visitationibus examinent Fratres in Conventibus de Missis celebrandis et de ordine dicendo et de Confessionibus audiendis; et nisi sufficientes et idonei reperti fuerint, praecipimus et mandamus eis in virtute sanctae obedientiae dictis Provincialibus, et etiam Prioribus localibus, ne dictos Fratres admittant ad Confessiones audiendas.

Item ordinamus, quod a caetero nullus Frater nostri Ordinis veniat ad M.um Generalem sine licentia Prioris Provincialis vel localis deferentes litteras licentiae.

Item ordinamus quod quilibet Conventus nostri Ordinis solvat R.mo M.ro Ordinis annuatim unum florenum Franciae pro communi victu suo et Sociorum suorum, quia ipse commode visitare non valeat.

Item ordinamus, quod Scholares in Theologia lectorentur

---

(1) Fuit Capitulum Gen. partis Clementinae, cujus Grossi Generalis extitit ab anno 1389 usque ad reunionem Ordinis 1411. (Cf. *Mon. hist.* p. 255.)

Orto schismate 1378 Procurator Generalis se contulit Fundos prope Terracinam, ubi Clemens VII 1378 et 1379 residebat (Cf. supra p. 82 et 83). Die 1 Martii 1379 Clemens VII exhortabat Generalem Bernardum Olerii, ut ageret contra Urbanistas, sed 19 April. 1380 ab Urbano VI depositus est et remansit Generalis tantum pro parte Clementista. Anno 1384 Raymundus Baquerii (Vaquerii) factus est Generalis Clementistarum et 1389 Johannes Grossi. De Capitulis Gen. partis Clementistae nihil adhuc inveni. Eubel in op. cit. plurimas Bullas Clementis VII et Benedicti XIII refert pro diversis Carmelitis. Notandum Clementistas bono fide errasse.

in Conventu Tholosae praesertim linguae occitanae quandiu Parisius non valeant commode accedere.

Item ordinamus, quod deinceps in nostro sacro Ordine fiat Festum totum duplex de Festo Praesentationis B.mae Dei Genitricis Mariae, et Visitationis Helizabeth, et de nostra Domina de Nive.

Item quod in quibuscumque Conventibus depingatur Imago Beati Alberti cum radiis.

Item ordinamus quod Magister Regens in Conventu Parisiensi de caetero non capiat a filio suo, scilicet a Bacchalario magistrando sub ipso, nisi dumtaxat IIII. franc.; cum ille qui nunc est, scilicet R·dus M. Johannes de Vernone fuerit solutus de summa consueta dari Regenti in Conventu Parisiensi.

Item ordinamus Capitulum Generale dehinc ad sex annos proxime futuros in Conventu Appamiarum celebrandum Provinciae Tholosanae, ad expensas dicti Conventus.

Ordinamus etiam de Capitulis Provincialibus, quod dicta Capitula Provincialia celebrentur deinceps de duobus in duobus annis, et non ante.

Item ordinamus, quod Generalis non mittat Vicarios suos nisi requisitus per Provincias, vel Provinciales.

(32-b) Item propter bonum totius Ordinis, et regimen in communi, et utilitatem ac pacem, retinemus nobis auctoritatem et potestatem in omnibus et singulis diffiniendi, agendi, et terminandi usque ad octo dies inclusive.

Item ordinamus cum Fr. Jacobus Mogonde impetraverit sibi auctoritatem, et locum legendi sine licentia Ordinis, et effectus sit Magister in Theologia ultra voluntatem R.mi M.ri Generalis, et nondum satisfecerit Magistro suo sub quo debebat magistrari, videlicet sub R.do M.ro Nathali Quarrigas, secundum morem Studii Barchinonensis, et ordinationem factam per Conventum auctoritate M. Provincialis, et Vicarii Generalis qui pro tunc erat; quapropter ipsum privamus omnibus gratiis, et libertatibus, quibus Magistri in Theologia gaudere solent in nostro Ordine, donec et quousque ad Ordinis obedientiam et R.mi M. Generalis pervenerit; adiicientes nihilominus quod R.mus M. Ordinis Generalis non possit dispensare cum eo, donec primo satisfecerit, ut praemissum est, M.ro praedicto Nathali.

Item ordinamus, quod quilibet Frater Sacerdos nostrae

Religionis dicat Missas pro statu et conservatione Ordinis, Fratrum, Benefactorum omnium hic recommendatorum, videlicet tres de Sancto Spiritu, tres de Beata Virgine, quinque de mortuis. *(Caetera vacant.)*

(32-c) Haec est Tabula Ordinationum, Constitutionum, et Diffinitionis, quam nos Fr. Johannes humilis Prior Generalis, ac servus totius Ordinis Fratrum B.mae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, et omnes Diffinitores totius Capituli Generalis in Conventu Appamiarum Provinciae Tholosae, Anno Domini M.CCCC.XXV. die XXVII. mensis Maji in Festo Pentecostes celebrati, fecimus de iis quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto et approbato, in Ordine nostro facto. In quo quidem Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres subscripti: primo:

Diffinitor Provinciae Siciliae R.dus M. Nicholaus de Risio (1) Provincialis; Prov. Angliae Mag. Joh. Kenegal: (2) Narbonae Mag. Nicolaus Coc Provincialis; Franciae Mag. Thomas Avis Provincialis; Alamaniae inferioris Fr. Cyperus; Lombardiae Fr. Thomas de Castellario; Aquitaniae Mag. Petrus Castonis; (3) Provinciae Provinciae Mag. Johannes Fassy; Tusciae Fr. Petrus Bartholomaeus; Bononiae Fr. Anthonius de Venetiis; Tolosae Fr. Guillelmus Segeri; Cathaloniae Mag. Franciscus Spineti; Alamaniae Superioris Fr. Everardus (4) Provincialis; Vasconiae Mag. Guillelmus Costali; Turoniae Mag. Thomas Multoris Provincialis; Boemiae Fr. Jacobus Pellificis; Aragoniae Fr. Bertrandus Thamarit.

De quorum omnium unanimi assensu diffinitum, et ordinatum fuit, quod pro communibus Ordinis negotiis solvantur taxationes per hunc modum quolibet anno. Primo:

---

(1) Nicholaus de Risio. Rizzo.

(2) Postea dicitur Brevegal, Brevethale, Bevyghale Klengale, Keonyghale, Breviguld. Verum nomen fuit Kenynghale. Cf. Monumenta, 445 et ibidem passim. Camera quam sibi in conventu Norvici extruxerat anno 1505 per Generalem Petrum Terasse Magistro Roberto Lowe vicario generali conceditur.

(3) Petrus Castonis (Cassonis?).

(4) Everardus Horgasser (alias Hargasser, ac etiam Ongar) fuit septimus provincialis, electus anno 1421, quam dignitatem tenuit usque annum 1430. Lector theologiae e conventu Ravenspergensi oriundus.

Provincia Terrae Sanctae;... Siciliae solvet XX ducat; Angliae XXXIII ducat; Narbonae XV.; Franciae X.; Romae IIII.; Alamaniae inferioris XVI.; Lombardiae XV.; Aquitaniae X. Castellae VI.; Hiberniae V.; Prov Provinciae X.; Scotiae IIII.; Tusciae XI.; Bononiae XII.; Tholosae X.; (32-d) Cathaloniae XV.; Alamaniae Superioris X.; Vasconiae X.; Boemiae VII.; Aragoniae IX.; Turoniae IX. De qua quidem summa debent solvi Primo Priori Generali pro suo vestiario, et Sociorum suorum centum ducati vel floreni de florentia aut franci de francia.

Item pro Magistro Regenti Parisiensi X franc.; Conventui Parisiensi, pro censibus ejusdem L franc. pro Biblico ibidem VI franc. pro salario famulorum Prioris Generalis XII. franc.; pro loco Procuratoris in Consistorio V fran.; pro vestiario Procuratoris Romanae Curiae XVI. fran.; Item pro pictantia eiusdem quandiu Curia erit in Roma, vel in partibus Italiae IX fran.; pro Procuratore saeculari VI fran. Ianitoribus primae Custodiae D.ni nostri Papae III fran.; Ianitoribus secundae custodiae IIII fran.; Magistro Regenti Curiae Romanae X fran.; in Festo Conceptionis in Curia V fran.; pro infirmitatibus R.mi Mri. Ordinis LXIIII. Ducat. Item pro expensis factis per R.um Mag. Bertrandum Vaquerii Procuratorem Ordinis, tam pro duabus Bullis impetratis pro Ordine missis in Capitulo Generali Montis pessulani, quam pro expensis factis in placito contra M.um Anellum, (1) qui procurabat perpetuari in Officio Provincialatus in Provincia Romae, et omnibus aliis expensis per eum factis a tempore quo fuit Procurator C. Ducat. Item pro expensis factis in Concilio Senarum per M.um Matthaeum de florentia, (2) et M.um Anthonium de Pisis (3) XXV. Ducat. Quae quidem summa modo infrascripto per Provincias persolvetur: Et primo Provincia Siciliae XV Ducat.; Angliae XVIII ducat.; Narbonae XII cum dimidio; Franciae VIII; Romae IIII.; Alamaniae inferioris XII cum dimidio; Lombardiae XII cum dimidio; (33-a) Aquitaniae X.; Castellae VI.; Hiberniae XII; Prov. Provinciae VII cum dimidio; Scotiae III: Tusciae VIII cum dimidio; Bononiae IX. Tholosae VII; Cathaloniae XII cum dimidio; Prov.

(1) Anellus. Anellus de Neapoli.
(2) Mathaeus de Florentia. Matthaeus Antonii.
(3) Anthonius de Pisis. Antonius Matthaei.

Alemaniae superioris VII ducat. cum dimidio ; Vasconiae VII cum dimidio ; Boemiae V. ; Aragoniae V. cum dimidio ; Turoniae V cum dimidio.

Subscriptam taxationem extraordinariam persolvet quaelibet Provincia prout ordinatum est infra tres annos.

Sequitur ordinatio Priorum Provincialium totius Ordinis. In primis Provincialem Terrae Sanctae Fratrem Jacobum de Rivola; Siciliae Mag. Nicholaum de Risio; Angliae Mag. Thomam Walderii; (1) Narbonae Mag. Nicholaum Coc; Romae Mag. Bertrandum Vaquerii; Franciae Mag. Thomam Avis; Alamaniae inferioris Fr. Thomam Emezan (2); Lombardiae Fr. Jo: de Castellacis (3); Aquitaniae M. Raymundum Fresardi; Castellae M. Jo: Martini, Hiberniae M. Philippum Raydour; Provinciae M. Johannem Fassi; Scotiae Fr. Philippum Boney (4); Tusciae M. Matthaeum Anthonini; Bononiae M. Nicholaum de Venetis; Tholosae M. Jacobum de Abbatia (5); Cathaloniae M. Franciscum Spineti; Alamaniae Superioris Fr. Ebrardus Ongar, (6) Vasconiae M. Fortium de Porta; Turoniae Fr. Thomam Multoris; Boemiae Fr. Jacobum Pellificis; Aragoniae Fr. Vincentius Thamariti (7); Portugalliae Fr. Alfonsum; Priorem curiae Romanae Fr. Petrum de Moreta. Procuratorem Generalem Ordinis Mag. Bertrandum Vaquerii; Magistrum Regentem in Curia Romana ad voluntatem R.mi M. Ordinis; Socios Rmi M. Generalis Magistrum Bartholomaeum de Rochali, et Fratrem Guillelmum Monachi Praesentat.; (33-b) Bachalarium ibidem Fr. Petrum deMarota (8). Magistrum Regentem in Avinione M. Johannem Fasti (9).

---

(1) Thomas Walderii. Waldensis.

(2) Thomas Heimersheim.

(3) Johannes de Castellacis. Postea Castellacio.

(4) Philippus Boney (supra Bon).

(5) Qui etiam de Ambasia audit. Pater egregius et doctus, in s. pagina professor. Scripsit plura opuscula. (Balaeus).

(6) Ebrardus Ongar. (Horgasser).

(7) Vincentius Thamariti. Ordinatus subdiaconus Valentiae 20 Sept. 1399, diaconus 12 Junii 1400, sacerdos 11 Mart. 1402. In quodam documento conventus Valentinensis sub die 13 Martii 1410 nominantur duo religiosi ejusdem nominis, nempe Vicente Tamarit prior, et Vicentius Tamarit magister studentium, qui videtur esse ille de quo hic agitur.

(8) Supra Moreta.

(9) Fassi.

De Studio Parisiensi.

Priorem Conventus Parisiensis Fr. Johannem Triparii; Mag. Vacantem Parisiis M. Jo: de Cruone (1); Magistrum Regentem Conventus Parisiens....

Ad Sententias promoverunt pro primo anno, videlicet XXV, Fratrem Geraldum de Taillamonte; pro 2 anno, scilicet XXVI Fr. Aymericum Chillureti (2); pro 3 anno, scilicet XXVII Fr. Bardinum Sampsonis.

Ad Bibliam pro 1 anno scilicet XXV Fr. Johannem Dulcis viri; (3) pro 2 anno Fr. Petrum Villeti; pro 3 anno Fr. Johannem Petri. De Studio Tholosano; ad Sententias pro 1 anno scilicet XXV. Fr. Petrum Johannem Vesonicis; (4) pro 2. Fr. Johannem Sechini; (5) pro 3. Arnaldum de Cazalilonguo pro 4. Fr. Petrum Hinguardi; pro 5. Fr. Thomam Baronis; pro 6 Fr. Geraldum de Ruppe; (6) pro 7. anno Fratrem Matthaeum Yrali. De Studio Avinion. quatenus ad Sententias: Primo confirmamus promotionem factam per R.mum M.um Ordinis de Fr. Arnoldo de Miscia (7). Pro 1 anno Fr. Jacobum Mainerii; pro 3. Fr. Stephanum Rubet; pro 4. Fr. Johannem Maynerii (8).

(33-c) De Studio in Monte Pessulano quantum ad Sententias: Pro 1 anno promoverunt Fr. Raymundum Garmandii. *(Caetera vacant).*

---

(1) Alius ab eo qui in Mon. 427 memoratur.

(2) Alias Aymericus Chaluceti, provinciae Hiberniae.

(3) Johannes Soeteman, de quo Monumenta, 428, Obiit Bruxellis 5 Aug. 1450.

(4) Supra Vessonis.

(5) Seguini, Siguin. Assistebat capitulo provinciali Tusciae anni 1441 tamquam procurator generalis. Eugenius IV ipsi sub die 5 Maji 1442 (III. Non. Maj. anno XII) commisit ut Maturino Bordini quondam ordinis Praedicatorum si eum proprie dispositum invenerit absolutionis beneficium impertiat eumque ad ordinem Carmelitarum recipiat. (Reg. Lat. 390, f. XIII).

(6) Videtur idem ac Galhardus de Ruppe de quo saepe in sequentibus. Cf. etiam Monumenta 238 de electione Beati Johannis Soreth in qua ipse quindecim voces habuit quas omnes in Soreth transmisit.

(7) Arnoldus de Miscia. Videtur legendum Nussia.

(8) Unacum Petro Lyoncii obtinuit ab Eugenio IV facultatem transferendi se ad abbatiam S. Honorati insulae Lirinensis ac ibidem regulam S. Benedicti profitendi. IV Non. Oct. anno primo (4 Oct. 1431). Reg. Lat. 305, f. CCLXXXIII.

Haec sunt Constitutiones et Ordinationes factae in eodem Capitulo praenominato.

Ordinamus quod de caetero nullus legat extraordinarie absque licentia speciali R.mi M. Generalis; et in casu quo faceret, perpetuis temporibus privamus eum lectura.

Item ordinamus, quod de caetero nullus Magistratus Tholosae noviter ordinatus possit dimittere Regentiam, et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae.

Item ordinamus quod Conventus Terrasciae sit Conventus Barchinonae, et ordinamus quod expensae factae pro defensione Conventus Terrasciae per Fratrem Johannem Cifrerii solventur triginta una libr. IX s. per Conventum Barchinon.

Item auctoritate Constitutionum quae dicunt quod appellantes vel defendentes, vel asserentes extra Ordinem, appellationibus deferentes, vel substituentes, careant ipso facto omni loco, voce, gradu, statu, officio in Ordine, nec aliquis Frater Ordinis teneatur talibus, si habeant officia, obedire, sed nec vocem habeant in electione quacumque, quousque per Generale Capitulum cum talibus post tres annos fuerit dispensatum.

Item confirmamus Constitutionem, qua cavetur Rubrica XXXIII de contumacibus et rebellibus, et de appellantibus et se erigentibus contra officium majorum suorum, maxime contra Priorem Generalem etc. circa finem Paragraphi: Si vero, ubi dicit Constitutio : Si vero contra Priorem Generalem vel eius Vicarium talia huiusmodi illicita perpetrabunt in futurum carceri mancipentur, et nihilominus loco et voce, statu, et gradu et officio ipso facto perpetuo sint privati, et secundum qualitatem et quantitatem suorum excessuum in delictis diutius in carcere teneantur. Et sicut habetur Rubrica XXXVIII. de poenis excommunicationis, ipso facto sint excommunicati : hanc vero Constitutionem, et poenas taxatas in eadem appellantibus et se erigentibus contra suos majores applicamus.

Item ordinamus, quod nullus assistens (exsistens) extra obedientiam Religionis habens aliquod officium pertinens extra obedientiam Ordinis et licet non utatur, sed solum duntaxat habeat privilegia in quibus hactenus usum habebat hujusmodi, nisi illis de facto renunciet, illa tradendo in manus majorum suorum, ipso facto loco, voce, et gradu, statu et officio sit privatus, nec

eum teneatur aliquis Conventus Ordinis recipere, seu in vitae necessariis ministrare.

Item ordinamus, quod de caetero nullus Frater nostri Ordinis veniat àd R.mum M.um Generalem sine licentia Prioris Provincialis, vel Localis, deferentes Litteras licentiae.

Item revocamus omnes Vicarios nostros per nos institutos in quibuscumque Provinciis nostri Ordinis, et etiam Priores locales et Conventuales factos per R.mum M. Generalem et omnes gratias et exemptiones per ipsum factas et concessas.

Item ordinamus, quod nullus Frater de caetero vadat de Conventu ad Conventum, vel de Provincia ad Provinciam, sine licentia Prioris Provincialis, et si aliqui reperiantur tales, praecipimus et mandamus omnibus Prioribus Provincialibus, et localibus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena rebellium, quatenus tales capiant, seu capi faciant, et carceribus Ordinis mancipentur, et qui sunt in aliena Provincia, ad propriam redeant, sub poena excommunicationis.

(33-**d**) Item confirmamus omnes alias Constitutiones factas in Capitulo generali Montis pessulani.

Item ordinamus quod amodo Fratres sint filii illorum Conventuum, in quibus recipiunt habitum.

Item ordinamus, quod nullus Frater nostri Ordinis possit se transferre per filiationem in aliam Provinciam ; et si ita faceret, restituat totum quod habuerit a sua Provincia.

Item ordinamus, quod de caetero nullus Prior localis, vel aliquis alius Frater nostri Ordinis, quicumque sit, permittat legi aliquas litteras Officiorum, ut puta Vicariatus, vel Prioratus, et aliarum gratiarum D.ni N.stri Papae, seu R.mi M.ri nostri Ordinis, vel alterius Praelati, in suis Conventibus, sine expressa licentia sui Prioris Provincialis, sub poena excommunicationis et rebellionis.

Item ordinamus, quod de caetero in Capitulis Generalibus et Provincialibus Litterae Principum, et Dominorum saecularium, et Praelatorum, non aperiantur nisi lecta Tabula Capituli Generalis vel Provincialis.

Item ordinamus, quod Vicarii praesidentes in Provinciis, post mortem Priorum Provincialium, ut habetur in Constitutionibus, quae dicunt, quod Vicarius fungatur plenaria authoritate Prioris Provincialis ; et ex ista Constitutione habetur, quod Vi-

carius Prov. potest eligere Socium non obstante quod habeat socium Prioris electum per Conventum.

Item ordinamus, quod deinceps Praesentati in Theologia et Bacchalarii, et Biblici possint eligi in Priores Provinciales; et revocamus Constitutionem in contrarium editam Capitulo de electionibus.

Item ordinamus, quod Baccalarii non promoti per Capitulum Generale deinceps nullam habeant taxationem a Provincia sua.

Item ordinamus, quod Conventus Argentinensis sit sub obedientia Provincialis Alamaniae Inferioris, et sit eiusdem Provinciae.

Item cum Fratribus pro terna apostasia incarceratis misericorditer dispensamus.

Item ordinamus, quod de Sancto Mauro fiat Festum IX. lectionum.

Item de Sancto Honorato fiat Festum duplex in Prov. Cathaloniae.

(34-a) Item ordinamus Procuratorem Generalem ad impetrandum Litteras D.rum Praelatorum, aut Communitatum, Civitatum et Castrorum rogatorias S.mo D.no Nostro Papae pro Canonizatione Sancti Alberti, M. Johannem de Scolio, cui damus licentiam in Prov. Siciliae recipiendi tres Conventus. Item statuimus, et ordinamus, quod omni anno fiant Octavae solemnes de Ascensione Christi.

Item ordinamus, quod quilibet Frater nostri Ordinis habeat vocem et locum active et passive immediate postquam erit professus, et Sacrum Ordinem Subdiaconatus receperit, nisi aliud impedimentum adsit; et revocamus Constitutionem, quae dicit: nec aliquis deinceps; Rubric. XXIX. *De Electionibus. (Postea pagina vacat).* (1)

---

(1) Aliquos menses post hoc Capitulum de assensu praecipue Provincialis Bononiae (sub cuius obedientia Mantuanum Coenobium subjiciebatur) P. Nicolai de Cataneis de Venetis, qui anno 1405 electus fuit Provincialis Hispaniae et primus Socius Generalis, 1411 Lector sententiarum Bononiae, anno 1420 Provincialis Bononiae et iterum in hoc Capitulo, celebratum est primum Capitulum Generale Congregationis Mantuanae. Vide Vaghi, *Commentaria* (hic supra p. 5) et *Analecta O. C. (Ibidem)* I p. 195 etc. Vaghi integram celebris illius Congregationis historiam enarrat et Supplementum ms. conservatur in Archivio Ordinis. In *Analectis* compendium utriusque exaravi.

(34-c) Haec est Tabula Ordinationum, Constitutionum, et Diffinitionis, quam Nos Fr. Bartholomaeus (1) humilis Prior Generalis, ac Servus totius Ordinis Fratrum Bmae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli, et omnium Definitorum totius Capituli Generalis in Conventu Nannetensi Provinciae Turoniae Anno Domini M. CCCC. XXX., quarta die Mensis Junii in Festo Pentecostes celebrati, fecimus de his, quae pertinent ad regimen totius Ordinis modo consueto, et approbato in nostro Ordine. In quo quidem Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres subsequentes, videlicet:

Diffinitor Provinciae Siciliae R.dus M. Ludovicus Sadoc; (2) Prov. Angliae R.dus M. Joannes Heneghale; Romanae Fr. Jacobus de Neapoli; Franciae R.dus M. Petrus Hodenc; Aquitaniae R.dus M. Petrus de nova Ecclesia (3); Hispaniae R.dus M. Johannes Martini Provincialis; Hiberniae Venerabilis Bacchalareus Aymericus Chaluti Provincialis; Bononiae Fr. Petronius de Ferraria. Tholosae R.dus M. Bartholomaeus de Rocali Provinc.; Scotiae Fr. Andreas Heton (4) Provinc.; Vasconiae R.dus M. Fortius de Porta Provinc.; Turoniae Fr. Jacobus Bolido; Aragoniae Fr. Bernardus Marchi.

De quorum omnium assensu diffinitum, et ordinatum fuit, quod pro communibus Ordinis negotiis solvantur ducenti triginta sex ducati; quae quidem summa distribueretur per hunc modum. In primis R.mo M.stro Generali totius Ordinis, pro vestiario suo, et Sociorum suorum, et aliis expensis suis centum ducat.

Item pro salario famulorum Generalis XII. ducat.; pro M. Regenti Parisiens. X ducat; pro Biblico Parisien. VI ducat; Conventui Parisien. pro censibus eiusdem L ducat.; pro loco Procuratoris in Consistorio V. ducat; pro vestiario Procuratoris Romanae Curiae XVI ducat; pro pictantia eiusdem quandiu Curia erit Romae, vel in partibus Italiae IX ducat; pro Procuratore saeculari VI. ducat; Pro janitoribus primae Custodiae D. N. Papae III ducat.; pro janitoribus secundae Custodiae IIII ducat.;

---

(1) Roqualli.

(2) Aloysius a Panormo. « Suis praedicationibus populum ab errore revocavit ». Balaeus.

(3) Petrus de Nova Ecclesia. Notatur hic pro provincia Aquitaniae, sed fuit diffinitor provinciae Alemaniae inferioris.

(4) Alias Encon, Honton.

pro M. Regenti Romanae Curiae X ducat.; pro Festo Conceptionis in Curia V. ducat. Quam quidem summam solvent Provinciae per hunc modum: Primo Provincia Terrae Sanctae... Provinciae Ciciliae XX ducat; Angliae XXX ducati.; Narbonae X. V. ducat; Franciae X ducat; Romae IIII.; Alamaniae Inferioris XVI; Lombardiae XV; Aquitaniae X; Hispaniae VI; Yberniae V.; Prov. Provinciae X; Scotiae IIII; Tusciae XI; Bononiae XII; Tholosana X; Cathaloniae XV.; (34-**d**) Alamaniae Superioris X; Vasconiae X; Bohemiae VII.; Turoniae IX; Aragoniae IX; Portugaliae, hanc remittimus cum Hispania.

Item in expensis per R.mum Patrem M.um Johannem Grossi quondam Generalem factis, et fiendis veniendo ad Capitulum Generale a Conventu Appamiarum usque Nannet, et redeundo, et pro caeteris suis expensis, et pro Procuratore Ordinis centum ducatos, pro quolibet quinquaginta.

Quae quidem summa solvetur ab Ordine infra duos annos per hunc modum; Primo; Provincia Ciciliae solvet IIII ducat.; Angliae totidem; Franciae II. ducat.; Alamaniae Inferioris IIII.; Aquitaniae II.; Hispaniae V.; Bononiae IIII.; Tholosae II.; Vasconiae totidem; Turoniae IIII.; Aragoniae II; Narboniae XI.; Lombardiae totidem; Provinciae VIII; Tusciae X; Cathaloniae VIII.; Romana II.; Alamaniae Superioris IX; Bohemiae VI.

Item ordinamus quod R.dus. M.er Fr. Johannes Grossi quondam Generalis, qui sponte et libere resignavit in manibus Ordinis Officium Generalatus, habeat quolibet anno quandiu vixerit in humanis, juxta tenorem Constitutionum nostrarum quinquaginta Ducatos, quos solvent annuatim Provinciae per hunc modum, videlicet quod quaelibet Provincia solvet II ducatos cum dimidio, exceptis Provinciis Hiberniae et Scotiae; quarum prima solvet unum ducatum, et secunda unum cum dimidio.

Sequitur Ordinatio Priorum Provincialium, sive eorum institutio.

Et primo Provincialem Provinciae Ciciliae ordinamus R.dum M.strum Fr. Geraldum (1) de Trapano; Terrae sanctae, quae prima est, Fratrem Jacobum de Rivola; Angliae R. M. Fr. Jo-

---

(1) Antea dicebatur Gerardus (cf. capitul. anni 1411, fol. 27 a et b.) Alius a Gerardo de Trapano qui anno 1405 diffinitor et provincialis Provinciae fuerat, cf. f. 25 a.

hannem de Henyghale; Narbonae R. M. Fr. Nicolaum Coc; Romae R. M. Fr. Marianum de Luce; Franciae R. M. Fr. Thomam Avis; Alamaniae Inferioris R. M. Petrum de nova Ecclesia; Lombardiae R. M. Fr. Johannem de Castellacio; Aquitaniae R. M. Fr. Raymundum Fresardi ; Hispaniae R. M. Fr. Johannem Martini; Yberniae Venerabilem Bacchalaureum Fr. Aymericum Chaluti; Provinciae R. M. Fr. Iohannem Fasti; Scotiae Fr. Andream Heton; Tusciae R. M. Fr. Petrum de Prato; (1) (35-a) Bononiae R. M. Fr. Nicolaum de Chataneis; (2) Tholosae remittimus R.mo M.ro Generali, et Capitulo Provinciali eiusdem Provinciae in proximo celebrando; Cathaloniae ordinamus R. M. Fr. Franciscum Spineti; Alamaniae Superioris Fratrem Ebrardum de Orgacis; (3) Vasconiae R. M. Fr. Fortium de Porta; Bohemiae Fr. Livinum de Damis; Turoniae R. M. Fr. Thomam Multoris; Arragoniae Fr. Laurentium Quarcii; Priorem Curiae Romanae ordinamus Fr. Johannem de Cenis; Procuratorem Generalem Ordinis R. M. Fr. Natalem de Venetis; (4) Magistrum Regentem in Curia Romana Venerabilem Licentiatum Fr. Johannem Sequini, postquam fuerit magistratus; Socios R.mi M.ri Generalis ordinamus R.dum M.rum Fr. Guilhelmum Costalli, et Ven. Praesentatum Fr. Guillelmum de Pontefracto. M.rum Regentem in Conventu Avenionis.... Priorem Conventus Parisiens. Fr. Petrum Villeti (5) Praesentatum; Magistros vacantes in Conventu Parisien. Fratres Johannem de Vernone, et Johannem Triparii; M.um Regentem in Conventu Parisien....

Sequitur ordinatio promotorum ad Biblia et ad Sententias.

---

(1) Petrus de Prato. Petrus Francisci.

(2) Nicholaus de Cathaneis. Alias de Venetia.

(3) Ebrardus Horgasser.

(4) Doctor egregius, ait Balaeus, magister in s. pagina, Eugenio IV qui etiam Venetus erat multum acceptus, a quo plura privilegia obtinuit, inter quae remedium contra apostatas (Bullar. I. 184) Post assumptionem Bartholomaei Roqualli ad episcopatum Massiliensem instituitur Vicarius Generalis (Bullar. I. 185).

(5) Monumenta 440. Anno 1420 Ad legendum Bibliam Parisiis destinatus (quae nominatio anno 1425 confirmata fuit) 1430 ibidem prior existens docendi licentiam consecutus est, Non confundendus cum Jacobo Villeti qui anno 1411 sententiarius Parisiis nominatus fuerat, ac deinceps in capitulis annorum 1440, 1444, 1447 et 1451 tamquam provincialis provinciae Provinciae memoratur, Concilio Basileensi interfuit, et anno 1441 Vicarium generalem totius Alemanniae agebat.

Et primo: Biblicus Parisien. pro anno XXX. Fr. Johannes Hardi. (1) Item Biblicus Parisien. pro anno XXXI. Fr. Johannes Spina; pro anno XXXII Fr. Reginaldus Quenin; pro anno XXXIII Fr. Johannes Soret; (2) pro anno XXXIIII Fr. Gull.us de Angusia; pro anno XXXV Fr. Petrus Menier; (3) pro anno XXXVI Pr. Johannes Olearii; (4) pro anno XXXVII Fr. Egidius de Crine; (5) pro anno XXXVIII Fr. Petrus Prendre; (6) Item Sententias legent ibidem Anno XXX Fr. Petrus de Laleu; (7) Item sententias pro anno XXXI Fr. Bardonius Sampsonis.

Sequitur ordinatio Promotorum Tholosae ad Bibliam. Et P.o Biblicus Tholosanus pro anno XXXI Fr. Mathaeus de Peralli; pro anno XXXII Fr. Johannes de Cantamerula; pro anno XXXIII Fr. Henricus Macri; pro anno XXXIV Fr. Petrus de Causabibus; pro anno XXXV Fr. Johannes Maliden; pro anno XXXVII Fr. Bartholomaeus de Monteleone; pro anno XXXVIII Fr. Matthaeus Quenin; pro anno XXXIX Fr. Philippus Termini; pro anno XL Fr. Arnaldus Tarride; (8) pro anno XLI Fr. Petr us Vimali.

Sequitur de Universitate Avenionensi.

Et primo: Biblicus pro anno XXXI. Fr. — pro XXXII Frat. — pro XXXIII. Fr. — pro XXXIV Frat:

Sequitur de Universitate Bononiae et primo Biblicus pro anno XXXI Fr. Franciscus de Brachulo de Acil; pro anno XXXII Fr. (35-b).

Sequitur de Universitate Romana: Biblicus pro anno XXXI Fr. Johannes Petile; (9) pro anno XXXII Frat.

---

(1) Monumenta 401. Anno 1422 fuit lector Rothomagi.

(2) Monumenta 410 et passim.

(3) Monumenta 434.

(4) Monumenta 436.

(5) Alias Cum Crine. Monumenta 426.

(6) Alias Perider. Monumenta 437. Obiit Parisiis baccalarius existens 22 Julii 1438 (Balaeus, Bodl.).

(7) Monumenta 416.

(8) Prior conventus Tholosae et praesentatus ejusdem universitatis « qui plura bona fecit ». Videtur mortem obiisse in conventu Aginni. Anno 1456 nominatur in quodam instrumento Tholosano Arnauld Terricte, prior, quem suspicor fuisse eundem.

(9) Johannes Petile (? Pecile?)

Item ordinamus quod Magistri bullati, et omnes qui per ordinationem Diffinitorii alicuius Capituli Generalis non fuerunt promoti sed extraordinarie gradum Magisterii ab anno Domini MCCCCXX et deinceps sunt adepti, aut in posterum sunt adepturi, locum et vocem ubique teneant post ordinarie promotos, nonobstante quacumque notabili antiquitate.

Item ordinamus, quod Lectores, qui fuerunt promoti per saltum, et qui non compleverunt actus suos Parisiis, vel alibi; et etiam qui propter eorum insufficientiam in Capitulis Provincialibus non reperiuntur habiles ad legendum in aliquo Conventu, remittantur ad communem tabulam, et teneant locum secundum eorum antiquitatem, exceptis Lectoribus Provinciae Angliae, quae specialibus utitur statutis.

Item revocamus omnes gratias sub quacumque verborum forma et etiam filiationes per nostros Praedecessores factas et concessas; nolentes quod de caetero aliquis Frater Ordinis possit se transferre de Conventu ad Conventum, nec de Provincia ad Provinciam per modum filiationis; sed quod quilibet perpetuo maneat filius illius Provinciae et Conventus, cuius filius esse debebat, quando intravit Religionem, secundum antiquas Constitutiones.

Et istam Constitutionem volumus perpetuo in suo vigore permanere, nisi forte tanta esset Fratrum penuria in uno Conventu, et tanta abundantia in alio, quod merito talis filiatio fieri possit sine praeiudicio cuiuscumque. Et fiat tunc talis filiatio per Priorem Generalem, et voluntate Provinciarum, et conventuum. Ita quod si fiat mutatio de Provincia ad Provinciam, quod ambae Provinciae sint concordes. Si de Conventu ad Conventum, quod ambo Conventus sint concordes, et Provincia, sive Capitulum Provinciale. Excipimus tamen ab hac Constitutione Provinciam nostram Angliae, quam in hac parte committimus statutis et ordinationibus Capituli Provincialis. Et excepto Fratre Jacobo Bolido (1), cum quo ex speciali gratia dispensamus.

Item nonobstante praedicta Constitutione, volumus, et ordinamus, quod si quis adultus XIIII annorum, vel ultra, ex singulari devotione Religionem intraverit, eligendo sibi unum Conventum causa devotionis specialis, alias non intraturus Religionem

(1) Alias Volido.

nisi ex devotione quam habet ad illum Conventum, volumus et ordinamus quod sit filius illius Conventus in quo ex devotione accepit habitum.

Item confirmamus ordinationem factam in Capitulo Generali in Appamia ultimate celebrato, continentem, quod nullus Frater nostri Ordinis, cuiuscumque gradus, aut conditionis extiterit, possit se transferre de Provincia ad Provinciam per filiationem ; et si ita fecerit, restituat totum quod habuit a Provincia. Addentes nihilominus, quod si temporibus praeteritis hoc fieri per aliquem vel aliquos contigerit, ipso facto restituat totum quod habuit a sua Provincia, de qua primo fuit filius; et hoc sic fieri praecipimus, et mandamus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae, aut alias cum ad quos pertinet amicabiliter conveniat.

Item praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et, sub poena excommunicationis, mandamus omnibus Prioribus Provincialibus, quatenus omnes Bullas a Sede Apostolica nostrae Religioni indultas in veras copias redigant, cum notatione Provinciae et Conventus, ubi Bullae habentur; et ipsae copiae Magistro Priori Generali infra tres annos sine omni dilatione mittantur.

Item ordinamus, quod solum illi Magistri in sacra Pagina, qui ordinarie legerunt Sententias, et sic ordinarie pervenerunt ad Gradum Magisterii, habeant vocem activam et passivam in Capitulis Provincialibus suarum Provinciarum, si sint praesentes, nonobstante statuto (35-c) Constitutionum Rubrica XXVI, paragr.: « Et nullus intret, et vadat ad Capitulum expensis propriis, nisi contingeat eos esse Priores, vel socios electos Priorum ad Capitulum ».

Item statuimus et ordinamus, quod omnes iam promoti, et in posterum promovendi in Universitate quacumque teneant quantum possint, et publicent Doctores nostri Ordinis.

Item ordinamus quod quilibet Sacerdos nostrae Religionis habens facultatem celebrandi, oret Deum devotius quo poterit pro felici statu universalis Ecclesiae, et specialiter pro conservatione nostrae Religionis, pro prosperitate Fratrum nostrorum, et omnium Benefactorum viventium, et pro Animabus omnium Fratrum, Confratrum, et Benefactorum nostri Ordinis, hic recommendatorum seu merito recommendandorum et dicat tres Missas de Spiritu Sancto, tres de Beata Virgine, et quinque de mortuis.

Item ordinamus Capitulum nostrum Generale proximum in Avinione hinc ad sex annos, vel citra; si oporteat, ad expensas Conventus.

Item reservamus nobis auctoritatem diffiniendi, determinandi, amovendi, absolvendi, et caetera faciendi, quae ad praesens spectant Capitulum hinc ad duodecim dies sequentes.

In quo quidem Capitulo R.mus in Christo Pater noster et Mag. Fr. Ioannes Grossi, attentis aetate sua sancta, et debilitatibus corporis, suorumque membrorum, libere et sponte resignavit officium Generalatus, ubi in Priorem Generalem totius eiusdem Ordinis R.mus in Christo Pater noster, et Mag. Fr. Bartholomaeus de Roquali unanimiter, et concorditer ab omnibus rite, et canonice est electus, et iuxta formam Constitutionum iuridice confirmatus.

Item Fr. Iacobum Bolido Lectorem, facimus Vicarium nostrum super omnes Conventus in Britannia *(deinde pagina vacat)*.

(36-a) ✝ Iesus in corde ✝ Maria in mente ✝

Haec est Tabula ordinationum, Constitutionum et diffinitionis, quam nos Fr. Ioannes (1) humilis Prior Generalis, ac Servus totius Ordinis Fratrum B.mae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli. Et omnes Diffinitores totius Capituli Generalis in Conventu Ravenspurgensi Provinciae Alamaniae Superioris Anno D.ni Millesimo CCCC.XXXIIII. die XVI. mensis Maii, in Festo sancto Pentecosten celebrati, fecimus de hiis quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto, et approbato in nostro sacro Ordine. In quo quidem Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres sequentes, videlicet:

Diffinitor Terrae Sanctae R.dus M. Nathalis de Venetiis, Procurator Ordinis: Diffinitor Provinciae Angliae R. M. Ioannes Walton (2) socius Provincialis; Narbonae R. Nicolaus Choc Provincialis eiusdem Prov. Mag.: Franciae R. Mag. Thomas Avis

(1) Roqualius Ordinem gubernavit usque ad 2 Sept. 1433 quo die electus est Episcopus Massiliensis. Die 5 Sept. Eugenius IV Natalem Bencesius de Venetia Vicarium Generalem instituit usque ad novum Capitulum Generale; in quo electus est Ioannes Faci. *(Ventimiglia et Bullarium)*.

(2) Cum anno 1446 Eugenius IV iusserit reformationem Ordinis in Anglia introduci Mag. Ioh. Walton cum aliis tribus distinctionis Oxoniensis in hac materia laborabat. Aliae distinctiones in quas pro-

Provincialis: Alamaniae inferioris R. M. Petrus de Francfordia (1) primus Socius; Lombardiae R. M. Ieronimus de Castellaccio (2) Provincialis; Aquitaniae Ven. Praesentatus Fr. Gulielmus de Cantamerula primus socius; Prov. Provinciae Ven. Licentiatus Fr. Ioannes Macellari primus socius; Scotiae Fr. Gulielmus Falcon primus Socius; Tusciae R. Mag. Iulianus Ioannis (3) Provincialis; Bononiae R. M. Iacobus de Ferraria (4) primus Socius Provincialis; Tholosae R. M. Gualhardus de Rupe (5) Provincialis; Cathaloniae R. Mag. Franciscus Spineti Provincialis; Alamaniae superioris Ven. Lector Fr. Symon de Rezir (6) Provincialis;

---

vincia divisa erat (scilicet Londinensis, Eboracensis et Norvicensis) similiter procedebant. Obiit noster Joannes Bristolniae anno 1459 (nisi 1479 legendum sit).

(1) Petrus Spitznagel. Cf. de eo Koch, P. 153. Anno 1444 episcopus Myrensis et administrator Spirensis nominatus.

(2) Secundum Chronicam Carmeli Mediolanensis opera Iosephi Fornari (Mediol. 1685) idem esset ac Thomas de Castellaciis qui supra pluries nominabatur, et hoc quidem verisimile videtur. Ibi provincialatus eius notatur ab anno 1427 usque 1438.

(3) Annis 1424 usque 1426 fuit studens extra provinciam (Tusciae), 1427 tertius diffinitor provincialis et socius prioris Florentini et in ipso capitulo prior Florentinus designatus; 1428 in primo capitulo studens intra provinciam, in altero secundus diffinitor et socius prioris Florentiae; 1430 quartus diffinitor, iterum socius et in priorem Florentinum electus, tunc temporis baccalaurens existens; anno 1434 in provincialem electus provinciam per duos annos gubernabat, resignans anno 1436; et primus diffinitor, socius provincialis et prior Prati designatus. Obiit eodem anno 22 Sept. Necrol. sic habet: « Iulianus Joannis in s. pagina excellens et in reliquis scientiis valde peritus fuit provincialis annis duobus, obiit in nostro conventu Prati pro tunc decanus universitatis Florentiae valde zelans studii et studentium; est sepultus Florentiae ».

(4) Iacobus de Ferraria. Diversus sane ab illo eiusdem nominis qui anno 1399 penultimum locum inter conventuales conventus Venetiarum occupat.

(5) Gualhardus de Rupe, idem qui supra anno 1425 Gerhardus de Rupe vocatus est. Fuit praedicator famosissimus, et in licentiis adipiscendis socius Bernardi de Rosergio, postea episcopi.

(6) Simon de Rezir, Simon Reiser. Annis 1427 usque 1429 fuerat lector et prior Nurnbergensis, sequenti anno in eodem conventu electus fuit in provincialem. Post assumptionem Bartholomaei de Ro-

Vasconiae Ven. Licentiatus Fr. Geraldus de Taglyamonte (1) Socius Provincialis; Turoniae R. M. Stephanus Avole Provincialis; Boemiae Ven. Lector Fr. Hermanus Butstad; Aragoniae Ven. Lector Fr. Bernardus Marcii (2).

De quorum omnium assensu definitum, et ordinatum fuit, quod pro communibus negotiis Ordinis solvantur ducenti triginta sex ducati. Quae quidem summa sic distribuetur. In primis: R.mo M.stro Generali pro vestiario suo, et suorum Sociorum, et aliis expensis eius centum Ducati. Item pro salario famulorum generalis XII ducat.; pro Magistro Regenti Parisius X ducat.; pro Biblico Parisiensi VI ducat.; Conventui Parisiensi pro censibus eiusdem L ducat.; pro loco Procuratoris in Concistorio V duc.; pro vestiario Procuratoris in Curia Romana XVI ducat.; pro piatancia (3) ejusdem IX ducat.; pro Procuratore saeculari VI ducat.; pro Ianitoribus primae Custodiae D. N. Papae III ducati. pro Ianitoribus secundae Custodiae IIII ducat.; pro Magistro

---

qualli ad episcopatum secundum statuta ordinis erat Vicarius generalis Ordinis. Provincialatu cessit anno 1439 quo electus est in priorem Bambergensem, quod officium iterum tenuit anno 1441. Videtur paulo post mortem obiisse cum amplius non memoretur; sepultus fuit die et anno minime expressis in conventu Norligensi.

(1) Geraldus de Tagliamonte. Supra de Taillamonte.

(2) Alias Marchi.

(3) Alias scribitur *pietantia*, *pictantia*, *pitantia* etc.

Credimus verbum derivatum esse a verbo gallico « pitié », scilicet designabat portionem seu ferculum, quod praeter obligatoria aliquibus diebus festivis etc. vel aliquibus personis specialibus concedebant ex pietate, clementia, benignitate vel misericordia. In Italia adhuc ferculum, quod non communiter inter cives, nec in omnibus Conventibus ministratur, vocatur « pietanza », latine « pitantia ». In Consuetudinibus Cisterciensium, saec. XII cap. 76, verba « si cellararius voluerit superaddere pro misericordia illis » etc. traducitur in appendice lingua gallica: « se li celeriere vuelt donner aucune pitance à celes », etc. (*Analecta Divionensia* X, p. 181 et 491). Pluries tamen sumitur in sensu latiori. Sic antipapa Benedictus XIII die 13 Mart. 1404: « Joanni Grossi dat facultatem concedendi remissionem omnium peccatorum omnibus illis, qui fratribus suis in gen. Cap. quod in brevi in domo seu conventu Tarvien. debet celebrari, congregatis pitancias congruas videl. pro sufficienti refectione hora prandii vel coenae largituri sunt » (*Eubel*, Die Avignon. Obedienz)

Regenti Romanae Curiae X ducat.; pro Festo Sanctae Conceptionis in Curia V ducat. (36-b) Quam quidem summam solvent Provinciae per hunc modum: Provincia Siciliae XX ducatos; Angliae XXX; Narbonae XV; Franciae X; Romae IIII; Alamaniae inferioris XVI; Lombardiae XV; Aquitaniae X; Ispaniae VI; Iberniae VI; Provinciae X; Scotiae IIII; Tusciae XI; Bononiae XII; Tholosana X; Cathaloniae XV; Alamaniae superioris X; Vasconiae X; Turoniae IX; Boemiae VII; Aragoniae IX ducatos.

Item pro expensis factis per R.dum Vicarium Provincialem Alemaniae Superioris, Magistrum Nathalem de Venetiis, M.um Thomam Avis, et M.strum Joannem Barath in Sacro Concilio Basiliensi taxamus ducatis CCXXXVII summarie, videlicet: Vicario Ordinis Provinciali praedicto CXL. ducat.; R.do M.ro Natali LXXVII ducat. Duobus vero aliis Magistris XX duc., X pro quolibet.

Quae summa solvetur ab Ordine infra sex annos per hunc modum: Et primo Provincia Siciliae solvet anno quolibet V ducatos cum tertia parte; Angliae II ducatos cum dimidio anno quolibet; Narbone II cum dimidio; Franciae pro primo anno II cum dimidio, aliis vero annis unum ducatum cum dimidio; Romae pro primo anno et secundo unum ducat.; et pro reliquis medium tantum; Alamaniae inferioris pro primo anno tres cum dimidio, reliquis vero II cum dimidio; Lombardiae anno quolibet II cum dimidio; Aquitaniae pro primo anno duos cum dimidio; aliis vero annis unum cum dimidio; Ispaniae pro primo anno duos; pro reliquis vero unum. Iberniae pro anno primo duos, pro sequentibus vero annis unum; Provinciae pro primo anno duos ducatos cum dimidio: aliis vero unum cum dimidio; Scotiae pro primo et secundo annis unum ducatum, pro sequentibus vero duos ducatos; Tusciae pro primo anno unum ducatum, pro sequentibus vero duos; Bononiae anno quolibet ducatos duos (36-c); Tholosana anno quolibet unum ducatum cum dimidio; anno vero ultimo duos cum dimidio, Chataloniae anno quolibet duos ducatos cum dimidio; Alamaniae superioris anno quolibet duos ducatos cum dimidio, ultimo anno unum cum dimidio; Vasconiae anno quolibet duos ducatos cum dimidio, ultimo vero unum cum dimidio; Turoniae anno quolibet unum ducatum cum dimidio; Boemiae pro primo anno duos ducatos, reliquis vero annis

unum tantum; Aragoniae annis singulis unum ducatum cum dimidio.

Item ordinamus, quod R.dus M.ster Joannes Grossi quondam Generalis pro anno quolibet quandiu vixerit habeat quinquaginta ducatos juxta tenorem nostrarum Constitutionum, quos solvent annuatim Provinciae per hunc modum, videlicet quod quaelibet Provincia solvet duos ducatos cum dimidio, exceptis Provinciis Iberniae et Scotiae, quarum prima solvet unum ducatum, et secunda unum cum dimidio.

Hae sunt pecuniae, quae dari debent R.mo M.ro Ordinis, et aliis R.dis M.stris Provincialibus Angliae, Alamaniae inferioris, Lombardiae et Romae, qui erunt cum eo in Sacro Basiliensi Concilio pro quatuor mensibus. Summa totius est ducentorum florenorum Renensium, quae solventur per hunc modum:

Imprimis Provincia Siciliae floren. viginti; Narbonae XIIII: Franciae XII; Romae VIII; Alamaniae inferioris XIX; Lombardiae IX; Aquitaniae IX; Castellae XV; Iberniae V; Provinciae IX; Scotiae IIII; Tusciae IX; Bononiae VIII; Tholosana VII; Cathaloniae IX; Alamaniae superioris, X; Vasconiae IX; Turoniae VIII: Boemiae IX; Aragoniae VII.

Praecipitur, et mandatur omnibus Provincialibus, ut infra duos menses unusquisque inviolabiliter ratam suam mittat R.mo M. Ordinis in Basileam.

Item si contingat, quod Reverendissimus M. Ordinis, et Venerabiles M.stri Provinciales praedicti debeant Basileae permanere ultra dictos menses quatuor, ordinaverunt, ut quilibet Conventus nostri Ordinis unum ducatum mittat pro singulo eidem R.mo M.stro et Sociis.

(36-d) Sequitur ordinatio Priorum Provincialium sive eorum institutio.

Ordinaverunt. Et Primo Provincialem Terrae Sanctae Venerabilem Fr. Jacobum de Rivola; Siciliae Fr. R.dum M. Geraldum de Trapano; Angliae R.dum M. Johannem Klengale (1); Narbonae R.dum M. Nicolaum Coc.; Franciae R. M. Thomam Avis; Romanae R. M. Natalem de Venetiis, Alamaniae inferioris R. M. Petrum de nova Ecclesia; Lombardiae R. M. Ieronimum de Castellacio; Aquitaniae R. M. Raymundum Frezardi; Ispaniae

---

(1) Klengale, Kenynghale.

R.um M. Johannem Martini; Yberniae illum qui fuit anno praeterito; Provinciae committimus R.mo M. Generali, quod in Capitulo Provinciali eiusdem Provinciae provideat prout sibi videbitur expedire; Scotiae Fr. Andream Encon; (1) Tusciae R. M. Iulianum Joannis; Bononiae R. M. Nicolaum de Cathaneis; Tolosae R. M. Gaglyardum de Rupe; Cathaloniae R. M. Franciscum Spineti; Alamaniae superioris Ven. Fr. Symonem Rizer (2) Lectorem in Theologia; Vasconiae R. M. Fortium de Porta; Boemiae Fr. Hermanum Budast; Turoniae R. M. Stephanum (3); Aragoniae Fr. Laurentium Garciae (4) Bachalaureum; Priorem Romanae Curiae . . . . Procuratorem Ordinis R. M. Natalem (5); Magistrum Regentem in Curia Romana eumdem. Socios R.mi M. Generalis R. M. Hermanum de Nussia (6), et Ven. Lectorem Fr. Jacobum Arnesii; Priorem Conventus Parisiensis Fr. Gaufridum Policen (7): Magistrum vacantem Parisius R. M. Johannem de Vernone.

---

(1) Encon, Heton sive Honton.

(2) Rizer, Rezir, seu Reiser.

(3) Stephanus scil. Avole.

(4) Laurentius Garciae. Conventus Valentinensis, tonsura insignitus 2 Mart. 1409, quatuor minoribus ordinibus 21 Sept. eiusdem anni, subdiaconatu 17 Maji 1410, diaconatu 20 Dec. 1410 et tandem sacerdotio 17 Dec. 1412.

(5) Natalis scil. de Venetiis.

(6) Plures fuerunt religiosi eiusdem nominis atque provinciae quos distinguere opus est. Primus fuit ille de quo supra P. 77 nota 1, egimus. Juxta Koch (P. 29 nota 1.) Tilmannus de Nussia provincialis anno 1375 identicus fuisset cum Hermanno nostro. Alius Tilmannus de Nussia prior et lector fuerat Boppardiensis anno 1361 et anno 1373 obierat. Secundus fuit prior Harlemensis ab anno 1377 usque 1392 circa quod tempus mortuus est. Tertius fuit ille de quo hic agitur. Coloniensis natu ad prioratum Aquisgranensem evectus fuit anno 1420, deinde anno 1430 prior Coloniensis ibidem magisterium in s. Theologia adeptus est: interfuit concilio Basileen. quamdiu Eugenio IV adhaesit. Anno 1434 prior Bruxellensis renuntiatus sequenti anno in Italiam se contulit et capitulo provinciae Tusciae 1 Maji in Monte Catino celebrato tamquam socius generalis, et primus diffinitor astitit (« Ormanus de Nuscia »), et concilio Ferrariensi interfuit. In schismate provinciae Alemaniae Inferioris Petro de Nova Ecclesia adhaesit ut infra patebit. Tempus et locus mortis non memorantur.

(7) Gaufridus Policen seu Polixen. Supra P. 139.

Sequitur ordinatio promotorum ad sententias et Bibliam in Studio Parisiensi. Et primo Biblicum Parisiensem pro anno XXXIIII Fr. Egidium cum Crine; item Biblicum pro anno XXXV, Fr. Ioannem Conti: item Biblicum pro anno XXXVI Fr. Antonium Boyssonis.

Item committimus R.mo M. Ordinis et Sociis Provincialibus secum in Sacro Concilio residentibus quod utiliorem et gratum eis ex Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus unum quem duxerint eligendum.

Item Biblicum pro anno XXXVII Fr. Gullielmum Daniel (1); item pro anno XXXVIII Fr. Petrum Menardi (2); pro anno XXXIX Fr. Johannem Capel; pro anno XL Fr. Gullielmum de Valle.

Item ordinamus Bachalaureum in Studio Coloniensi pro Sententiis pro anno XXXIIII Fr. Johannem Gawer (3); - Sequitur ordinatio promotorum ad Bibliam et Sententias in Studio Tholosano: et primo pro anno XXXIIII. Leget Sententias Fr. Laurentius Garciae (37-a); eodem anno leget Bibliam Fr. Michael de Vienna (4); item pro anno XXXV. Fr. Johannes Triforii: leget sententias hoc anno Fr. Petrus de Vinchali (5); item pro anno XXXVI Fr. Autonius Ialieti (6); pro anno XXXVII Fr. Johannes Ra-

---

(1) Gullielmus Daniel Monumenta P. 427.

(2) Petrus Menardus. Supra P. 175 Petrus Menier.

(3) Joannes Gawer. Lector ab anno 1430 in conventibus Argetinensi, Trevirensi et Coloniensi, anno 1437 Coloniae promotus ad licentiam in theologia, deinde prior et lector principalis Moguntiae ubi 27 Augusti 1438 obiit, sepultus in choro ecclesiae. Interfuerat concilio Basiliensi cum Petro de Nova Ecclesia. Ita Norbertus qui sub silentio praeterit prioratum Moguntinum anni 1436.

(4) Michael de Vienna, cuius verum nomen fuit Michael Ratschmit seu Rotschmit. Anno 1428 fuit informator philosophiae et logicae in studio Viennensi, 1429 informator physicae et logicae ibidem, 1430 informator physicae, 1431 lector regens et in altero capitulo eiusdem anni studens pro primo anno lectoratus, 1432 idem pro secundo, 1433 prior Augustanus (Augsburg), 1434 biblicus Tholosae, et tandem anno 1436 lector Viennensis et rector studii. Cum amplius non memoretur colligitur eum paulo post vita defunctum fuisse.

(5) Petrus de Vinchali. Supra P. 176 Vimali.

(6) Antonius Jalieti. Infra Jolliceti.

mionis (1); pro anno XXXVIII Fr. Petrus Bernesii; pro anno XXXIX Fr. Bernardus de Bello Loquero (2); pro anno XL Fr. Guilhelmus Perelhonis (3).

De promovendis autem in Universitate Avinionis committimus R.mo Patri M.stro Ordinis, tamen promovemus ad Studium Montispessulani Fr. Theodoricum de Aquis (4), ad legendam Bibliam et per consequens sententias usque ad Magisterium inclusive pro anno D.ni MCCCCXXXIIII.

Item ordinamus ad legendam Bibliam pro anno XXXVI. in Conventu Avinionis Fr. Bartholomaeum de Monte Leone;

---

(1) Joannes Ramionis. Alias Raymundi, Rami. De ipso Balaeus pluribus in locis in istum modum: Magister Fr. Joannes Rami vel Ramusculi vel palmitis (etymologia phantastica) primus doctor in conventu Molinarum, theologus praestantissimus, confessor et consiliarius ducis de Bourboniae habuit in commendam prioratum in quodam monasterio Ordinis S. Benedicti cum aliis beneficiis. Hic incitavit ad religionem Magistrum Tossanum de Villanova, et ipse Tossanus idem fecit Laurentio Burello Divione tunc ludimagistro. Obiit Molinis, anno non expresso. Commenda de qua Balaeus loquitur erat prioratus de Luzeriaco Praemonstratensis Ordinis dioecesis Claramontensis, dependens a monasterio S. Gilberti eiusdem Ordinis et dioecesis. Istam commendam Joannes noster sponte et libere in manus summi pontificis resignavit qui eam Carolo Tetrandi presbytero Aeduensi assignans Joanni pensionem sedecim ducatorum super redditus reservavit annuatim diebus S. Joannis Baptistae et Natalis Domini solvendam, super quibus omnibus et aliis de iure et consuetudine rescriptum habetur Reg. Lat. 755, f. XVII sub die 11 Dec. 1475.

(2) Bernardus de Bello Loquero, infra etiam de Bello, de Bello Loqueto.

(3) Guilhelmus Perelhonis. Passim Perillonis, Pealonis, Berchonis, Perclonis et Pellonis.

(4) Theodoricus de Aquis. Millendonck et alii confundunt hunc cum alio eiusdem nominis sed alterius provinciae, nempe Alemanniae inferioris, Aquisgranensem natu qui anno 1384 studiorum causa Coloniae degens trigesimum quintum locum inter sexaginta conventuales occupavit, quique anno 1394 vitam S. Alberti conscripsit (transcripsit?), cum Theodoricus de quo hic agitur Narbonensis fuerit, anno 1428 informator artis novae in conventu Montis pessulani, anno 1436 ibidem prior (ubi demum decessit et sepultus fuit), postea doctor theologiae et provincialis.

item pro anno XXXVII in eodem Conventu Fr. Bernardum de Rudes; pro anno XLIIII (1) Fr. Petrum de Mallo.

SEQUUNTUR ORDINATIONES ET CONSTITUTIONES FACTAE IN PRAESENTI CAPITULO.

In primis ordinaverunt quod R.mus M.ster Generalis non possit mittere vel constituere Vicarios in quacumque Provincia, nisi requisitus a Provincialibus, vel a maiori parte Provinciae. Et item intelligimus de Provincialibus in eorum Provincia. Declarantes tamen, quod in casu quod ipse R.mus M. Ordinis non posset in tempore opportuno personaliter visitare, valeat mittere Vicarium, de aliena tamen Provincia, et hoc tantum de duobus Capitulis ad duo Capitula; qui tamen Vicarius non valeat nisi tantum tribus diebus in Conventibus permanere, nec praesidere habent in Capitulis Provincialibus.

Item ordinamus, quod R.mus M. Ordinis non possit deponere Provinciales in Capitulo Conventuali, nisi prius vocatis Patribus Provinciae, saltem pro maiori parte.

Item ordinamus, quod Prior Generalis non possit ordinare, vel constituere Priorem localem in aliquo Conventu sine canonica electione. Non derogando tamen Constitutionibus, quae dicunt, quod in Provincia sua possit haec facere cum consensu Patrum dicti Conventus quatuor.

Item ordinamus, quod nullus Frater cuiuscumque status aut gradus existat, exeat suam Provinciam propriam, sine licentia Prioris Provincialis, aut Generalis; quod si fecerit, ipso facto eum tamquam apostatam et rebellem iudicamus; Prior vero, sive Provincialis ad quos pervenerit, nisi illum subito expellant, vel incarcerent, ipso facto sint excommunicati.

Item ordinamus, quod omnes Magistri quoquomodo per Bullam magistrati priventur omnibus exceptionibus, taxationibus, et emolumentis, quae M.ri habere solent, nisi a sua Provincia acceptentur, et hoc cum consensu Prioris Generalis.

Item ordinamus, quod omnes Lectores, qui eorum actus non compleverunt, ad Tabulam communem volumus eos remitti, nisi ab earum Provincia valeant acceptari.

---

(1) Lege: pro anno XXXVIII.

Item revocamus omnes gratias et exemptiones, sub quacumque forma et modo traditas per Praedecessores nostros.

Item ordinamus, quod omnes Magistri in Sacra Pagina, qui ordinarie Gradum Magisterii sunt adepti, habeant (37-b) locum et vocem in suis Capitulis Provincialibus active et passive, si sint praesentes. Nolentes tamen quod ad expensas Conventus suos ad dicta Capitula dirigant gressus.

Item quod quilibet Frater nostrae Religionis habens facultatem celeb ndi, oret Deum devotius quo poterit pro felici statu u iversalis Ecclesiae, et conservatione nostrae sacrae Religionis, et prosperitate Fratrum et Benefactorum, et Litteras Confraternitatis habentium, tam vivorum, quam defunctorum.

Item cte praecipimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae; quatenus omnes Provinciales habeant informare Fratres suae Provinciae de hiis quae in nostris Constitutionibus et Ordinali continentur, arceantque diligenter ad eorum observantiam, praesertim ad aliqua quae in Libellum quemdam nuper collegimus.

Patres Diffinitores retinuerunt sibi posse usque ad octo dies inclusive.

Item ordinaverunt, Capitulum nostrum Generale proximum in Ast Provinciae Lombardiae, hinc ad sex annos.

Frater Joannes Andreas de Pignariis sacerdos Theologiae Magister scripsit.

(37-c) *Iesus in corde Maria in mente.*

Haec est Tabula ordinationum, et Constitutionum et Diffinitionis, quam Nos Frater Joannes Facy humilis Prior Generalis, ac servus totius Ordinis Fratrum Beatissimae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli; et omnes Diffinitores totius Capituli Generalis in Conventu Astensi (1) Provinciae Lombardiae Anno Domini MCCCCXL die XV mensis Maii, in Festo sancto Penthecosten celebrati fecimus de his quae pertinent ad regimen totius Ordinis, modo consueto et approbato in nostro sacro Ordine. In quo quidem Capitulo fuerunt Diffinitores Fratres sequentes, videlicet:

Diffinitor Siciliae M. Ludovicus Sadoc; Angliae M. Johannes

(1) Cf. Monumenta p. 258.

Keonyghales (1); Narbonae M. Michaël G. (2); Romae M. Petrus de Prato (3); Franciae M. Joannes Soret; Alamaniae inferioris M. Hermanus (4); Lombardiae M. Jacobus de Mediolano; Aquitaniae M. Bernardus de Beollo (5); Iberniae Fr. Mathaeus; Provinciae M. Jacobus Vileti; Scotiae Fr. Guilhelmus; Tusciae M. Antonius de Pisis (6); Bononiae Fr. Franciscus de Perusano; Tholosanus Fr. Arnaldus (7); Cathaloniae M. Io. Siguin (8); Alamaniae Superioris Fr. Joannes Malastat (9); Vasconiae M. Guill.s Costalli; Aragoniae M. Laurentius (10); Bohemiae Coradus; Saxoniae Fr. Joannes Sapientis.

De quorum omnium consensu diffinitum et ordinatum fuit, quod pro communibus negotiis Ordinis solvantur ducenti triginta sex ducati. Quae quidem summa sic distribuetur: Imprimis R.ssmo M. Generali pro vestiario suo, et suorum sociorum et aliis expensis eius C ducati; item pro salario famulorum Generalis XII duc.

---

(1) Kenyghale.

(2) Michael G. Probabiliter Michael Gauterii. Vide supra p. 160, nota 4.

(3) Petrus de Prato. Petrus Francisci de Prato.

(4) Hermannus. Scil. de Nussia.

(5) Bernardus de Bollo. I. e. de Bello Loqueto.

(6) Antonius de Pisis. Antonius Matthaei de Pisis. Supra P. 142 nota 2.

(7) Arnaldus. Probabiliter Arnaldus Tarride.

(8) Joannes Siguin. Seguini, Supra P. 165, nota 5.

(9) Joannes Mellerstat e Nova Civitate oriundus ibidem annis 1428 usque 1431 priorem agebat, annis 1429 secundus, et 1436 tertius diffinitor provincialis; 1432 prior et lector Viennae necnon vicarius provincialis super conventus Viennensem, Leoncensem et Voitspergensem; 1434-6 interum Prior et lector in Nova Civitate, anno 1439 in capitulo celebrato in Nova Civitate praesidente Joanne Facio electus fuit in provincialem Alemanniae superioris quod officium videtur retinuisse usque ad mortem quae circa finem anni 1451 vel initium sequentis supervenisse creditur. Verum anno 1441 nominatur provincialis et vicarius per Germaniam quidam Jacobus, sed procul dubio errore scriptoris pro Joanne, cum Mellerstat secundum libros provinciae adhuc per decem annos eodem munere functus sit. Sepultus in suo conventu Novae Civitatis.

(10) Laurentius scil. Garcias.

Item pro M.ro Regenti Parisius X duc. item pro Biblico Parisiensi VI duc. Conventui Parisiensi, pro censibus eiusdem L, pro Procuratore in Consistorio V duc.; pro vestiario Procuratoris in Curia Romana duc. XVI; pro piatantiis eiusdem IX duc.; pro Procuratore saeculari VI duc.; pro Ianitoribus primae custodiae D.ni (37-d) N.stri Papae tres ducati; pro Ianitoribus secundae custodiae IIII ducati; pro M.stro Regenti Romanae Curiae X ducati; pro Festo Conceptionis in Curia X ducati.

Quam quidem summam solvent Provinciae per hunc modum.

Provincia Siciliae duc. XX; Angliae XXX; Narbonae XX; Franciae X; Romae IIII; Alamaniae Inferioris XVI; Lombardiae XV; Aquitaniae X; Ispaniae VI; Iberniae VII; Provinciae X; Scotiae IIII; Tusciae XI; Bononiae XII; Tholosana X; Cathaloniae XV; Alamaniae superioris X; Vasconiae X; Turoniae IX; Boemiae VII; Aragoniae IX;

(38-a) Haec sunt ordinationes factae in Capitulo Generali celebrato in Conventu Astensi anno et die ut supra.

In primis de debitis Ordinis, scilicet R.ssmo M.ro nostro Generali, cui debetur Mille CCC XIIII; item M.ro Provinciali Provinciae XL floreni; M.ro Thomae Avis XXV floreni; M.ro Guillò Thorpe (1) CXX; M.ro Joanni Thorpe (2) XXX; pro M.ro Jacobo Vileti Procuratore in Concilio Generali supra tempus futurum ducat. LXXXVIII.

Hanc superiorem summam reduxit R.mus M.ster Generalis ad octingentos nonaginta ducatos, qui solvantur per totum Ordinem in forma quae sequitur.

---

(1) Gulielmus Thorpe. Cf. Monumenta P. 400 nota. Anno 1423 concilio Papiensi interfuit.

(2) Joannes Thorpe. Norvicensis, 22 Dec. 1397 ordinem acolytatus suscepit dum Wintoniae studiis incumberet; anno 1410 fuit prior Cantabrigiae quo anno etiam ut moris erat magisterium in theologia adeptus est. Anno 1421 cum quibusdam aliis renuntiatur tutor et commonitor dominae Emmae reclusae Norvicensis; 1423 ad concilium Papiense mittitur, 1428 interfuit processui ab episcopo Norvicensi contra quosdam haereticos lollardos instituto. Ob acumen in disputando a nonnullis titulo doctoris ingeniosi condecoratur; praedicator famosus in ipsos praelatos ecclesiasticos acriter invexit. Demum diem clausit Norvici 11 Augusti 1440, in choro ecclesiae sepultus.

Item taxantur rev.um M. Ordinis pro vita sua singulis annis centum ducati, qui per quatuor annos solvantur cum praescriptis modo subscripto:

Et primo Provincia Siciliae LX ducatos, pro vita IX, et singulis annis solvet duc. XXIIII; Angliae LXXX, et pro vita XV et singulis solvet annis duc. XXXV; Narbonae L, et pro vita VI, et solvet singulis annis XVIII cum dimidio; Franciae XL, et pro vita V cum dimidio, et sic solvet singulis annis XV cum dimidio; Romana XVI, et pro vita nihil, et sic singulis annis solvet quatuor ducatos; Alamaniae inferioris LXIIII; et pro vita VIII, et singulis annis solvet duc. XXIIII; Lombardiae XLVIII, et pro vita VII cum dimidio, et solvet quolibet anno XIX duc. cum dimidio; Aquitaniae XL, et pro vita III cum dimidio, et solvet singulis annis duc. XIII cum dimidio; Ispaniae XXIIII et pro vita duos, et sic solvet singulis annis VIII; Iberniae XXIIII, et pro vita quatuor, et sic solvet singulis annis X; Provinciae XXX, et pro vita (1); et sic solvet singulis annis XI cum dimidio; Scotiae XVI, et pro vita duos, et sic solvet anno quolibet duc. VI; Tusciae XL, et pro vita duos (38-b) et sic solvet quolibet anno duc. XI; Bononiae XXXVI, et pro vita VI, et sic solvet anno quolibet XV; Tholosana XXXII, et pro vita duos cum dimidio, et sic solvet singulis annis X duc. cum dimidio; Cathaloniae XLIIII, et pro vita quatuor, et sic solvet singulis annis XV duc.; Alamaniae Superioris LXIIII; et pro vita VII cum dimidio, et sic solvet singulis annis XIII cum dimidio; Vasconiae XXXVI, et pro vita sex, sic solvet singulis annis duc. XIIII; Turoniae LX, et pro vita sex, et sic solvet singulis annis XX duc.; Aragoniae XXX, et pro vita; et sic solvet singulis annis IX cum dimidio; Portugaliae XL, et pro vita duos, et sic solvet singulis annis XII; Saxoniae XVI, et pro vita, et sic solvet annis singulis VI duc.

SEQUUNTUR ORDINATIONES FACTAE IN DICTO CAPITULO.

Et primo, fuit Provincia Bohemiae divisa in duas partes, scilicet in Prov. Saxoniae, quae fuit facta de Conventibus Daciae, Pruciae et Hastringem, Mudeburgam, Quifrondiensem, The-

(1) Supple « 1 cum dimidio ».

nensem, Penisensem, et Amensem. Residui Conventus Bohemiae, videlicet Hungariae et Poloniae pertineant Alamaniae Superiori.

SEQUUNTUR ALIAE PARTIALES ORDINATIONES.

Ordinamus, quod omnes Priores locales recipiant singulis annis duos iuvenes ad Ordinem in suis Conventibus, per se vel per alios, quibus provideant de indumentis. Ubi parentes, aut alii moti charitate non providerent, expensis Conventus induantur, et Priores solvant, ubi aliter commode fieri non posset; et Priores concedentes liberam facultatem habeant, quod ubi Conventus huiusmodi pueros de se induere non possit, quemlibet terminarium anno quolibet cogant ad solvendum unum ducatum. In casu, quod idem terminarius non nutriverit unum iuvenem in Ordine expensis suis; et ubi terminarii non sufficerent, compellat Prior similiter confessionum auditores saecularium modo suprascripto ad solvendum huiusmodi ducatum. Ubi autem suprascripta non sufficerent ad tam opus meritorium exequendum et summe necessarium, possit et valeat unum terminum vel questum applicare vestiario puerorum. Conventus autem habentes redditus, licet non sufficerent pro totali vita conventus saltem tertiam partem, vel quartam ad minus (38-c) assignent ad vestiarium juvenum praedictorum.

Item omnibus Provincialibus in virtute sanctae Obedientiae, et sub poena rebellionis et depositionis a suis Officiis, iniungimus, quod sint solliciti, et debiti executores ordinationis praedictae, et in suis Capitulis Provincialibus ordinent, et ordinari faciant de poenis debitis infligendis Prioribus trasgredientibus ordinationem praedictam; super quibus poenis non poterunt Patres Provinciales dispensare.

Item districte, et in virtute sanctae Obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus quilibet Prior in suo Conventu ordinet Magistrum morum, et Grammaticae, expensis Conventus, aut Provinciae, ubi talis fuerit consuetudo. Ubi autem commode fieri non posset, propter loci debilitatem, quia Clerici et Litterati viri ibidem reperiri non possent, Magistrum Grammaticae habere volumus, quod possit iuvenes habiles ad Grammaticam capaces mittere ad illos Conventus, in quibus sufficienter reperiuntur huiusmodi Magistri. Sic tamen quod huiusmodi missio sit de licentia M. Provincialis illius Provinciae. Sic tamen quod pro

eorum vita Conventus, cuius erunt filii, aliquid contribuat, videlicet unum aut duos flor.

Item ordinamus, et omnibus Provincialibus in virtute sanctae Obedientiae, et sub poena depositionis ab Officiis suis iniungimus, ut solliciti sint, et executores ordinationis praedictae et in suis Capitulis Provinc. ordinent, et ordinari faciant de poenis debitis iniungendis et transgredientibus ordinationem praedictam. Super quibus poenis non poterunt Priores Prov. dispensare, nec Capitulum Prov.

Item in virtute sanctae Obedientiae, et sub poena rebellionis praecipimus, et mandamus, quatenus sic Priores locales nullo modo permittant pueros iuvenes introductos noviter ad Ordinem cameras Fratrum quorumcumque intrare, vicos aut plateas discurrere, aut terminos cum terminariis visitare. Et sic volumus quod observent et observari faciant per Magistros morum, sub stricta poena sibi infligenda.

Et iuvenes compositos, a Scholis usque Chorum deducendo, et reducendo; ita quod omnes sint dictis Magistris subiecti usque ad Ordinem Diaconatus inclusive.

Item ordinamus, quod omnes Fratres nostrae Religionis observent Regulam secundum mitigationem nobis noviter a Sede Apostolica indultam.

Item ordinamus, quod Fratres volentes venire ad R.mum Magistrum Ordinis, veniant, observato tamen tenore Statuti Constitutionum in Rubrica XXXI in principio contento, nonobstante quocumque statuto facto in quocumque privilegio (38-d); et excipiantur in forma qua mittantur a Generali, nisi aliud habuerint in mandatis ab eodem M.ro Generali.

Item ordinamus, de Festis Sanctorum Perpetuae et Felicitatis fiat ut plurimorum Martyrum; velut ordinatum fuit, et extitit per M.um Joannem Walterii (1) Prov. Angliae Provincialem. Et de Festo Sancti Lazari ut unius Episcopi et Martyris.

Item ordinamus pro pace et concordia habenda in Ordine nostro super Terminos Conventuum, a quibus, vel de quibus Fratres consueverunt exigere victum, quod ubi controversiae intervenerint inter duos Conventus super eorum terminis, ut Priores eorumdem, quam citius fieri poterit, comparere habent coram

(1) Waldensis.

Provinciali. Et volumus, quod Prior Provincialis liberam potestatem habeat Priores praedictos convocandi et comparendi coram se, recepturi iustitiam, declarationem ac deliberationem super praedictos terminos, aut terminis praedictis a suo Provinciali, duos bonos Frtares secum assumendo bonae vitae ac famae: et sic de eorum consilio adiutus, institutionem eorum faciet, iudicet et ordinet super praedictis terminis, atque sententiet. Cuius sententiae per aeque habeant praedicti Priores, sub poena rebellionis. Et in casu quod ordinationem M. Provincialis acquiescere nollent iudicio M. R.mi Ordinis parere habeant sub poena carceris.

SEQUITUR ORDINATIO PROVINCIALIUM.

Elegimus Provincialem Terrae Sanctae, seu Cipri, et ordinamus R.um M. Fr. Joannem Andream de Pignariis. Siciliae R. M. Fr. Ludovicum Sadoch; Angliae R. M. Fr. Joannem Brevigiddus (1); Narbonae R. M. Fr. Nicolaum Coc; Romae R. M. Fr. Antonium de Pisis; Franciae R. M. Fr. Joannem Soreth; Alamaniae inferioris R. M. Fr. Petrum de nova Ecclesia. Lombardiae R. M. Hieronimum Stella (2); Aquitaniae R. M. Fr. Raymundum Fressardi; Ispaniae R. M. Joannem Martini; Iberniae R. M. Fr. Reginaldum Brem (3); Provinciae R. M. Fr. Jacobum Vileti; Scotiae R. P. Fr. Andream Honton; Tusciae R. M. Fr. Antonium Mathaei; Bononiae R. M. Fr. Jacobum Pellegati; Tholosae R. M. Fr. Galhiardum de Ruppe; Cathaloloniae R. M. Fr. Franciscum Spineti; Alamaniae superioris V. L. Fr. Joannem Malestat (4); Vasconiae R. M. Fr. Guillelmum Costalli; Aragoniae R. M. Fr. Laurentium Garciae; Turoniae

---

(1) Brevigiddus. Kenynghale.

(2) Hieronimus Stella. Idem ac Hieronymus de Castellario. Lezana IV, 888.

(3) Reginaldus Brem. Hic et sexcentis aliis in locis patet difficultas quam exaratores libri experti sunt in legendo et transcribendo schedas, praesertim quoad nomina minus usitata, ita ut perinde quasi impossibile sit ea quae in libro actuum habeantur ad veram formam reducere. Ex eo quod Reginaldus iste alias Koni ac etiam Quenin vocatur suspicor verum nomen fuisse Kenny quod adhuc in Hibernia celebre habetur.

(4) Mellerstat.

R. M. Fr. Siguinum Cognati; Portugalliae et Saxoniae discretioni R.mi Ordinis remittimus. Socios R.mi M. Generalis ordinamus M.stum Joannem Philippi, et Praesentatum Fr. Antonium Boyssonis (1). (29-a) Procuratorem Generalem in Romana Curia R. M. Joannem Siguini, Priorem Curiae Romanae, Priorem Conventus Parisiensis ordinationi R.mi Ordinis remittimus. M.strum Regentem in Romana Curia R.dum M. Joannem Siguini.

Sequitur ordinatio promotorum ad Bibliam et ad Sententias in Studio Parisiensi.

Primo legat Bibliam pro anno XL Fr. Joannes Focherii. Et Fr. Michael Luci Sententias. Item anno XLI legat Bibliam Fr. Jacobus Jacobi. Et pro eodem anno Fr. Joannes Boet (2) Sententias. Item anno XLII Fr. Martinus Ricardi legat Bibliam. et Sententias Fr. Joannes Focherii. Item pro anno XLIII legat Bibliam Fr. Joannes Brandel, et Sententias Fr. Jacobus Jacobi, Item anno XLIIII legat Bibliam Fr. Guillus Augui, et Sententias pro eodem anno Fr. Martinus Ricardi.

Sequitur Ordinatio promotorum ad Bibliam et Sententias in Studio Tholosano.

Primo legat Bibliam pro anno XL Fr. Guill. Pelonis, et Sententias Fr. Guill. de Negueriis (3). Item legat Bibliam pro anno XLI Fr. Guill. de Puteo (4), et Sententias Fr. Bernardus de Bello Loqueto. Item legat Bibliam pro anno XLII Fr. Ro-

---

(1) Antonius Boysonis. Supra anno 1434. Alias Bussonis seu Buyssonis. Anno 1441 in capitulo provinciae Thusciae Pistorii 15 Junii celebrato fuit primus diffinitor utpote socius Generalis qui personaliter praesidebat.

(2) Joannes Boet. Videtur idem qui deinceps Buhot vocatur. Obiit provincialis Franciae in conventu Monstreolensi anno 1464.

(3) Gulielmus de Negueriis. Apud Balaeum pluries nominatur Jacobus de Nogueriis, « doctor tolosanus clarissimus qui multa quoque composuit volumina », et enumeratur inter homines celebres medii saeculi decimi quinti. Haud dubito quin unus idemque sit cum nostro Gulielmo et quod pronomen sive in libro actuum sive apud Balaeum erroneum sit.

(4) Gulielmus de Puteo. Videtur is idem ac Gulielmus de Fontibus, Italus, de Congregatione Mantuana, vicarius observantiae et provincialis Bononiae, quem variis elogiis effert Beatus Baptista Mantuanus.

bertus Scoti (1), et Sententias Fr. Guill. Pelonis. Item legat Bibliam pro anno XLIII Fr. Joannes de Campobono, et sententias Fr. Guill. de Puteo. Item legat Bibliam pro anno XLIIII Fr. Natalis de Vincicampi, et Sententias Fr. Robertus Scoti. Item legat Bibliam pro anno XLV Fr. Helias Doardi (2), et Sententias Fr. Joannes de Campobono. Item legat Bibliam pro anno XLVI Fr. Joannes de Hostobato, et Sententias Fr. Natalis de Maca.

Sequitur Ordinatio promotorum ad Bibliam, et ad Sententias in Studio Avinionensi.

Et primo legat Bibliam pro anno XL Fr. Bernardus Viardeti, et Sententias secundum voluntatem R. M. Ordinis. Item legat Bibliam pro anno XLI Fr. Antonius de Molliis, et Sententias secundum voluntatem R. M. Ordinis. Item legat Bibliam pro anno XLII Fr. Joannes Jordani, et sententias Fr. Bernardus Viardeti (39-b). Item legat Bibliam pro anno XLIII Fr. Jacobus Angeolis, et sententias Fr. Antonius de Molliis.

Sequitur Ordinatio studentium promotorum in Studio Viennensi. Primo legat Bibliam pro anno XL Fr. Petrus Stocis (3), et Sententias pro eodem anno....

Sequitur ordinatio promotorum in Studio Paduano.

Primo pro anno XLI legat Bibliam Fr. Leonardus Delicata, et pro eodem anno Fr. Franciscus Joannis Sententias.

Sequitur ordinatio promotorum in Studio Papiensi.

---

(1) Robertus Scoti. De conventu Montispessulani ubi anno 1428 imformator artis veteris extitit.

(2) Helias Doardi. Fuit hic Helias Dongardi seu Deogardi, filius conventus tolosani, qui jam ante annum 1450 licentiam in theologia adeptus erat, et obtenta dispensatione pontificia super defectu natalium ad dignitates habilitatus (Breve habetur Reg. Lat. 459, fol. XIII, dat. V Idus Mart. 1450), 25 Febr. 1469 in conventu Agennensi provincialis Vasconiae renuntiatus fuit quam provinciam usque ad obitum — Burdigalae 11 Febr. 1475 — rexit.

(3) Petrus Stocis. Postea Stooz. Fuit hic Petrus de Steyra, vel etiam de Straubinga qui anno 1434 fuit studens simplicis formae Viennae, 1436 studens logicae ibidem, 1438 physicae extra provinciam in universitate Cracoviensi, 1439 informator pro primo anno Viennae, 1440 ibidem pro secundo anno, 1441 lector pro forma theologiae Viennae, 1442 ibidem pro secundo anno, 1443 subprior et praedicator. Deinde videtur ad provinciam Saxoniae transiisse.

Et primo pro anno XL legat Bibliam Fr. Jacobus de Puteo Bonello (1).

Sequitur ordinatio promotorum in Studio Senarum. Primo pro anno XL legat Bibliam Fr. Leonardus de Florentia. Ordinamus enim, quod legentes Sententias in Universitatibus, praeterquam Parisiensi et Tholosana, habeant unum annum inter Sententias et Bibliam, et per duos annos Sententias.

Item ordinamus, quod respondentes in Capitulo Generali sint Bachalarii formati, nisi aliter disponet R. M. Ordinis.

Item ordinamus, quod amodo ille qui faciet collationem in Capitulo Generali sit Magister in Theologia, et de illo Magistro R.mus Ordinis providere habeat.

Item ordinamus Studium Grammaticae et Logicae in Conventu nostro Divionis Provinciae Narbonae.

Item praecipimus in virtute sanctae obedientiae, quod nullus Novitius expulsus ab Ordine in uno Conventu, vel Provincia recipiatur alibi in Ordinem : etiam si recipiatur, vel professetur, declaramus quod nec Provincia, nec Conventus, a quibus fuit expulsus, teneatur ipsum tamquam suum recipere.

Item ordinamus proximum Generale Capitulum in Conventu Perpiniano Provinciae Cathaloniae, hinc ad quatuor annos.

Item ordinamus, quod omnes Fratres qui fuerunt in societate Fratris Thomae (2) in Provincia Bononiae et Conventu Mantuae, sint filii eiusdem Provinciae et Conventus praedicti; ita quod per Priores Provinciales alibi quam ibi non detineantur.

Item ordinamus, et mandamus omnibus Fratribus Provinciae Iberniae, quatenus obediant Provinciali hic per nos ordinato, sub poena excommunicationis latae sententiae, quam volumus vos incurrere, nisi ei obedieritis.

Fr. Joannes Andreas (3) M. scripsit.

---

(1) Jacobus de Puteo Bonello. In quodam instrumento Mediolanensi anni 1479 occurrit sub titulo magistri. Anceps haereo utrum Mediolanensis an Veronensis fuerit.

(2) Frater Thomas forsan Thomas de Connecte circa quem conferas autores diversos diversa opinantes. Lezana ad annum 1432. Juxta Vaghi fuit Thomas de Francia, primus Praesidens Generalis Congregationis Mantuanae 1425-1427.

(3) I. e. de Pignariis.

(39-e) In Christi nomine. Amen.

Ad laudem gloriosissimae Virginis Mariae. Acta Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum 1444, in Conventu Cabilonensi Provinciae Narbonae celebrati. In quo quidem Capitulo sub praesidentia R.mi M.ri Joannis Faci eiusdem Ordinis Prioris Generalis, fuerunt infrascripti electores. In primis:

Pro Provincia Terrae Sanctae.... Diffinitor Angliae M.r Gulielmus Surfleet (1). Diffinitor Narbonae R. M. Nicholaus Coch, Prov. Narb., Franciae R. M. Michael Vlissing (2). Alamaniae inferioris R. M. Gotfridus De Loe (3) Provincialis dictae Prov. Lombardiae Fr. Bartolomaeus Cosola (4). Aquitaniae Fr. Joan-

(1) Gulielmus Surfleet. Cf. Lezana IV, 912. Inter reformatores provinciae Angliae anno 1446 numeratur Walterus Surfleet, forte errore scriptoris pro Gulielmo.

(2) Michael Vlissing. Monumenta, 440.

(3) Gotfridus de Loe, e vico Tessenderloe unde cognomen nactus est, cum nomen proprium fuerit Gotfridus Matthaei; Mechliniae ordinem ingressus est 18 Sept. 1412, ibidem non minus quam Bruxellis et Coloniae studiis vacavit, anno 1422 ordinatus magister studentium Coloniae et sequenti anno insuper subprior. 1424-5 lector Boppardiae, 1427 prior Mechliniae, 1428 lector theologiae Coloniae, 1430 biblicus in universitate Coloniensi et baccalaureus formatus. Anno 1432 secundus definitor provinciae, sequenti anno lector Crucenacensis, 1434 iterum prior Mechliniae et praesentatus in universitate Coloniensi, 1435 primus definitor, prior Mechliniensis et regens studii, 1439 quarta vice prior Mechliniae, 1440 prior et regens Bruxellis et tertius definitor, 1441 usque 1443 cum regentiam Bruxellis teneret studium tantopere illustravit ut multi praeclari viri ibi confluerent. Anno 1443 studium theologiae in universitate Lovaniensi inchoavit, quapropter anno 1454 conventus Carmelitarum ibi fundatus sit cum antea alumni ordinis tantummodo domum terminarii inhabitassent. Vigente schismate provinciae Alemaniae antesignanus fuit partis Joannis Faci et dempto brevi intervallo provincialis ab anno 1444 usque 1456. Sopita turbatione demum regens perpetuus praedicti collegii Lovaniensis, quae omnia infra latius declarabuntur. Obiit 25 Februarii 1470, corpus Mechliniam translatum ante tabernaculum in choro ecclesiae tumulatum fuit. De hoc praeclarissimo viro tractat ad longum P. Norbertus a SS. Juliana (MS Bruxell. 16492, ff. 58 sqq.) corrigens multos errores praecedentium scriptorum Millendonck, Cosmae a S. Stephano et aliorum.

(4) Bartholomaeus Cosola, seu Coxola.

nes Pradeli (1) Lector. Hyspaniae R. M. Joannes Martini Provincialis eiusdem Prov. Prov. Provinciae Fr. Anthonius Iollieti Licentiatus. Bononiae R. M. Jacobus Pellegati Provincialis eiusdem Prov. Tholosae R. M. Galiardus Rupe Provin. eiusdem Prov. Cathaloniae R. M. Michael Masseti. Alamaniae Superioris Fr. Conradus Mospach (2). Thuroniae M. Jacobus Johannella. Aragoniae Fr. Bernardus Marci Lector. Saxoniae Fr. Joannes Wolny Lector, Provincialis eiusdem Prov.

De quorum omnium consensu deffinitum fuit, et ordinatum, quod pro communibus negotiis Ordinis solvantur ducenti XXXVI ducati. Quae quidem summa sic distribuetur :

In primis R.mo M. Generali pro vestiario suo et sociorum ducati C. Item pro salario famulorum eiusdem duc. XII.

Item pro Mag. Regenti Parisii duc. X. Item pro Biblico Parisiensi Duc. VI. Item pro censibus Conventui Parisiensi duc. L. Item pro Procuratore in Concistorio duc. V. Item pro vestiario Procuratoris in Curia Romana duc. XVI. Pro pietanciis eiusdem IX; pro Procuratore saeculari VI; pro Ianitoribus D.ni Papae primae Custodie IIII; pro M.ro Regenti Romanae Curiae X; pro Festo Conceptionis in Curia X; pro vita R.mi M.ri Generalis....

(39-d) Quam quidem summam solvent Provinciae per hunc modum: Primo Provincia Siciliae duc. XX; Angliae XXX; Narbonae XV; Franciae X; Romae IIII; Alamaniae inferioris XVI; Lombardiae XV; Aquitaniae X; Hyspaniae VI; Hyberniae VII; Provinciae X; Scotiae IIII; Tusciae XI; Bononiae XII; Tolosae X; Cathaloniae XV; Alamaniae Superioris XI; Vasconiae X; Turoniae IX; Saxoniae VI; Aragoniae IX; Portugaliae IIII.

Summa....

Haec sunt ordinationes factae in Capitulo generali Cabilo-

---

(1) Joannes Pradeli. Anno 1428 decimum locum inter triginta et unum conventuales Montispessulani occupat.

(2) Conradus Mospach. Anno 1428 fuit informator physicae Viennae, sequenti anno Nuremberga 1430 informator physicae Viennae, 1431 informator et praedicator Nurembergae, eodem anno in altero capitulo mominatur studens pro primo anno lectoratus, 1432 idem pro secundo, 1433-4, 1436, 1439, 1441, 1443, 1443 et 1447 prior et lector Viennae, hoc ultimo anno etiam praedicator. Videtur paulo post obiisse cum amplius non memoretur.

nen. Et primo ponuntur inprimis debita Ordinis expresse extraordinaria a Capitulo Astensi proximè praeterito usque ad praesens Capitulum.

Et primo pro expensis factis in Romana Curia propter translationem eiusdem bina vice, et pro certis negotiis Ordinis debentur Procuratori Ducati CXIIII. Item pro expensis factis in Basilea per unum Magistrum ibidem deputatum pro uno anno cum dimidio, et debentur R.do M.ro Jacobo Villeti Provinciali Provinciae duc. C; pro subsidio cuiusdam placiti Conventus Parisiensis contra Universitatem duc. XX; pro expensis factis per Provincialem Bononiae eundo Florentiam pro causa Ordinis duc. XX; item pro expensis R.mi M.ri G.nalis in Florentia, quando vocatus fuit per D.num N.rum duc. LXXXX; item pro vita R.mi M.ri Generalis quolibet annorum sequentium duc. C. Quae quidem expensae ascendunt ad summam quadringentorum quadraginta quatuor ducatorum, videlicet duc. CCCC. XLIIII.

(48-a) (1) Quam quidem summam R.mus Mag. Generalis una cum Patribus diffinitoribus inter Provincias Ordinis modo infrascripto diviserunt.

Et primo Provincia Siciliae anno quolibet usque ad sex annos solvet duc. XV; Angliae pro eodem termino XXI, et primo anno XXII; Narbonae pro eodem termino IX; Franciae pro etc. VIII; Romae I; Alamaniae inferioris X cum dimidio; Lombardiae X; Aquitaniae V, et ultimo anno IIII tantum; Hyspaniae IIII cum dimidio, et primo anno V; Hyberniae dimidium et primo anno I cum dimidio; Provinciae VI cum dimidio, et primo anno VII cum dimidio; Scotiae dimidium, et primo anno I cum dimidio; Tusciae VII primo anno, et quolibet aliorum V; Bononiae V; Tolosae VI primo anno, et quolibet aliorum IIII; Cathaloniae X primo anno, et quolibet aliorum VIII; Alamaniae Superioris IX cum dimidio; Vasconiae IX cum dimidio pro primo anno, pro quolibet aliorum VIII cum dimidio; Turoniae XII primo anno, et quolibet aliorum X; Saxoniae VII primo anno, et quolibet aliorum V; Aragoniae V; Portugaliae VI primo anno, et quolibet aliorum IIII.

Quantum autem ad ordinationes et Constitutiones R.mus M.r Generalis una cum Patribus Diffinitoribus ordinaverunt, statuerunt et diliberaverunt infrascripta.

(1) Ab hoc loco numeratur per paginas nisi aliter notetur.

Et primo quidem revocaverunt omnia et singula statuta per quaecumque Generalia Capitula et Provincialia instituta, quae videlicet non sunt in corpore et volumine antiquarum Constitutionum a Sede Apostolica approbatarum, quas communiter Provinciae habent, his duntaxat exceptis, quae Divinum servitium in communi Choro, et Novitiorum sive juniorum promotionem, ac etiam habitus uniformitatem concernunt, et diligenti praevia deliberatione et cum consilio Iurisperitorum declararunt, quod statutum ordinatum in Capitulo Gen. Ravespurgensi, quod R.mus Mag. Generalis non posset deinceps mittere Vicarium ad aliquam Provinciam, nisi sub certis conditionibus ibidem expressis, et consilio de Prioribus Provincialibus, nunquam vigorem habuit, nec firmitatem, eo maxime, quod R.mus M. Generalis contra illud statutum reclamavit, prout eisdem fide facta clarissime patuit; ac etiam quia de facto est in praeiudicium obedientiae, et enervationem nostrarum Constitutionum ut praemittitur a Sede Apostolica approbatarum; imo a tempore ordinationis suae de facto invalidum fuit, nullum, et inane; et inquantum expediat dictum statutum quantum ad omnia et singula in eo contenta irritaverunt, cassaverunt, et tamquam omnino dampnosum, et iniquum penitus dampnaverunt. Exhortantes in Domino Priores Provinciales, ac in virtute sanctae obedientiae eis iniungentes, quatenus toto conatu ad praefatarum Constitutionum observantiam suos subditos incitent, promoveant, et inducant.

(40-b) Item revocaverunt a Gradu Magisterii Fratrem Heliam de Conventu Mantuae, propter periurium quod incidit, et apostasiam, recedendo a Conventu Paduae, habitu Ordinis derelicto.

Item applicaverunt Conventus Poloniae et Boemiae Provinciae Saxoniae, ut deinceps sint sub eius Provincialis obedientia.

Item commiserunt M.ro Provinciali Bononiae concordantiam et correctionem nostrarum Constitutionum, quam facere habeat usque ad sequens Capitulum Generale, et toti Capitulo praesentare.

Item R.mus Mag. Generalis, una cum Patribus Diffinitoribus considerans quod totus mundus in maligno positus est, et quaelibet Provincia diversa subit incommoda, propter quae interdum non possunt celebrari Provincialia Capitula in locis, in quibus antea fuerunt instituta, commisit Prioribus Provincialibus,

ut imminente necessitate possint quantum ad locum et tempus mutare, absque praeiudicio ordinationis eiusdem Prioris Generalis praecedentis, vel sequentis, et in constitutione posita Rubrica 17 de Officio Prioris G.nalis in dicta materia gratiose dispensavit.

Item ordinaverunt, quod deinceps Conventus Coloniensis Provinciae Alamaniae inferioris sit subiectus R.mo M.ro Ordinis, quantum ad omnia et singula in quibus eidem subjiciuntur Conventus Parisiensis, et Romanae Curiae, quemadmodum continetur in Rubrica 17 de Officio Generalis.

Item R.mus M. Ordinis, una cum Patribus Diffinitoribus visis Actis, et actitatis per M. Provincialem Provinciae Bononiae Fratrem Jacobum de Pellegatis contra et adversus Fr. Jacobum de Amiis Provinciae Lombardiae, de quibus per processum et sententiam definitivam per Notarios publicos apertius constat, ratificant, et approbant dictam sententiam ; qua condempnatur ad carceres perpetuos ; et in quantum opus sit, denuo ad carceres perpetuos dictum Fratrem Jacobum condempnant, sub jeiunio panis et aquae feriis secundis, quartis et sextis; aliis diebus in pane et aqua quantum opus fuerit. Ita tamen quod Prov. Lombardiae, cuius filius est, reficiat, et restituat Prov. Bononiae omnes expensas jam causa suae detentionis et translationis factas, ac ad expensas futuras, tam pro eius conservatione, seu detentione, quam pro eius vita, ex toto concurrat, absque onere quocumque Prov. Bononiae et Conventus Venetiarum. Quae quidem expensae per tempora praeterita ascendunt ad summam ducatorum quindecim. Iniungentes R.do M. Provinciali Lombardiae in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis quatenus praefatam summam ducat. XV M.ro Provinciali Prov. Bononiae usque ad Festum S.ti Michaelis proxime futurum integraliter et cum effectu persolvisse debeat.

Item ad instantiam Prov. Bononiae, cuius Provincialis servivit Capitulo, et Conventui Astensi per mensem in expensis dictae Prov., condempnaverunt Conventum Astensem in Ducat. X Provinciali et Prov. praefatae usque ad Festum Nativitatis Domini immediate futurum persolvendos. Mandantes Priori, et Clavarijs dicti Conventus Astensis in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis, quatenus in dictis obediant sine contradictione.

Item cum in Conventu Coloniensi Alamaniae inferioris Fr.

Franciscus Faci esset studens, et tempore studii sui nequiter diffamatus fuerit de quodam furto in eodem commiso ; atque propter eam diffamationem crudeliter incarceratus fuerit sub pane et aqua spatio VIII mensium, vel circa, multipliciterque in eisdem carceribus vexatus fuerit, delata causa ad Diffinitorium, R.di Patres Diffinitores matura et diligenti super hoc inquisitione praehabita, et consideratis processibus in eadem materia habitis, et purgatione eiusdem juridice in Capitulo Tenensi dictae Provinciae pertractata, prout per publica scripta sub sigillo eiusdem Prov. clarissime patet : Approbaverunt dicti R.di Patres Diffinitores purgationem praefatam tamquam veridicam, et juridicam ; imponentes perpetuo silentium omnibus et singulis inferioribus in dicta materia. Et nihilominus illi qui eum diffamaverunt, et suae passionis causa fuerunt, videlicet M.r Petrus de nova Ecclesia, M.r Hermanus de Nussia, Fr. Joannes de Nussia senior tunc Prior Coloniensis et Fr. Hylgerus Burgis poenitentiarius de eorum malitia et iniquitate impunitatem reportent ; ordinaverunt, statuerunt, deliberaverunt, et in virtute sanctae obedientiae praenominatis quatuor iniunxerunt, quatenus in conspectu totius Capituli Generalis veniam humiliter petant a dicto Francisco super offensis eidem irrogatis. Deinde juxta Constitutionem de diffamantibus praenominatos quatuor, scilicet Fratres Petrum de nova Ecclesia, Hermannum de Nussia, Joannem de Nussia et Hylgerum Burgis eidem poenae adjudicaverunt quam dictus Fr. Franciscus, si furti reus inventus fuisset, videlicet poenae talionis, et latae Rubrica 37. Et insuper quemlibet praenominatorum condempnaverunt in 50 florenis Renensibus dandis eidem Fr. Francisco in recompensationem dampnorum quae proinde sustinuit, ac etiam infamiae subsequutae (1).

---

(1) Franciscus Faci. Fuit nepos Generalis Joannis Facy. Agitur hic de schismate quod per plures annos provinciam Alemaniae Inferioris vexavit atque quasi universum ordinem perturbavit. De ipso agunt Lezana, IV, 862 et 904, Norbertus a S. Juliana l. c. ff. 51 sqq. et Koch, P. 120-3 ; attamen cum unicuique plurima documenta summi momenti incognita fuerint historia tota hic breviter declarabitur non solum pro recta intelligentia actuum capitulorum sed etiam vindicationis gratia clarissimorum virorum qui per multos annos jacturam boni nominis perpessi sunt. Petrus de Nova Ecclesia, alias Petrus Nyenhuys (de quo etiam supra P. 161, nota 4), Gelriensis na-

(41-a) Item R.di Patres Diffinitores cognita causa versata inter R.mum M.rum Ordinis et quosdam de Provincia Alamaniae inferioris et maxime Colonienses, praetextu cuiusdam rebellionis, pro qua quidem causa, prout per diversa scripta patuit,

---

tione et conventualitate, anno 1411 lector et prior in patrio conventu constitutus est, 1418 Coloniam se contulit ubi 1422 doctorali laurea insignitus fuit, ac in patriam redux sequenti anno regens studiorum nominatus fuit, postea vero prior et regens Coloniae. Anno 1430 in provincialem electus, 1434 decanus facultatis theologicae Coloniae, eodem anno ex parte universitatis ad concilium Basileense missus. De licentia Eugenii IV tria monasteria fundavit, scil. Appingense in Frisia, Morsense et Spangenbergense. Obiit 22 Septembris, sed dubitatur de anno; secundum Norbertum videtur 1462, secundum Lezanam 1464, secundum acta provinciae 1467 cum eius successor (Martinus de Montioye) anno 1468 electus fuerit.

Quantum ad alios actores de Hermanno de Nussia et Godefrido de Loe jam supra egimus. Joannes de Nussia senior a 1422 usque 1429 fuit prior Weinheimensis, 1430 usque 1436 Aquisgranensis, et 1440 usque 1443 Coloniensis. Hilgerus de Brugis fuit studens Coloniae 1422, deinde rector ibidem, 1430 prior Moguntiae, 1434 Argentinae, 1437 Coloniae et definitor provinciae, 1440 confessor, consiliarius et poenitentiarius archiepiscopi Coloniensis, 1446 episcopus Buduanensis in Dalmatia et suffraganeus Coloniae necnon vicarius generalis, tandem suffraganeus Leodiensis. Obiit Leodii 1 Nov. 1452. De ipso et de quaestione suae consecrationis vide *Revue Bénédictine*, 1912, 443.

Dicendum ergo dum Franciscus Faci nepos Generalis in conventu Coloniensi studiis vacaret furtum aliquod commissum esse suspicionemque in praedictum Franciscum cecidisse qui conatus est canonice sese purgare. Circa validitatem purgationis grave dissidium in provincia ortum est, provincialis nempe, prior, regens cum nonnullis aliis patribus eam insufficientem judicaverunt atque Franciscum furti reum declaraverunt, aliis vero pro validitate purgationis ac proinde pro innocentia accusati opinantibus. Haec cum ita essent advenit Generalis cum socio suo, Jacobo de Pelegatis, atque in conventu Thenensi dominica Laetare, 11 Martii 1442, capitulum provinciale celebravit in quo convenerunt priores Bruxellensis, Moguntinensis, Arlunensis, Mechliniensis, Casselensis, Wormatiensis, Argentinensis, Waldacensis, Schonhoviensis, Aquisgranensis, Durensis, Thenensis, Ilicensis, Angiensis et Husensis, qui deposito magistro Petro de Nová Ecclesia elegerunt in provincialem Joannem Struver lectorem, diffinitoribus existentibus Mathia de Wettflaria, Jacobo de Pelegatis, Go-

P. M. Generalis exposuit mille quingentos florenos Renenses, condempnaverunt dictam Provinciam Alamaniae inferioris in praefata summa eidem D.no Generali persolvenda. Post quam quidem condempnationem R.mus M. Ordinis, pietate motus et

---

defrido de Loe et Leone Duysken. Joannes Struver fuerat prior Aquisgranensis 1438, Leo Duysken de Duren prior Thenensis et Schonhoviensis. Ad istud capitulum Petrus de Nova Ecclesia, Joannes et Hermannus de Nussia et Hilgerus de Brugis videntur vel omnino non convenisse vel (quod minus probabile est) actis et diffinitis restitisse; utut sit citati a Generali non comparuerunt unde is inquisitionem contra eos instituit, ipsi vero aliud capitulum in festo SS. Apostolorum Coloniae celebrandum convocarunt. Interim Joannes Facy rem ad Sedem apostolicam tunc temporis Florentiae degentem detulit quae poenitentiarium majorem, Joannnem de Tagliacotio, Cardinalem SS. Nerei et Achillei judicem supremum instituit. Sed antequam is sententiam ferret celebratum fuit praedictum capitulum Coloniense in quo convenerunt priores Coloniensis, Boppardiensis, Crucenacensis, Trevirensis, Weinheimensis, Spirensis, Wormatiensis, Geldriensis, Mariauensis, Hirtzhornensis, et procurator Morsensis, qui Petrum de Nova Ecclesia in officio provincialatus confirmarunt, existentibus diffinitoribus Conrado de Ortenberg, priore Weinheimensi, Hermanno de Nussia, Petro Straelen, priore Gelriensi, et Joanne Gladiatore (de quo cf. Koch, P. 143, sicut et de aliis locis propriis), Capitulo jam absoluto poetentiarius major tulit sententiam quae habetur Reg. Lat. 390, fol. CCLXVIIII sub die 10 Julii 1442 (VI Id. Julii), qua praeter memoratos etiam proceditur in Petrum Merbod priorem Boppardiensem, Rainerum Kopgin, Henricum Weyskorn lectorem, Gobelinum Birgel olim priorem Moguntinum, Henricum de Novoforo, Jacobum de Gelria ac nonnullos alios quorum nomina non exprimuntur. Qui perjuri, conspiratores, inobedientes, rebelles declarantur; insuper Hermannus de Nussia iudicatur fuisse causa homicidii fratris Henrici de Karst. Quapropter hi omnes loco, voce, statu et bonis quibus de licentia superiorum fruebantur, atque administrationibus privantur, excommunicationis sententiam incurrisse declarantur, eorum antesignani perpetuis carceribus mancipandi judicantur, aliis ad arbitrium Generalis incarcerandis. Fuit hucusque ista sententia non nisi confirmatio iam antea a Generali latae, sed a poenitentiario semota appellatione et invocato si opus sit auxilio brachii saecularis, prohibito etiam sub excommunicationis sententia interventu personarum tum ecclesiasticarum cuiuscumque dignitatis tum principum laicalium, adhuc formidabiliores poenae denuntiantur

compassione eidem Provinciae liberalitate sua relaxavit quingentos florenos, et fuit contentus de mille recipiendis pro se, et viginti duobus ducatis M.ro Procuratori debitis; de quorum solutione commiserunt R.do Provinciali dictae Prov., ut de consilio Patrum, per Conventus eiusdem Provinciae distribuere habeat. Mandan-

---

nisi praedicti infra terminos a jure statutos vel a Generali statuendos resipiscant.

Verum, quamvis Generalis pro ista sententia non minus quam triginta aureos solverit sibi inutilis fuit quia non agebatur de crimine unius vel alterius sed de schismate mediam provinciam, eamque populosam inficiente. Quod cum paulatim cresceret Petrus de Nova Ecclesia novum capitulum convocavit, 23 Novembris 1442 Coloniae, ubi diffinitum fuit providendum provinciae de opportuno remedio tantae perturbationis, ad quem finem verosimiliter consentiente factione Godefridi de Loe, capitulum plenarium convocandum fore Coloniam dominica infra octavam Epiphaniae anni insequentis cui ex parte Generalis provinciales Angliae (Joannes Kenynghale) et Franciae (Beatus Joannes Soret) praesiderent. Isti ut paci concordiae consulerent curarunt ut diffinitores aequaliter ex utraque parte eligerentur, nempe Joannes et Hermannus de Nussia ex una, Joannes Struver vero et Godofridus de Loe ex altera, in provincialem electo Petro de Nova Ecclesia cum Joanne Struver tamquam socio. Et sic opera praesertim Beati Joannis Soret schisma sopitum fuisset nisi Generalis totam quaestionem iterum ad trutinam revocasset. Is enim instituit Godefridum de Loe regentem conventus Mechliniensis commissarium cum potestate convocandi capitulum a quo de novo tractaretur et examinaretur causa criminalis Francisci Faci. Convocatur itaque capitulum per praefatum commissarium in Conventu Aquisgranensi celebrandum in die S. Georgii 1444 in quo comparuerunt ex viginti octo provinciae conventibus priores dumtaxat septemdecim qui processerunt ad electionem novorum diffinitorum et novi provincialis, electusque est in provincialem ipsemet commissarius et praeses Godefridus de Loe qui cum diffinitoribus sic noviter electis resumit cognitionem causae et definitive pronuntiat Franciscum Faci falso et nequiter in Conventu Coloniensi fuisse diffamatum, purgationem ejusdem fuisse legitimam et veridicam, ac proinde imponendum silentium perpetuum omnibus et singulis in ista materia; Magistrum vero Petrum et conventus Coloniensis praecipuos patres condemnant ad poenam talionis sustinendam, ad restitutionem honoris faciendam, et ad gravissimas mulctas pecuniarias sustinendas, et expensarum factarum refusionem. His itaque gestis celebratur capitulum generale

tes Patribus et Conventibus singulis in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis, quatenus in taxa per dictum Provincialem facienda eidem obediant, quemadmodum nobis obedire tenentur.

Item revocaverunt et dampnaverunt Capitulum Provinciale Coloniense proxime celebratum per M. Petrum de Nova ecclesia ; et omnia acta et diffinita in eo.

Cabilonense in quo, uti in textu habetur, diffinitorium matura et diligenti inquisitione praehabita approbavit acta capituli Aquisgranensis imponentes Petro et sequacibus suis quatenus in conspectu totius capituli generalis a fratre Francisco Faci veniam humiliter peterent, ipsis quoque poenam talionis adjudicarunt necnon unumquemque condemmaverunt in 50 florenis renensibus eidem Francisco dandis in recompensationem damnorum quae sustinuerat ac etiam infamiae subsequentis. Insuper removerunt conventum Coloniensem a potestate provinciae subjicientes eum immediate Generali ad instar conventuum Parisiensis et Romanae curiae. Non liquet ex actibus capituli utrum praenominati patres poenas sic statutas dederint sed ex actibus capituli sequentis patet turbationem Ordinis, praesertim provinciae Alemanniae Inferioris nequaquam sopitam fuisse, quin immo in ingens crevisse. Sic per plus quam septem annos provincia magnopere afflicta, patres vero Petrus et ceteri dishonorati remanserunt usquedum sub die 16 Martii Joannes Faci ad episcopatum Regiensem assumeretur. Successor ejus, Beatus Joannes Soreth nihil antiquius habuit quam quod Alemanniae Inferiori et praecipue conventui Coloniensi tranquillitatem restitueret atque justitiam erga Petrum et socios suos exerceret. Quem in finem mox absoluto capitulo Avenionensi personaliter adivit Coloniam ubi mense Majo 1452 celebravit capitulum provinciale in quo Petrus de Nova Ecclesia electus fuit primus diffinitor, prior regensque Coloniensis quem conventum a potestate generalis remotum provinciae restituit et in pristinum statum redintegravit. Deinde anno 1456 in capitulo Parisiensi comparuerunt et Godefridus de Loe, adhuc provincialis, et Petrus de Nova Ecclesia, socius et diffinitor provinciae, ibidemque Godefridus resignavit provincialatum et nominatus est perpetuus regens Lovaniensis, Petrus vero reelectus est provincialis. Et sic post quatuordecim annos Beatus Joannes Soret secunda vice schisma et dissensiones sopivit. Eodem anno 1456 in die S. Severini Pater Willelmus Soret, nepos Generalis, Coloniae primam cantavit missam et propter reverentiam magistri generalis fecit conventus singulares sumptus pro pitantia, cytharistis, ministris, organista etc.

SEQUITUR ORDINATIO PROVINCIALIUM.

Provincialis Terrae Sanctae M. Joannes Andreas de Pignariis; Prov. Siciliae, M. Paulus de Visconte (1); Angliae M. Nicolaus Kempton (2); Narbonae M. Nicolaus Coch; Franciae M. Joannes Soreth; Romae M. Joannes; Alamaniae inferioris M. Gotfridus De Loe; Lombardiae M. Ieronimus Stella (3); Aquitaniae M. Raymundus Fresardi; Hispaniae M. Joannes Martini; Hyberniae M. Reginaldus Brem (4); Provinciae M. Jacobus Villeti; Scotiae M. Andreas Honton; Tusciae M. Antonius de Pisis (5); Bononiae M. Jacobus Pellegatis; Tolosae M. Galliardus de Rupe; Cathaloniae M. Joannes Seguini; Alamaniae Superioris Fr. Joannes de Mellerstat lector; Vasconiae M. Gulielmus Costalli; Turoniae M. Siguinus Cognati; Saxoniae Fr. Joannes Wolyn Lector; Aragoniae Fr. Joannes Petri Lector; Portugaliae committitur Patribus Provinciae ut unum eligant.

Procuratorem in Romana Curia ordinaverunt....

---

(1) Paulus de Visconte. Praeclarus hic Carmelita Panormitanus cuius plenum nomen fuit Paulus de Vicecomite Honofrii annis 1442 et sequenti capitulo provinciali Tusciae praesidebat utpote vicarius generalis. Anno 1444 fuit provincialis Siciliae, 1451 provincialis Romae et procurator Ordinis in Curia romana, necnon confessarius Nicolai V et postea Pii II. Celebravit capitulum provinciale in conventu S. Juliani 22 Aprilis 1453; cum Beato Joanne Soret cuius socius fuit anno 1457 conventum Neapolitanum adivit quem multis eisque perpulchris vestimentis sacris locupletavit. Adhuc procurator generalis capitulum Tusciae anni 1460 celebravit, et anno sequenti litem inter quosdam magistros eiusdem provinciae resolvit. Anno 1462 secunda vice provincialis Siciliae electus fuit, deinde 16 Nov. 1467 ad episcopatum Mazariensem evehitur et tandem 6 Sept. 1469 archiepiscopatui Panormitano praeficitur. Secundum Lezanam obiit anno 1473, attamen successor nonnisi 1477 nominatus fuit, unde suspicio oritur de exactitudine Lezanae.

(2) Nicolaus Kempton, de conventu Ipswich, Cantabrigiae lauream doctoralem accepit, ab anno 1444 usque 1456 provincialem. Angliae egit, quo munere maxima cum laude functus est, tandem onus demisit atque Londini diem obiit, 4 Sept. 1468 in claustro sepultus.

(3) Jeronimus Stella (Castellario).

(4) Reginaldus Brem (Kenny ?).

(5) Antonius de Pisis, i. e. Antonius Matthaei.

Priorem in Romana Curia; commissum est M.ro Procuratori. Priorem in Conventu Parisiensi Mag. Joannem de Vernone. Mag. Regentem in Romana Curia R.dum Mag. Procuratorem.

(41-b) Pro Conventus Romanae Curiae Reformatione.

Ordinaverunt Regentem in eodem M.rum Guillelmum Pascalis Provinciae Aragoniae.

Item ordinaverunt Bacalarium in eodem ad Bibliam pro anno praesenti F.em Paulum Anthonium (1) et consequenter sententias. Item ordinaverunt studentes in dicto Conventu F.res Robertum Schambyrley (2) Provinciae Angliae, Ubertum Humerth Prov. Franciae; Gulielmum Ruillert Prov. Turoniae; Petrum Xanardi Prov. Cathaloniae; Rudulphum de Ast Prov. Lombardiae; Berengarium Renaldi Prov. Aquitaniae; Dominicum Sabalhans Prov. Tolosae; Joannem Carpentarii (3) Alamaniae Superioris; Gulielmum Raxach Cathaloniae; Petrum de Palencia Hyspaniae;

---

(1) Paulus Antonius. Paulus Antonii de Corsellinis, a. 1433 usque 1437 studens fuit artium cum Florentiae tum Prati, 1441 Avinione, 1446 prior Prati sub titulo baccalaurei, 1450-52 prior Pisis, 1453 prior Florentiae, 1454 iterum Pisis, 1455 et 1460 primus socius ad capitulum generale, 1457 adhuc prior Pisis, 1461 et 1463 prior Florentiae, 1465-73 prior Pistoriis, 1474 iterum Pisis, pluries diffinitor provincialis et vicarius provinciae absente provinciali. Unde Necrologium recte de eo ait: « Paulus de Corsellinis, s. theol. professor, fuit prior in pluribus conventibus, mortuus et sepultus est Pistoriis 1 Julii 1476. Vir bonae vitae et laudabilis conversationis, et multa bona fecit in conventu Pistorii ».

(2) Robertus Schambyrley. Chamberlain.

(3) Joannes Carpentarii. Tres fuerunt religiosi eiusdem nominis et provinciae quasi contemporanei quos hic distinguere oportet. Primus, de quo agitur, fuit Nurnbergensis patria, qui anno 1439 et 1440 Viennae logicae pro simplici forma operam navavit; deinde per tres annos, partim Viennae physicalibus incubuit; postea, 1445, Tolosam missus ad triennium theologiae vacavit, secundo anno munere informatoris fungens, 1446 fuit socius provincialis, deinde per duodecim annos rector studii Viennensis, 1454 et 1456 etiam prior ibidem, 1461 promotus ad baccalaureatum, 1463 et 1464 prior Budensis, quo ultimo anno insuper fuit rector studii Viennensis, 1467 diffinitor provincialis, 1469, 1471 et 1472 iterum prior Budensis et vicarius provincialis Hungariae, 1474 eligitur in provincialem et rexit provinciam per sedecim annos (non ut dicit Necrologium per duodecim). tandem

Eustachium Sighen; Judocum de Bruxella (1) Alamaniae inferioris; qui ad dictum locum accedent in expensis suarum Provinciarum pro primo anno, deinde anno sequenti refundetur cuique Provinciae de recipiendis sive census, quorum expensis omnes praenominati debent vivere, ex ordinatione R.mi M. et Patrum Diffinitorum.

Sequitur ordinatio promotorum ad Bibliam et Sententias. Primo Parisiis ad legendam Bibliam ordinarie pro anno XLIIII. F.rem Glaudum Acturi; item legat Bibliam pro anno XLV Fr. Joannem Vlinger (2); pro anno XLVI Fr. Cornelium Visa (3) de Brugis; pro anno XLVII Fr. Pontium Raynardi (4); pro anno XLVIII Fr. Michaelem Piscator; pro anno XLIX Fr. Joannem Hugen (5).

Item ad Lecturam Sententiarum Parisiis pro primo loco Fr. Gulielmum Genart (6); pro secundo loco Fr. Joannem Brudal. Et sic consequenter veniant Biblici superiores.

SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO TOLOSANO

In primis pro anno XLIIII legat Bibliam Fr. Elias de Ogardi (7);

---

anno 1490 depositus fuit propter invaletudinem et paulo post obiit, sepultus Viennae. Alter Joannes Carpentarius annis 1456, 1458 et 1460 fuit prior Schweinfurtensis; iste nullum gradum academicum adeptus erat. Tertius eiusdem nominis anno 1473 philosophiae Viennae operam navavit, 1475 theologiae ibidem incubuit, 1479 fuit informator iuvenum Bambergae et cursor, 1482 studens philosophiae (theologiae?), 1492 priorem Esslingensem agebat, 1497 fuit lector Bambergae sicut etiam 1500, et tandem 1502 prior Bambergae erat. Amplius non memoratur.

(1) Judocus de Bruxella. 1440 Treviris studens logicae, 1441 deputatus est ibidem per quatuor annos pro forma philosophiae.

(2) Joannes Vlinger. Joannes de Vilingen fuit anno 1436 studens logicae Viennae, 1442 lector pro primo anno ibidem, 1443 Parisios destinatus ad biennium.

(3) Cornelius Visa de Brugis, Monumenta 441, quondam Vicarius generalis et prior provincialis Flandriae.

(4) Pontius Rainardi. Monumenta 260 et passim.

(5) Joannes Hugen. Joannes Huen. Monumenta 432.

(6) Gulielmus Genart. Gulielmus Ginardi, tunc baccalaureus anno 1457 interfuit capitulo provinciae Tusciae tamquam socius Generalis.

(7) Elias de Ogardi, i. Deogardi, supra Doardi.

pro anno XLV legat Bibliam Fr. Yvo de Busito; pro anno XLVI Fr. Johannes Haydonis (1); pro anno XLVII Fr. Joannes Piscatoris (2); pro anno XLVIII Fr. Anthonius Cardila; pro anno XLIX Fr. Petrus Sanlieri; pro anno L Fr. Gulielmus Zaxac (3), pro anno LII Fr. Stephanus de Grano; pro anno LIII Fr. Anthonius Robin. Item ad lecturam Sententiarum Tolosae pro primo loco Fr. Joannes di Campo bono; pro secundo loco Fr. Geraldus De Lerie, Et sic consequenter veniant Biblici superiores.

SEQUITUR PRO STUDIO AVINIONENSI

In primis pro primo loco legat Bibliam Fr. Natalis Dracha; pro secundo Fr. Joannes de Cemiterio; pro tertio Fr. Anthonius Gitardi; pro quarto Fr. Joannes Mocadic.

Item pro primo loco ad Sententias Fr. Joannes Sapientis; item pro anno XLVIII ad Bibliam Fr. Emericus Fradeti: pro anno XLIX ad Bibliam Fr. Petrus Condizalbi (4).

(42-a) SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO BON.

In primis pro anno XLVI legat Bibliam Gulielmus de Al-

---

(1) Joannes Haydonis. Idemne ac Joannes Hayton conventus Nottinghamensis qui 27 Sept. 1425 ab archiepiscopo Cantuariensi diaconus ordinatus fuit?

(2) Joannes Piscatoris. Plures sunt eiusdem nominis et provinciae religiosi. Primus fuit Prior Schweinfurtensis annis 1428, 1429 et 1431, Bambergensis 1432, et Augustensis 1436. Secundus, de quo hic agitur, anno 1438 Viennae logicae et grammaticae pro simplici forma studuit, sequenti anno ibidem physicae, et annis 1442 et 1443 fuit informator. Tertius 1463 logicae et grammaticae pro secundo anno studuit Viennae, sequenti anno phiiosophiae (physicae?), 1469 grammaticae et logicae Erfurti, 1471 erat informator in studio particulari Nurnbergae, 1473 informator Viennae pro primo anno, 1475 informator Nurnbergae, 1482 prior Norlingensis, 1484 Nurnbergensis sicut etiam 1488 quo insuper lectoratum ibidem tenuit, 1492 prior et lector Augustensis, 1495 lector Straubingensis sicut etiam 1497, anno 1500 lector Viennensis, 1502 Dinkelspulensis et 1505 Nurnbergensis. Quartus anno 1497 Viennae grammaticae et logicae studuit.

(3) Gulielmus Zaxac, cuius verum nomen erat De Ax.

(4) Petrus Condizalbi, i. e. Gonsalvo.

cimo et XLVI vacabit. Item pro XLVI legat Bibliam Fr. Petrus de Sacca, et XLVII vacabit; pro XLVII ad Sententias Fr. Guillelmus de Alcimo. (1) Et consequenter Fr. Petrus de Sacca XLVIII.

In studio Paduano legat Bibliam Fr. Nicolaus Ortulani anno XLVIII.

SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO PAPIAE

In primis pro anno XLIIII, ad Bibliam Fr. Bartholomaeus Coxola. Et consequenter ad Lecturam Sententiarum pro anno XLV. Frater... De Studio Paduano et Bononiensi R.do M. Provinciali Bononiae, quod possit promovere quem sibi videbitur expedire, etiam promotos retardare.

Capitulum Generale sequens ordinaverunt in Conventu Avinionensi pro anno 1450 in Festo Penthecostes.

Patres Diffinitores retinuerunt sibi posse usque ad octo dies immediate sequentes.

(42-b) In Christi Nomine Amen. Acta Generalis Capituli Romae in Palacio Sanctae Mariae Maioris celebrati anno D.ni MCCCC.XLVII. Praesidente in dicta electione R.do in Christo Patre M.ro Joanne Faci Priori Generali totius Ordinis Fratrum Sanctae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli. In quo quidem Capitulo fuerunt infrascripti Patres Diffinitores. In primis videlicet:

Diffinitor Siciliae M. Nicolaus de Asmundo (2); Angliae M. Nicolaus Kempton (3); Narbonae M. Joannes David; Franciae M. Joannes Soreth; Romae M. Joannes Ubach (4); Alamaniae

---

(1) Gulielmus de Alcimo. Probabiliter ille qui inter doctores italos Gulielmus Alcaniensis vocatur.

(2) Nicholaus de Asmundo. Siculus, floruit Bononiae a. 1441.

(3) Nicholaus Kempton. Supra Chenton.

(4) Joannes Ubach. Natione Alemannus, ut videtur Moguntinus, sed in Monte Pessulano studiis operam navavit, ubi etiam in quodam instrumento, sub die 8 Februarii 1428, decimum octavum locum inter triginta unum conventuales occupat. Domos redux a. 1435 iuramentum in manus provincialis praestitit renuntians omnibus gratiis tam intra quam extra Ordinem obtentis promittensque se patribus suae provinciae morem gesturum (Koch, 119). Anno 1448 fit prior Spiren-

inferioris Lector Joannes Strauer (1); Lombardiae M. Jeronimus Stella; Aquitaniae M. Bernardus de Bellologoto (2); Hyspaniae Lector Jacobus Tenoris; Provinciae M. Jacobus Villeti (3); Scotiae Lector Guilielmus Liel (4); Tusciae M. Anthonius de Pisis (5); Tholosae M. Arnaldus Tarrida; Cathaloniae M. Guilelmus Perellonis (6); Alamaniae superioris Lector Joannes Cleter (7); Vasconiae M. Gerardus de Serris; Aragoniae M. Laurentius Garsie; Procurator Ordinis M. Jacobus Pellegatis; Primus Socius R.mi M. Generalis M. Anthonius Buyssonis (8); Secundus Socius eiusdem M. Johannes Staglus. Admissus de gratia et communi consensu Diffinitorum M. Ludovicus Sadoc.

De quorum Consilio, et consensu diffinitum fuit, et ordinatum, quod pro communibus negotiis Ordinis solvantur ducati ducenti... Quae quidem summa sic distribuetur:

---

sis, 1453 Francofurdensis, 1456 Hirschhornensis. Cum a. 1461 Beatus Jo. Soreth conventum Coloniensem reformare cuperet, Ubach antesignanus fuit factionis oppositae quam ob causam a Capitulo Generali a. 1462 graviter punitus fuit ut in fine dicti capituli patebit. Attamen veritati non consentiunt quae ab aliquibus dicuntur, — praesertim a Waltero de Terra Nova — Joannem nostrum cum ceteris repentina morte percussum fuisse, sed post aliquot annorum carceres annis 1466 usque 1468 fuit regens studii Coloniensis ac obiit in pace, uti videtur, a. 1470. A. 1458 fuerat poenitentiarius, et sequenti anno lector sacrae theologiae. Edidit quosdam sermones synodales.

(1) Joannes Strauer. Verius Struver, qui a. 1438 prior Aquisgranensis et 1449 Coloniensis fuit. De eo vide supra in historia schismatis Alemanniae Inferioris.

(2) Bernardus de Bellologoto. Alias de Belloqueto. Supra ad a. 1434.

(3) Jacobus Vileti. Alias Gileti. Vide supra, p. 140, nota 7.

(4) Lector Gwillelmus Liel. Wilhelmus Liel (Liele, Liale) prior fuit Aberdonensis annis 1446 et 1461, anno vero 1465 procurator ibidem.

(5) Antonius de Pisis. Antonius Matthaei de Pisis, p. 142, nota 2.

(6) Guilelmus Pellonis. Perelhonis, Perillonis etc.

(7) Joannes Cleter. Joannes Klerer senior fuit informator Viennae a. 1431 ibidemque studuit pro lectoratu eodem ac sequenti anno. A. 1433 fuit socius provincialis. Deinde quasi sine interruptione prior et lector Rottenburgensis ab a. 1436 usque 1456. Amplius non memoratur.

(8) Antonius Buyssonis. Supra p. 195 Antonius Boyssonis.

In primis pro vestiario R.mi M. Generalis duc. C, pro salario famulorum suorum duc. XII; Magistro Regenti Parisiis duc. X; Biblico Parisiensi usque ad tres annos tantum duc. VI, et deinceps nihil habeat. Pro censibus Conventus Parisiensis usque ad tres annos tantum duc. L, et deinceps per alios tres annos duc. solum XXV, et sic in futurum; quia residuum censuum pro quibus Conventus solvebat, redemptum est et amplius.

Item pro Procuratore in Consistorio duc. V; pro vestiario Procuratoris in Romana Curia duc. XVI; pro pietantiis eiusdem duc. IX; pro Procuratore saeculari duc. VI: pro Ianitoribus D.ni N.ri Papae primae custodiae duc. III; secundae custodiae duc. IIII; pro M. Regente Romanae Curiae duc. X; pro Festo Conceptionis in Curia duc. X.

(43-a) Ordinaria communia. Quam quidem summam solvent Provinciae per modum infrascriptum. Primo.

Provincia Siciliae duc. XX; Angliae XXX; Narbonae XV; Franciae X; Romae IIII; Alamaniae inferioris XVI; Lombardiae XV; Acquitaniae X; Hyspaniae VI; Hyberniae VII; Provinciae X; Scotiae IIII; Tusciae XI; Bononiae XII; Tolosae X; Cathaloniae XV, Alamaniae superioris XI; Vasconiae X; Turoniae IX; Saxoniae VI; Aragoniae IX; Portugaliae IIII.

Sequuntur ordinationes exponendorum factae in Capitulo Generali Romae celebrato. Et primo R.mus M. Generalis, una cum Patribus Diffinitoribus ordinaverunt, ut taxationes extraordinariae, quae fuerunt taxatae in Capitulo Cabilonensi per sex annos, solvantur per Provincias per tres annos sequentes, cum de illis sex annis non sint elapsi nisi tres usque ad praesens.

Item ordinaverunt, ut in Alma Urbe conformetur Conventus S. Martini, vel alius nobis dandus per Sanctissimum D.num N.rum, de numero Fratrum viginti, qui in expensis Ordinis quantum est pro summa ducatorum centum et quindecim ibidem nutrientur per hos tres annos immediate futuros tantum. Ordinantes ut deinceps Prior praefati Conventus ponatur, qui sit Magister in Theologia. Qui quidem Mag. de praedicta summa decem ducatos habeat pro vestiario. Et Baccalarius, qui ibidem fuerit, de eadem summa habeat ducatos quinque; ut alii centum ducati ex toto proveniant toti Conventui pro communi subventione.

Et hanc summam solvent Provinciae per hunc modum, videlicet: Sicilia IX; Anglia XIII; Narbona VI; Francia IIII cum

dimidio; Roma IIII; Alamania inferior VIII; Lombardia IIII cum dimidio; Acquitania III cum dimidio; Hyspania II cum dimidio; Hybernia I cum dimidio; Provincia III; Scotia I cum dimidio; Tuscia II cum dimidio; Bononia IIII; Tolosa II cum dimidio; Cathalonia VI; Alamania superior VI cum dimidio; Vasconia IIII cum dimidio; Turonia VI cum dimidio; Saxonia II cum dimidio; Aragonia II cum dimidio; Portugalia I cum dimidio.

Sequuntur expensae factae a Generali Capitulo Cabilonen. citra.

In primis pro communibus negotiis Ordinis duc. C pro expensis R.mi Mag. Ordinis veniendo ad Generale Capitulum stando, et redeundo duc. CCLXX; pro expensis factis per procuratorem Ordinis eundo ad Curiam cum rebus suis stando, et redeundo, cum certis reparationibus Conventus Sancti Martini duc. L.

Quae quidem summa extendit se ad ducatos quadringentos viginti. Quos Provinciae Ordinis infra annum praesentem, non aggravando Conventus, qui nimis depressi sunt, solvent, sed a Fratribns redimendo; ita quod quilibet Magister, Bacalarius, Lector, Prior, et Confessor contribuat pro rata, quam ei suus Provincialis imponet.

Et ita Patres Diffinitores mandant fieri, in virtute sanctae obedientiae, et sub poena proprietariis infligenda cuicumque renitenti; committentes R.dis Patribus Provincialibus, et eisdem sub pena (43-v) depositionis ab eorum officiis mandantes quatenus ad collectam dictae summae Priores suos compellant ad effectum. Solvetur autem dicta summa per hunc modum:

In primis videlicet Provincia Siciliae solvet super Fratres, ut praemissum est, ducat. XXXVIII; Angliae super Fratres LIIII; Narbonae XXV; Franciae XIX; Romae XVI; Alamaniae inferioris XXXIII; Lombardiae XIX; Acquitaniae XV; Hyspaniae XI; Hyberniae VI; Provinciae XIII; Scotiae VI; Tusciae XI; Bononiae XVI; Tholosae XI; Cathaloniae XXV; Alamaniae superioris XXVII; Vasconiae XIX; Turoniae XXVIII; Saxoniae XI; Aragoniae XI; Portugaliae VI.

Item ordinaverunt, quod deinceps usque ad proximum Capitulum Mag. Procurator Ordinis in Romana Curia ultra summam taxatam in Generali Capitulo Cabilonensi quae ascendebat ad summam ducatorum nonaginta quinque, habeat anno quolibet ducatos XXV; ita ut tota summa taxationis suae ascendat ad

centum viginti; attento quod dictus Procurator habeat necesse conducere domum; et providere sibi, socio, et famulo penitus in omnibus expensis. De quibus solvent Provinciae infra, videlicet;

Sicilia duc. II; Anglia II; Narbona II; Francia II; Roma dimidium; Alamania inferior II; Lombardia I; Acquitania I; Hyspania I; Hybernia dimidium; Provincia II; Scotia dimidium; Tuscia I; Bononia I; Tolosa I; Cathalonia I; Alamania superior II; Vasconia I; Turonia II; Saxonia dimidium; Aragonia dimidium; Portugalia dimidium.

(44-a) Item pro vita R.mi M. Ordinis pro quolibet trium annorum immediate praecedentium Generale Capitulum de proximo futurum, hoc est anno Mill.mo CCCC.mo LIII° anno quolibet ducati C. Qui quidem centum ducati, una cum XXV ducatis pro Procuratore superius deputatis pro ipsis tribus annis distribuentur per Provincias ut infra, videlicet:

Sicilia ducati XI; Anglia XV; Narbona VIII; Francia VI; Roma II; Alamania inferior X; Lombardia VI; Acquitania V; Hispania III; Hybernia II; Provincia IIII; Scotia II; Tuscia IIII; Bononia V; Tholosa III; Cathalonia VIII; Alamania superior VIII; Vasconia VI; Turonia X; Saxonia III; Aragonia III; Portugalia II.

Verum quia pro praefatis tribus annis et deinceps in futurum sublati sunt de censibus Conventus Parisiensis duc. XXV, eo quod pro tanta summa et ampliori redempti sunt dicti census a Conventu praefato, restat ut dicti XXV ducati removeantur pro illis tribus annis. Et deinceps a taxatione ordinaria Provinciarum, in qua sunt inclusi. Solum ergo unaquaeque Provincia pro quolibet trium praedictorum annorum et deinceps pro taxatione ordinaria ut infra, videlicet: Sicilia duc. XVIII; Anglia XXVIII; Narbona XIII; Francia VIII; Alamania inferior XIIII; Aequitania IX; Lombardia XIIII; Hyspania V; Hybernia VI; Provincia IX; Tuscia X; Bononia X; Tolosa IX; Cathalonia XIIII; Alamania superior X; Vasconia IX. (1)

Quantum autem ad ordinationes, et Constitutiones, R.mus Mag. Generalis una cum Patribus Diffinitoribus ordinaverunt infrascripta. Et primo, Reverendissimus Mag. Generalis revocavit omnes Vicarios suos, quos alias instituit.

---

(1) *Alia manu additum:* Roma IIII, Scotia I cum dim.

Item R.mus Mag. Generalis una cum Patribus Diffinitoribus pro reductione Fratrum rebellium Conventus Coloniensis Provinciae Alamaniae inferioris, ordinaverunt, ut si, et in quantum, ipsi, et eorum quilibet voluerint recognoscere culpas suas, et de eis veniam implorare, ac poenitentias iniungendas humiliter acceptare, nec non Litteras obedientiales tam a R.mo Mag. Generali, quam a suo Provinciali, sicut debitum, misericorditer recipiantur, et ex nunc prout ex tunc, cum ad debitam, obedientiam redierint, et ex tunc prout ex nunc, item R.mus M. Generalis relaxat illum Conventum Coloniensem in libertate Provinciae, quantum ad dispositionem eiusdem, prout antea erat.

Et in hoc casu cassat, irritat, et annullat ordinationem factam in Generali Capitulo Cabilon., in qua continetur quod dictus Conventus deinceps esse debeat sub dispositione R.mi M. Generalis.

(44-b) SEQUITUR ORDINATIO PROMOTORUM AD BIBLIAM ET SENTENTIAS.

Primo in Conventu Parisiensi ordinaverunt ad Lecturam Bibliae in eodem Conventu pro anno D.ni 1447. Fr. Johannem Hugen (1), item ad Lecturam Bibliae pro anno D.ni 1448 Fr. Michael Piscatoris. Item ad Lecturam Bibliae pro anno D.ni 1449 Fr. Poncium Raynaldi; pro anno 1450 Fr. Tossanum de Canciis; pro anno 1451 Fr. Ricardum Grifardi; pro anno 1452 Fr. Tanginum; pro anno 1453 Fr... Item ad Lecturam Sententiarum Parisiis pro primo loco Fr. Joan. Hughen; pro secundo loco Fr. Michaelem Piscator, et consequenter alios praenominatos.

SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO THOLOSANO

Item ordinaverunt in Studio Tholosano ad Bibliam pro anno 1449 Fr. Petrum Sauliera; pro sequenti anno F.rem Guilhelmum Zaxat (2); pro anno 1451 Fr. Humbertum de Costa; pro anno 1452 Fr. Johannem de Abbate; pro anno 1453 Fr. Durandum Vernhisse. Item ordinaverunt ad Lecturam Sententiarum pro anno D.ni 1449 Fr. Johannem de Campobono; pro

(1) Supra 1444.

(2) Forsitan verum nomen Daxae.

primo loco Fr. Petrum Sauliera; pro secundo loco Guilhelmum Zaxat, et consequenter alios praenonimatos.

SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO AVINIONENSI

Item ad Bibliam pro anno 1448 Fr. Emericum Fradeti; pro anno 49 Fr. Gerardum Clientis; pro anno 50 Fr. Anthonium de Claramonte; pro anno 51 Fr. Anthonium Ricardi; pro anno 52 Fr. Johannem Principis; pro anno 53 Fr. Bernardum de Muroveteri.

Ad Lecturam Sententiarum pro primo loco Fr. Emericum Fradeti; pro secundo anno Fr. Gerardum Clientis, et consequenter alios praenominatos.

SEQUITUR PRO STUDIO BONONIENSI

Item ad Bibliam pro anno 1448 Fr... pro anno,..

SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO PADUANO

Item ad Bibliam pro anno 1447. Fr. Anthonium de Ferraria; pro anno 48 Fr. Humbertum de Angia (1). Et hoc sub Regentia M. Jacobi Pellegati Provincialis Prov. Bononiae. Item ad Lecturam Sententiarum, tam de istis, quam de aliis usque ad Capitulum Generale proxime futurum, commiserunt praefato M. Provinciali, ut in Studio Bononiensi, et Paduano possit promovere aliquos notabiles si opus fuerit.

---

(1) Hubertus de Angia. Videtur is fuisse Hubertus de Diest cognomine Robyns, filius conventus Angiensis, de quo Julianus a S. Norberto refert fuisse lectorem theologiae Bruxellis aa. 1447 et 48, 1450 vero priorem Mechlinensem, deinde Lovanii magisterium in theologia adeptum fuisse. Hic primus omnium de erigendo collegio scholastico Lovanii cogitare coepit, quem in finem a B. Johanne Soreth in capitulo provinciali a. 1452 facultatem obtinuit, at deficientibus opibus rem Godofrido de Loe perficiendam reliquit. Saepius adiit Limina Apostolorum, tandem cum tertia decima vice rediret de Urbe anno 1483 in via mortuus est. In libello computuum notatur inter recepta « Item ex quodam clenodio argenteo ex parte magistri nostri Huberti Robyns bonae memoriae ».

(45-a) Item ordinaverunt ad Lecturam Bibliae in Monte pessulano pro anno 1449 Fr. Guilelmum Monaldi. Et eumdem ordinaverunt ad Sententias ibidem pro anno 50.

Item ordinaverunt ibidem ad Bibliam pro anno 50 Fr. Jacobum Prati, et successive ad Sententias pro anno 52.

SEQUITUR ORDINATIO PRO STUDIO COLONIENSI

Item ad Bibliam pro anno 1448 Fr. Martinum de Aquis (1), et consequenter ad Lecturam Sententiarum suo tempore.

Item ad instantiam R.mi D.ni D'ni S.ti Pauli, cuius votum expositum fuit per R.mum in Christo Patrem et D.num D.num Andegavensem Protectorem nostrae sacrae Religionis, ordinatum est, ut in Conventu Cathanensi Provinciae Siciliae deinceps sit Generale Studium, in quo Fratres nostri Ordinis, et dictae Provinciae solum promoveri possint ad Gradus; non tamen per Provincialem dictae Prov., neque per Capitulum Provinciale, sed per Capitulum Generale, et per R.mum M.rum Generalem.

Item ordinaverunt in dicto Conventu ad Lecturam Bibliae pro anno 1447, nonobstante quod alias fuit promotus in Studio Bononiensi, F.rem Petrum de Geraldo (2): et eundem ordinaverunt ad Sententias pro anno 49; ita ut inter Bibliam et Sententias vacet per unum annum integrum, et prosequatur lecturam per totum annum 50, et non possit suscipere Gradum nisi dicto termino totaliter elapso.

Item ordinaverunt ad Lecturam Bibliae in Universitate Viennensi Prov. Alamaniae superioris, pro anno D.ni 1448 Fr. Johannem Carpentarii, et consequenter ad alios actus scholasticos ibidem perficiendos, usque ad sequens institutum Generale Capitulum, usque ad Gradum Magisterii inclusive.

SEQUITUR ORDINATIO PRIORUM PROVINCIALIUM

Provincialis Terrae Sanctae Magister Johannes Andree. Pro-

---

(1) Martinus de Aquis. Sive de Montjoie, prior Aquisgrani annis 1444 et 1456 usque 1462, Coloniensis 1462 provincialis Alemaniae superioris; plures conventus reformavit, officio cessit anno 1487. In conventu Aquensi contemplationi vacans obiit.

(2) Petrus de Geraldo. Inter doctores italianos a Martino Italo enumeratos refertur Petrus Chiraldi Siculus.

vincialis Siciliae Magister..; Angliae M. Nicholaus Kempton; Narbonae M. Nicholaus Coch; Franciae M. Johannes Soreth; Alamaniae inferioris M. Godfridus De Loe; Lombardiae M. Jeronimus Stella; Acquitaniae M. Raymundus Fresardi; Hyspaniae M. Johannes Martini; Hyberniae Fr. Reginaldus Koni (1), committentes R.do M.ro Provinciali Angliae, ut in casu dissensionis Fratrum illius Prov. ad electionem novi Provincialis procedat.

Provincialis Provinciae M. Jacobus Villeti; Scotiae Fr. Guilhelmus Liel; Tusciae M. Anthonius de Pisis (2); Bononiae M. Jacobus Pellegatis; Tholosae M. Galliardus de Rupe; Cathaloniae M. Guilhelmus Perellonis; Alamaniae superioris Fr. Johannes Melerstat; Vasconiae M. Guilhelmus Costalli; Aragoniae Fr. Johannes Petri; Turoniae M. Seguinus Cognati; Saxoniae Fr. Johannes Wolyn; Procurator in Romana Curia M. Jacobus (3) Provincialis Prov. Bononiae; Prior in Conventu S. Martini in Montibus sive alio Conventu in Urbis nobis dando M. Michael de Lombardo (4); et idem sit Regens in eodem Conventu; M. Regens in Romana Curia Mag. Jacobus Procurator Ordinis. Prior in Conventu Parisiensi M. Johannes de Vernone.

Capitulum Generale proxime futurum ordinaverunt in Conventu Avinion. Provinciae Provinciae pro anno D.ni Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio in Festo Sancto Penthecostes.

Patres Diffinitores retinuerunt sibi posse usque ad octo dies immediate sequentes. (*Pagina incompleta manet*).

(46-a) In Christi Nomine Amen. Acta Generalis Capituli Ordinis Fratrum B.mae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli celebrati in Conventu Avinionensi, anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo (5), prima die Novembris, ipso sancto die Solemnitatis Omnium Sanctorum; in quo fuit

(1) Sive Kenni.

(2) i. e. Antonius Matthaei.

(3) Jacobus i. e. Pellegati.

(4) Michael de Lombardo, seu de Panormo, Siculus, « vir undique candidus et sincerus, provincialis Siciliae », cuius praeconia refert Martinus Italus.

(5) Faci 16 Martii 1450 ad Regii in Gallia episcopatum evectus est et Joannes Soreth Vicarius Generalis ordinatus (Ventimiglia, *Hist. Chron.*).

electus in Priorem Generalem R.ndus M. Joannes Soreth tunc Prior Provincialis Franciae, ex unanimi assensu cunctorum Gremialium.

Et fuerunt Diffinitores in eodem Capitulo Provinciarum: Siciliae Fr. Andreas de Sallato Lector; Angliae M. Joannes Milverton (1); Narbonae M. Theodoricus de Aquis; Franciae M. Joannes Buhot (2); Alamaniae inferioris M. Gaudfridus De La (3); Lombardiae Fr. Albertinus de Olivis Lector; Aquitaniae Fr. Joannes de Campobono Praesentatus in Theologia; Hyberniae Fr. Joannes Mori (4) Lector; Provinciae M. Jacobus Jacobi; Tusciae Fr. Blasius Silvestri (5) in Theologia Licentiatus; Bononiae Fr.

(1) Joannes Milverton, Monumenta, 434.

(2) Joannes Buhot. Idem ut videtur ac Joannes Boet, p, 195, nota 2.

(3) Gaudfridus de La, i. e. Godofridus de Loe.

(4) Joannes Mori. Obiit 1457 tunc baccalaureus existens.

(5) Blasius Silvestri, Necrologium Florentinum notat ad 30 martii 1479: « Rev. s. theol. doctor et eximius magister Blasius Silvestri de Magutis de Florentia fuit prior istius conventus, obiit et sepultus est in isto conventu ». A. 1438 ordinatus fuit studens in grammaticalibus Florentiae, 1441 item in artibus Tolosae, 1444 studens (in theol.?) cum suo germano fratre Raynerio; item anno insequenti Paduae, a. 1450 fuit primus diffinitor in Capitulo provinciali, tunc baccalaureus existens, et nominatus fuit prior Florentiae necnon lector Sententiarum. A. 1451 confirmatur in praedicto prioratu et deputatur socius Provinciae ad Capitulum generale de quo hic agitur. In primo Capitulo provinciali a. 1452 taxatur Provincia pro licentia fratris Blasii ob eius indigentiam; 1453 fuit secundus diffinitor provinciáe; 1455 tertius diffinitor; 1456 prior Pisarum; 1460 primus diffinitor, quo tempore videtur aliquam litem habuisse cum Capitulum anni 1461 determinaverit: « Remiserunt litem magistri Blasii ad magistrum Paulum (de Visconti) Vicarium generalem, faciat quicquid ipse determinaverit, interim suspendentes litem ». At non liquet cum quo neque qua de re. In Capitulo a. 1471 praesidente Magistro Christophoro Martignone procuratore generali et vicario generali per Italiam orta est quaestio de promotione (ad magisterium?) Blasii Silvestri facta in Capitulo generali a. 1469. Cum enim litterae testimoniales expeditae non fuerint Vicarius generalis ad testimonium provincialis et sociorum novas concessit. Amplius non memoratur. Distinguendus est ab alio eiusdem nominis et temporis de quo Necrologium ait: « Sacerdos, mortuus est in conventu Pistorii, 4 Augusti 1478 ».

Augustinus De Camerzunhx Baccalarius; Tolosae M. Galliardus de Rupe Provincialis; Alamaniae Superioris Fr. Joannes Carpentarii Lector: Vasconiae M. Guilhelmus Costalli Provincialis; Turoniae M. Seguinus Cognati Provincialis.

De praedictorum omnium Diffinitorum assensu, diffinitum est, quod pro vestiario Prioris Generalis, et suorum sociorum quolibet anno taxantur centum ducati.

Pro salario famulorum duc. XII; pro Regente Parisiis X; pro Biblico Parisiensi VI; pro censibus Conventus Parisiensis XXV; pro loco Procuratoris in Consistorio V; pro vestiario Procuratoris XVI; pro Pitantia eiusdem, quamdiu Curia erit in Roma et in partibus Italiae IX; pro procuratore saeculari VI; pro Ianitoribus primae custodiae III; pro secundae custodiae IIII; pro Regente in Curia X; pro Festo Conceptionis X.

Et dividetur praedicta summa per Provincias; sic videlicet quod Provincia Siciliae solvet ordinarie singulis annis duc. XVIII; Angliae XXVIII; Narbonae XIII; Franciae VIII; Romae IIII; Alamaniae inferioris XIIII; Lombardiae XIIII; Aquitaniae IX; (46-b) Hyspaniae V; Hyberniae VI; Provinciae IX; Scotiae unum ducatum cum dimidio; Tusciae X; Boloniae X; Tholosae IX; Cathaloniae XIIII; Alamaniae superioris X; Vasconiae IX; Turoniae IX; Saxoniae duos cum dimidio; Aragoniae unum cum dimidio; Portugaliae unum cum dimidio.

Praeter tamen distributionem praedictam, sancitum ac diffinitum est, quod taxatio extraordinaria apposita in Capitulo Romano usque ad annum quinquagesimum tertium habebit suum cursum, et non amplius, usque ad Capitulum proximum sequens. Quae extraordinaria talis est primo, quod solvet Provincia Siciliae XI ducat.; Angliae XV; Narbonae VIII; Franciae VI; Romae II; Alamaniae inferioris X; Lombardiae VI; Aquitaniae V; Hyspaniae III; Hyberniae VI; Provinciae IIII; Scotiae II; Tusciae IIII; Boloniae V; Tholosae III; Cathaloniae VIII; Alamaniae Superioris VIII; Vasconiae VI; Turoniae VI; (47-a); Saxoniae III; Aragoniae III; Portugaliae II.

SEQUITUR ORDINATIO PATRUM PROVINCIALIUM

Provincialis Terrae Sanctae M. Joannes Andree; Siciliae M. Michael de Lombardo; Angliae M. Nicolaus Quentoni (1); Narbonae M. Theodoricus de Aquis; Franciae R.mus Pater Generalis erit Rector Provinciae usque ad Capitulum proximum; et in eius absentia M. Joannes Buhot erit Vicarius. Romae M. Paulus de Viscontis; Alamaniae inferioris M. Gaudfridus de Loe; Lombardiae M. Jeronimus de Stella; Acquitaniae M. Raymundus Frasardy; Hyspaniae remittitur dispositioni R.mi Patris Generalis; Hyberniae Fr. Reginaldus Quenin (2); Provinciae M. Jacobus Viletti; Scotiae Fr. Guilhelmus Liel; Tusciae M. Anthonius de Pisis (3); Boloniae M. Gaspardus de Bononia (4); Tholosae M. Galliardus de Ruppe; Cathaloniae M. Guilhelmus Perelonis (5); Alamaniae Superioris Fr. Joannes Molestart (6); Vasconiae M. Guilhelmus Costalli; Turoniae M. Seguinus Cognati; Saxoniae Fr. Petrus Stooz (7); Aragoniae Fr. Joannes Petri; Portugaliae remittitur dispositioni R.mi Patris Generalis. Procurator in Romana Curia M. Paulus di Viscontis. Priorem in Conventu S. Martini in Montibus pro praesenti committimus dispositioni et ordinationi R.di Magistri Pauli de Viscontis, similiter Magisterium et dispositionem Regentis. Prior Conventus Parisiensis M. Joannes de Vernone. Socii R.mi Patris Prioris Generalis Mag. Joannes Buhot, et Joannes Natalis (8), quos tenere et mutare potest ad velle suum.

(47-b) Approbamus ratamque habemus procurationem Bac-

---

(1) Nicholaus Quenton i. e. Kenton.

(2) Reginaldus Quenin. Kenny?

(3) Antonius de Pisis i. e. Antonius Matthaei.

(4) Gaspardus de Bononia. Anno 1422 magisterium adeptus est in patria universitate; 1437 ibidem priorem agebat. « Vir sua aetate eruditissimus et morum honestate praeclarus ».

(5) Guilhelmus Perclonis. Supra p. 186, nota 3.

(6) Joannes Molestart i. e. Mellerstat.

(7) Petrus Stooz. Supra p. 196, nota 3.

(8) Joannes Natalis. Alias Joh. Noel cui, cum esset prior conventus Bituricensis necnon capellanus Mariae reginae Francorum Calixtus III indulsit ut beneficium ecclesiasticum sive saeculare sive

calarii F.ris Maturini Clementis (1) nunc Parisiis sententias legentis Item approbamus similiter promotionem Parisiis Venerabilis Patris Toussani de Nova Villa (2). Parisiis promoventur ad legendam Bibliam, et consequenter Sententias, et ad alios actus scholasticos usque ad Magisterium inclusive, qui sequuntur, ordinem quoad annos legendi tenentes qui sequitur:

Frater Stephanus Canoni (3) anno LII; Fr. Anthonius Buissonis (4) anno LIII; Fr. Franciscus de Nodis anno LIIII; Fr. Ivo Alani anno LV; Fr. Godsuinus Heenx (5) anno LVI; Fr. Toussanus de Rothomago.

In Studio Tholosano Fratres Joannes de Villo Longuette (6); Georgius Perpiniane; Joannes de Cabanis; Joannes de Abbate; Joannes de Valle; Joannes Carpentarii (7); Joannes Parvi; Joannes Maleruffi; Theobaldus Codet (8); Humbertus Rauderii (9); Johannes de Summa Veritate (10); Arnaldus Grossi.

In Studio Montis Pessulani, Fratres Humbertus de Costa;

---

regulare, etiam parochialem ecclesiam, prioratum, personatum vel administrationem cum cura animarum accipere vel in commendam tenere, et tale beneficium cum alio consimili permutare et ad vitam retinere posset, Dat. Romae apud S. Petrum VII Kal. Februarii, anno primo (i. e. 26 Jan. 1455). Reg. Lat. 514, f. CLXXIX.

(1) Maturinus Clementis. Monumenta, 411.

(2) Toussanus de Nova Villa, i. e. de Villa Nova. Monumenta, 409.

(3) Stephanus Cavoni, seu Canoni. Monumenta, 403.

(4) Antonius Buissonis. Alius ab eo qui annis 1434, 1440, 1441 et 1447 memoratur.

(5) Godsuinus Heenx. Gosswinus Dionysii Hex. Monumenta, 408.

(6) Joannes de Villo Longuette. Infra in cap. 1456 Joh. de Logeto. Alias legitur de Bello Longuetto.

(7) Joannes Carpentarii, p. 209 nota 3.

(8) Theobaldus Rodet legitur a P. Zimmerman.

(9) Humbertus Rauderii. Provinciae Narbonae. In sequentibus etiam Raudeli nuncupatur, et quidem Humbertus, Umbertinus, Ymbertus et Rombertus.

(10) Joannes de Summa (Ci-)vitate. Ita proponitur a P. Zimmerman.

Filibertus Ianolli (1); Joannes Mikaelis (2); Jacobus Saletti; Petrus Corminini (3).

(48-a) In Studio Avenionensi, Fratres Joannes de Rude; Guillelmus Bonaldi; Joannes de Vosa (4).

Andegavis, Fr. Joannes Bileeth (5).

Pittavis, Fr. Taneguydus Keogrezer.

In Studio Senarum, Fr. Andreas de Sallato

---

(1) Filbertus Janolli vel Janotti.

(2) Joannes Mikaelis. Videtur fuisse Joannes Michaelis de Antwerpia, filius conventus Mechlinensis ubi etiam residentiam habuit ab a. 1462 usque 1467. Sequenti anno fuit procurator novi loci in Veteri Villa (Outdorp) in septentrionali Hollandia, eiusdemque conventus primus vicarius usque 1473; postea de illo in libris provinciae non fit mentio unde praesumitur circa illud tempus mortem obiisse. Huic convenit, teste Juliano a S. Norberto, quod Lezana perperam autumat Joanni de Platea attribuendum, nempe quod cum in prioratu reformati conventus Harlemensis esset et Beatus Joannes Soreth eum titubantem videret circa onus superioratus assumendum quod reformationis nomine cuius ipse erat studiosissimus turbas ab aliis videret in se concitatas, dixit: « Macte animo, nihil est quod improborum odia extimescas, hoc enim habes quod recti diligant te et haec tibi laborum merces ». Quo verbo animatus prompto animo se ad omnia paratum ostendit deinceps onera sustinenda. (*Annal.* ad a. 1458).

(3) Forte idem ac Petrus Cormeni de quo a. 1462.

(4) Joannes de Vosa. Rectius ut videtur de Vesa. Inter instrumenta tolosana habetur venditio alicuius agri facta 19 Junii 1486 a Joanne Albigeois dicto Miège Brague in favorem Joannis de Vesa licentiati in theol. conventus Carmelitarum Tolosatium. Deinceps idem Joh. de Vesa numeratur inter provinciales Tolosates.

(5) Joannes Bileeth. Quaeritur utrum idem sit ac Joannes Billick, alias Latomo sive Lapicida, qui anno 1489 prior Crucenacensis fuit, amicitia abbati Trithemio coniunctus? Joannes Billick anno 1475 nepotes suos Burcardum et Goswinum Ordini adduxit. Notat Postina (*Eberhard Billick*, p. 2, nota 3) Joannem istum a Hartzheim et Hurter (*Nomenclator*, IV, 1167) cum alio quodam eiusdem nominis, sed trinepote ex sorore confusum fuisse.

In Studio Florentino, Fratres Julianus Filippi (1); Raynarius Silvestri (2); Helias de Francia (3).

(6) Julianus Philippi. De isto ait Necrologium Florentinum sub die 30 Julii 1481: « S. theol. doctor et praedicator eximius qui viginti octo quadragesimas hinc inde praedicavit; fuit provincialis istius provinciae annis 22, cuius tempore capitulum cum refectorio fabricatum ac novum claustrum inceptum fuit; qui totam istam provinciam bene rexit et istius conventus introitum multum auxit, ob cuius bonum regimen numero circiter centum religionis nostrae habitum sumpserunt, conventum istum in bona fama apud totam nostram religionem et cives nostrae urbis reliquit, conventuique isti de suis bonis florenos (numero minime expresso) dimisit. Obiit Florentiae et sepultus est in capella Passionis ». Ex actibus provinciae liquet ei a. 1441 provisum fuisse pro studio in Artibus Avenione, similiter aa. 1445 et 1446 in Artibus Senis, nominatusque fuit praedicator pro capitulo a. 1447; 1448 fuit prior Senis, 1449 tertius diffinitor provincialis, 1450 socius provincialis, 1451 iterum socius necnon secundus socius pro capitulo generali, 1452 et 1457 (utroque anno ipso Soretho praesidente) quartus diffinitor, quo ultimo etiam priorem Pistoriensem agebat. 1459 usque 1477 erat provincialis — duodeviginti annos, non, ut ait Necrologium, viginti duos. — Usque 1462 fuit baccalaureus, deinceps Magister.

(2) Raynarius Silvestri, alias Renutius dictus, cum verum nomen fuerit Rainerius. Fuit germanus Blasii Silvestri de quo supra. De ipso Necrologium Florent. dicit ad 1 Junii: « Raynerius Silvestri in s. pagina magister fuit prior istius conventus. Obiit Florentiae 1484 ». Secundum acta provinciae Tusciae a. 1441 destinatus fuit studens in artibus ad Montem Pessulanum (tunc Renutius dictus); item 1444, sed non liquet in quo studio; 1445 Paduae, atque etiam 1447; sequenti anno fuit magister studentium Florentiae; 1451 lector Rainerius Silvestri fuit primus diffinitor et regens in studio Florentino; 1452 in altero capitulo destinatur ad legendum Paduae per tres annos; 1455 secundus socius ad capitulum generale; postea nulla de eo mentio habetur usque ad annum 1468 quo erat quartus diffinitor; 1478 Mag. Raynerius Silvestri eligitur in priorem Pistoriensem, 1479 in secundum diffinitorem, 1480 in confessorem Florentiae; 1481 primus diffinitor fuit et primus socius ad capitulum generale. Inter priores Florentinos minime enumeratur, unde concludimus quod — nisi scriptor Necrologii eum cum suo germano confuderit — forte anno 1469 vel 1478 seu 1479 quibus capitulum conventui Florentino de priore non providit, tale onus exercuit.

(3) Helyas de Francia. Fuit prior Lucae annis 1459 et 1461 et dubio procul una cum suo conventu ad observantiam Mantuanam transivit.

Burdegalis, Fr. Joannes More (1).

In Studio Cadomiensi, Fr. Guilelmus Gaudefroy.

Item taxati sunt XII ducati pro R.dis Mag. Anthonio Buyssonis et Anthonio de Molis Sociis quondam R.di in Christo Patris Domini Regen. (2) nuper Generalis.

SEQUUNTUR ORDINATA STATUTA

Item ordinamus, quod si aliqui promoveantur ad Gradum Magisterii, Baccalariatus, aut Lectoratus, qui pro demeritis secundum Statuta reputantur inhabiles, nisi debite habilitati, non habeant aliquam taxationem ratione gradus adepti a sua Provincia, donec et quousque talem promotionem habuerint Patres Provinciae, et Provincia gratam.

Per hoc tamen nolumus derogare libertati Studentium Universitatis Parisiensis, quin possint promoveri ad Bibliam cum taxatione Provinciae, et non ultra sine consensu Provinciae.

Item revocamus privilegia exemptionis, et donationis terminorum ad vitam, nisi huiusmodi essent concessa ex communi consensu Provinciae, et Conventuum, approbataque per Capitulum Provinciale.

(48-b) Item praecipimus, et mandamus omnibus Prioribus Provincialibus et Localibus, sub poena depositionis ab eorum Officiis illico, quod non habeant recipere Fratres alienarum Provinciarum, aut Conventuum aliorum, sine obedientia Prioris Provincialis, aut Capituli Prov. Provinciae illius; et si quem, vel quos taliter receperint, volumus quod infra mensem remittant eos ad eorum Provinciales cum obedientia, sub poena carceris illius qui post mensem determinatum praesumeret remanere.

Item statuimus, et ordinamus, discursibus vanis et variis obviare intendentes, quod nullus cuiuscumque gradus aut conditionis existat in favorem quarumcumque indulgentiarum aut alio-

---

(1) Joannes More. Incertus haereo utrum fuerit Joannes Morus Hibernicus de quo supra, an Joannes More Cantabrigiensis qui 18 Septembris 1456 ab episcopo Eliensi presbiter ordinatus fuit. Invenitur etiam tertius eiusdem nominis qui obiit Bruxellae in festo S. Mariae ad Nives a. 1477.

(2) Generalis Faci nominatus fuit Episcopus Regii in Gallia.

rum questorum, audeat alienam Provinciam intrare, sine speciali licentia Prioris Generalis, sed nec in eadem Provincia terminos alterius Conventus ab eo in quo per obedientiam commoratur, sine Provincialis licentia. Praecipientes et mandantes omnibus Prioribus terminariis, quorum terminos intraverint, ut tales nostris praeceptis non obedientes capiant, aut capi faciant tanquam Apostatas, et insolentes, et eorum bona integraliter, deductis tamen expensis factis in talium captione, applicent communitati Provinciae, aut Conventus, corporaque eorum in vinculis aut carceribus detineant.

Sequitur computatio facta anno D.ni Mill.mo CCCCLI inter R.ndum Patrem et Dominum D.num Joannem Faci Dei gratia Episcopum Regen., et Fratrem Joannem Soreth Priorem Generalem Ordinis Carmelitarum in praesentia Prioris Provincialis Narbonae M.ri Theodorici de Aquis, et M.ri Joannis Milverton, et M.ri Joannis Buhot, et quorumdam aliorum Diffinitorum dicti Capituli, praesenteque M.ro Anthonio Buissonis, et Procuratore Parisiensi F.re Joanne Le Comte. Et sequuntur primo illa quae dicto Domino dicebantur deberi. Primo a Provincia Angliae duc. LXXXXVIII; a Provincia Hiberniae centum et VII duc.; Acquitaniae XIX cum dimidio; Boloniae XXXIII; Scotiae XLVI; Portugaliae LXVIII; Saxoniae VIII.

Item dictus R.dus Pater et D.nus D.nus Regen. pro expensis factis in Urbe per duos annos, computat ducentos ducatos. Quae summae ascendunt ad valorem videlicet DLXXVI duc. cum dimidio.

Sequuntur debita dicti R.di in Christo Patris quae fatetur deberi Conventibus et Personis antedicti Ordinis.

(49-a) Et primo pro complemento trecentorum ducatorum Conventui S. Martini in Urbe taxatorum LXXXX ducat. Residuum solutum est, sicut patet per quitancias.

Item Procuratori Ordinis CXX (1) duc. Item P. M.ro Guilhelmo Scorpe (2) LXIX duc.; pro Conventu Parisiensi centum XXV duc.; pro duabus Regentiis, quarum una cum dimidia pertinet M.ro Joanni Buhot; alia dimidia M.ro Joanni Morandi (3); summa XX. fl.

---

(1) Scribitur vıXX = 6 × 20.

(2) Gulielmus Scorpe. Lege Thorpe, supra p. 190.

(3) Joannes Morandi. Monumenta, 435.

Quae summa simul sumpta ascendit ad quadringentos decem et novem ducat.

Capitulum Generale proxime futurum ordinaverunt in Conventu Parisiensi anno D.ni Mill.mo CCCCLVI ipso die Festo Penthecostes.

Patres Diffinitores retinuerunt sibi posse usque ad octo dies immediate sequentes. (*Pagina vacat*).

(49-b) In Nomine D.ni nostri Iesu Christi.

Sequuntur Acta Capituli Generalis Parisiis celebrati. Anno Domini Mill.mo CCCC LVI, die Sancto Penthecostes, videlicet XVI Mensis Maii. Praesidente R. in Christo Patre Fr. Joanne Soreth Priore Generali totius Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmeli.

Et fuerunt Diffinitores subscripti Fratres quilibet pro sua Provincia. Pro Provincia Ceciliae M. Michael de Longobardo; Angliae M. Joannes Suaffem (1); Narbonae M. Joannes Foucherii (2); Romae M. Paulus de Viscontis; Franciae M. Joannes de Vernone; Alamaniae Inferioris M. Petrus de Nova Ecclesia; Lombardiae M. Anthonius (3); Aquitaniae Fr. . . . De Cantemerle (4); Provinciae M. Jacobus Jacobi; Tussiae Vincentius Chomcii (5); Bononiae M. Gaspar de Bononia; Tolosae M. Petrus

---

(1) Joannes Suaffem. Rectius Joannes de Swaffham, non tamen confundendus cum alio eiusdem nominis at multo antiquiore, e Lynn in Nordvolgia oriundo, qui fuerat magister theol. Cantabrigiae ubi a. 1349 ad confessiones audiendas admissus, deinde 1 Martii 1363 episcopus — probabiliter tantum titularis — Clonensis creatus, 2 Julii 1376 ad ecclesiam Bangorensem in Cambria translatus, demum 21 Julii 1398 obierat; fuerat strenuus insectator Wiclefii eiusque sequacium.

(2) Joannes Foucherii. Supra Focherii.

(3) Magister Anthonius. Fuit hic Antonius de Marinis de Mediolano seu de Lombardia in sequentibus pluries nominandus. Inscribitur ipsi Bulla Pii II, 27 Oct. 1461, *Bullar.* I, 266.

(4) Joannes de Cantemerle. Supra P. 176.

(5) Vincentius Chomcii. De Vincentio Conci refert Necrolog. Florentinum: « Eodem die, — scil. 6 Maii, — obiit Rev. Mag. Vincentius Conci Florentinus, sedulus Etruriae provincialis ac tandem monasterii S. Panchratii de religione seu congregatione S. Johannis Gualberti de Florentia abbas; quanam ratione et via ad hanc dignitatam venerit alibi a nobis dicetur suo tempore. Ob insignes animi dotes

Mancipii (1); Cathaloniae M. Guillelmus Berclonis (2); Alamaniae Superioris Fr. Fredericus Steckaer (3); Vasconiae M. Emericus Salvetti; Thuroniae M. Joannes de Nuce (4); Saxoniae Fr. Livinus de Damis (5).

De quorum omnium assensu diffinitum est, quod de Communitate Ordinis providebitur pro vestiario Prioris Generalis et Sociorum de centum Ducatis. Pro salario famulorum Duc. XII; pro Regente Parisiis X; Pro Biblico Parisiis VI; pro censibus Conventus Parisiensis duc. XXV; pro loco Procuratoris in Con-

---

et raras virtutes egregium plane et albo marmore una cum effigie sepulcrum e terra elevatum habet in ecclesia S. Pancratii a dextris ingredientis cum tali inscriptione:

Hic iacet D. Vincentius abbas et doctor egregius.
Anno Domini MCCCCXXXXCI (i. e. 1461 ».

Scriptum illud ab auctore Necrologii promissum ubi de secessu D. Vincentii disserendum erat ad nos usque minime pervenit. Ceterum sequentia ex actibus provinciae eruuntur: in altero capitulo a. 1452 praesidente ipsomet B. Joanne Soreth eligitur in provincialem ob renuntiationem Mag. Antonii Matthaei; confirmatur annis 1453, 1454 (quo etiam fuit regens studii Florentini ratione inceptionis pro magisterio), 1455 et 56. Deinceps nulla de ipso mentio habetur unde colligitur eo tempore eum ad dignitatem abbatialem evectum fuisse. Neque ante 1452 umquam de ipso sermo fuit, ac proinde vero simile videtur eum aut ab aliena provincia ad Tuscam transiisse, aut identicum fuisse cum Vincentio Joannis qui semel tantum memoratur, nempe a. 1419 quo magister novitiorum Florentiae nominatur.

(1) Petrus Mancipii. A Balaeo refertur inter viros illustres conventus Tolosani ad annum 1377, dubio procul errore calami.

(2) Guillelmus Berclonis. Videtur legendum Pellonis.

(3) Fredericus Steckaer. Verum nomen fuit Schecker, de Nurnberga. A. 1446 ordinatur pro secundo anno philosophiae in universitate Viennae; 1449 praedicator et informator Nurnbergae, necnon studens pro primo anno theologiae ibidem, et 1451 pro ultimo mittitur Coloniam. A. 1452 usque 1478 inclus. fuit prior Straubingensis et lector ibidem, insuper pluries diffinitor provincialis, nempe 1464 quartus, 1472 primus et 1475 tertius. In fine capit. 1479 habetur nota inchoata: « Item de ven. lectore Friderico Schecker magistro Ordinis . . . » cetera desunt. Videtur paulo post defunctus esse.

(4) Joannes de Nuce. E Carmelo Juliodunensi, provincialis anno 1457.

(5) Livinus de Damis. Olim provincialis Bohemiae.

sistorio V; pro Vestiario Procuratoris XVI; pro Pittancia eiusdem, Curia existente in Italia IX; pro Procuratore saeculari VI; pro Janitoribus primae Custodiae III; pro Janitoribus secundae Custodiae IIII; pro regente in Curia X; pro Festo Conceptionis ibidem X. Summa ducati ducenti XVI. Et dividetur praedicta summa per Provincias sic, quod singulis annis solvet Provincia Ceciliae duc. XVIII; Angliae XXVIII; Narbonae XIII: Romae IIII; Franciae VIII; Alamaniae inferioris XIIII; Lombardiae XIIII; Aquitaniae IX; Yspaniae VI; Yberniae V; Provinciae IX; Scotiae IIII; Tussiae X; Bononiae X; Tolosae X; Cathaloniae XIIII; Alamaniae superioris X; Vasconiae IX; Thuroniae XI; Saxoniae VII; Aragoniae VI.

Praeter praedictam summam pro augmento victus Procuratoris in Curia et inferiorum sunt taxati ducati XL; et pro communibus Ordinis LXXI; quae sic distribuentur, quod solvet Provincia Ciciliae duc. X; et cetera simul XXVIII; Angliae duc. XII; etc. simul XL; Narbona duc. VII; etc. simul XX; Roma II; etc. simul VI; Francia VI; etc. simul XIIII; Alamania inferior XII; etc. simul XXX; Lombardia VI; etc. simul XX; Acquitania VI; etc. simul X; Hispania III; etc simul IX; Ybernia I; etc. simul VI; Provincia II; etc. simul XII; Scotia II; etc. simul VI; Tussia IIII; etc. simul XIIII; Bononia V; etc. simul XV; Tolosa III; etc. simul XII; Cathalonia VI; etc. simul XX; Alamania Superioris VIII; etc. simul XVIII; Vasconia VI; etc. simul XV; Thuronia V; etc. simul XVI; Saxonia II; etc. simul IX; Arragonia III; etc. simul IX. Summa centum XI.

(50-a) Sequitur Ordinatio Priorum Provincialium. Et primo Provincialis Terrae Sanctae M. Stephanus Quenon, Ciciliae M. Petrus de Lombardo (1); Angliae M. Joannes Milverton; Narbonae M. Theodoricus de Aquis; Romae M. Paulus de Viscontis; Franciae M. Joannes Buhot; Alamaniae inferioris M. Petrus de Nova Ecclesia; Lombardiae M. Anthonius (2); Acquitaniae M. Bernardus de Belloquo; Hispaniae Fr. Petrus Villae Regalis; Hiberniae Fr. Thomas Vualchs (3); Provinciae M. Jacobus Ja-

(1) Forsitan pro Michaele de Lombardo.
(2) Anthonius. i. e. de Marinis.
(3) Thomas Vualchs. Vere Walsh. Vide infra ad ann. 1462.

cobi; Scotiae . . . . . ; Tussiae M. Vincentius Conicii (1); Bononiae M. Gaspardus de Bononia; Tolosae M. Gelardus de Rupe; Cathaloniae M. Guilhelmus Pealonis; Alamaniae superioris Fr. Guilh. Agmen (2); Vasconiae M. Guilhelmns Costalli; Thuroniae M. Siginus Conati (3); Saxoniae Fr. Livinus de Damis; Aragoniae Fr. Joannes Petri; Portugalliae M. Joannes de Consobrino (4).

SEQUITUR PROMOTIO BACHALAR. AD BIBLIAM PARISIIS.

Et primo anno leget Fr. Tossanus Conventus Rothomagen; 2° Fr. Petrus Guirnigny (5); 3° Fr. Hubertus Leonardi (6); 4° Fr. Guilh. de Bordis; 5° Fr. Andreas Carpentarii; 6° Fr. Jacobus de Maris; 7° Fr. Joannes Brossati.

---

(1) Vincentius Conicii, i. e. Conci.

(2) Guilelmus Agmen. Verum nomen fuit neque Agmen neque Amandi, sed Ammann. De ipso ait elenchus provincialium Alemaniae superioris: « Decimus provincialis fuit Ven. P. Wilhelmus Amandi s. theol. lector de Noremberga, electus in Cap. prov. Norimbergae celebrato praesidente R. M. Joanne Soreth priore generali A. D. 1452, et sepultus in conventu Nuremberg. ante summum altare ». Secundum acta provinciae fuit a. 1429 studens in artibus in patria civitate, 1430 studens logicae (pro secundo anno), 1431 studens physicae pro forma Viennae, 1432-34 lector physicae Coloniae, 1439 usque 1451 prior et lector Nurembergae, 1452 usque 58 provincialis. Annus obitus non constat,

(3) Siguinus Conati, i. e. Cognati.

(4) Joannes de Consobrino. Monumenta 414. Fuit doctor Oxoniensis uti ibidem dicitur e rotulo universitatis Oxoniensis; errant qui aliter dicunt.

(5) Petrus Guirnigny (?). Totum capitulum difficillimae lectionis est, neque ipse scriba videtur bene intellexisse schedas nominum sibi traditas unde non parva confusio orta est. Nomen hic et in sequentibus ponendum videtur Petrus Garnengi de quo cf. Monumenta, 416. Oriundus e vico S. Pauli (S. Paul-de-Leon) in Minori Britannia; tandem provincialis Turoniae electus fuit, ac demum obiit a. 1471.

(6) Hubertus Leonardi. Monumenta, 415. Conventus Leodiensis, citatus a. 1459 coram episcopo Cameracensi ob sermonem quem praedicaverat Valencenis in favorem nimium privilegiorum mendicantium.

IN TOLOSA FRATRES

Theobaldus Scoltet (1); Arnoldus de Insula (2); Jo. de Logeto (3); Simon Case; Jo. Sarrati et G. Solete.

In Monte Pessulano Fratres Guilh. Dorace; Joannes Gloriandi, et Fr. Joannes Alberti (4). — In Avinione Fratres secundum Ordinem Nicolaus Rantuleri, Girardus Albi (5); Guilh. Assimari (6); Michael Jacobi, Petrus Sariani (7); Joannes Bernandi (8). — In Illerda Fratres Matheus Calveti, Michael Salinas. — In Studio Palpiniani, Guilh. Zaxat (9); Bernardus de Muroveteri et Fr. Jacobus Mathei. — In Studio Bononiensi Fr.

Inquisitor haereticae pravitatis sub D. Ludovico Burbonio episc. Leodiensi quod munus iam mense Julio a. 1471 exsequi inchoavit; sub 18 Maii 1472 in capitulo provinciali nominatur regens studii Leodiensis, invitis tamen priore et conventu. Demum ad instantiam laudati episcopi sub 16 Nov. 1474 nominatur episcopus Dariensis et suffraganeus Leodiensis, et 23 eiusdem anni et mensis consecratur in capella hospitalis Anima dicti Romae. Ab a. 1489-92 nuncupatur episcopus Bethlehemensis, ultimo vero priorem titulum resumpsit. Circa acta eius cf. *Revue Bénédictine*, 1912, 456.

(1) Theobaldus Scoltet, Provinciae Saxoniae.

(2) Arnoldus de Insula. Fuit nepos Galhardi de Rupe, Tolosae natus et educatus, praedicator clarissimus, cuius commentarium in Sententias celebre habebatur. Obiit provincialis Tolosanus 12 Oct. anno, ut videtur, 1487.

(3) Joannes de Logeto. Supra Joannes de Villo Longuette.

(4) Joannes Alberti. Religiosus istius nominis a. 1492 fuit sacrista conventus Florentini; quaeritur fuitne identicus cum illo de quo hic agitur?

(5) Girardus Albi. Dubio procul idem ac Guichardus Albi qui a. 1478 socius fuit provinciae Provinciae; utrum vero insuper identicus cum Geneto Albi qui a. 1462 ad studium Montispessulani destinatur incertum relinquo; videtur tamen minus probabile.

(9) Guilhelmus Assimari seu Assunari.

(7) Petrus Sariani. Idem sane qui a. 1488 Petrus Suriani audit, prov. Aragoniae.

(8) Joannes Bernandi. Probabiliter idem ac Jo. Bonandi in capit. sequenti memorandus.

(9) In studio Perpinianensi. Guilielmus Zaxat.

Fredericus Merlestat (1); Marcus de Venetiis, et Fr. Fredericus de Bolonia. — In Studio Florentino confirmamus Fr. Eliam (2) pro primo anno, et promovemus Fr. Thomam de Cicilia pro anno D.ni M.CCCC.LIX. — In Studio Senarum Fratres Jacobus Vile. — In Studio Paviae Fratres Bonni (3); Christophorus (4), et Anthonius. — In Studio Paduae Fratres Stephanus de Paulilo, et Fr. Servedeus de Mantua, Andreas de Venetiis, et Fr. Franciscus. In Studio Neapolitano F.res Joannes de Riva, Nicolaus de Lucca (5), Petrus de Mariso consequenter. In Studio Lovaniensi sub. Ven. M. Regente Fr. Gauffrido Lot (6), Fratres Henricus de Maris novi (7), et Fr. Joannes Inguen (8). In Studio

---

(1) Fredericus Merlestat. Provinciae Saxoniae?

(2) Helias. I. e. de Francia de quo supra.

(3) Bonni (?), Vide infra ad capit. 1472.

(4) Christophorus. Probabiliter Christophorus Martignonus de Brixia qui 16 Martii 1457 Bononiae artium doctor factus est, postea vero Generalis Ordinis.

(5) Nicholaus de Lucca. Postea de Lucia. Lezana Annal. IV, 103.

(6) Pro Gauffrido Lot lege Godefrido de Loe.

(7) Henricus Maris Novi. Pro isto nomine evidenter corrupto legendum est Henricus Marianauensis. Plures fuerunt religiosi istius nominis quos distinguere oportet. Primus occurrit a. 1422 quo a sua provincia (Alemanniae inferioris) per tres annos ad studium Anglicum destinatus fuit (Koch, 137). Hic circa annum 1440 episcopus Bornaxeugensis creatus fuit, at fatetur Julianus a S. Norberto sibi incompertum esse quis episcopatus titularis sub hoc nomine lateat. Fuit tamen suffraganeus Mindensis exercens munus episcopale per ducatum Clivae. — Alius, de quo hic agitur, fuit Henricus de Brommelsheim, a patrio conventu Marianauensis, — in inferiori Saxonia — dictus. Fuit iste a. 1448 informator Bruxellis ; 1456 lector ibidem, sicut etiam annis 1461 et 62 ; ab a. 1463 usque 73 erat prior et lector in suo conventu Marianau., necnon diffinitor in aliquibus capitulis provincialibus ; tandem ab a. 1474 episcopus Astracanensis et suffraganeus Hildesheimensis. — Insuper memoratur quidam Henricus Marianauensis de quo B. Baptista Mantuanus Arnoldo Bostio scribit a. 1475 : « Audivi quemdam Henricum in ea parte Germaniae quae Pannoniam attingit astrorum et coeli scientia clarissimum ante paucos annos decessisse. Hunc quoque Ordinis nostri non inutile membrum curato aliis inserere ». (Monumenta, 491). Re quidem vera adscribunt Henrico

Cadomen. Fr. Petrus Yse, Gauffridus Ponbelle, Petrus Theot (1). In Studio Pictaven. Fr. Yvo Guiseur, Stephanus Buerandi, Petrus Gommery, Joannes Chenrien. In Studio Burdegalen. Fratres Dominicus de Monte Lugduno, Joannes Valliati, Bertrandus de Barola, Antonius Solerii.

(50-b) Sequuntur Constitutiones et provisiones.

In primis sequentes ordinationem Capituli Romani, praecipimus omnibus Prioribus Provincialibus, et localibus et districte mandamus, ut firmiter observari faciant Regulam per felicis recordationis D.num Eugenium mitigatam, ipsamque Regulam et Constitutiones frequenter faciant legi in Capitulo vel Refectorio, et interpretari in vulgari ; ita ut ab omnibus intelligi possint, seque

---

(seniori) librum *De siderum cursu*, unde forte pro Pannonia legendum esset Hannonia, nisi forsan ageretur de quodam tertio fratre eiusdem nominis, provinciae Saxoniae.

(4) Joannes Inguen. Hannoniensis, baccalaureus, scriptor. Fuit primus prior conventus Angiensis post reformationem introductam, et obiit 3 Sept. 1473 Thenis. Isti religioso debetur reformatio conventuum Alemanniae inferioris quam postea B. Joannes Soreth fovit et auxit. Extat documentum quo iste frater renuntiavit privilegiis et licentiis usitatis et reformationem amplexus est, quod hic inserere iuvat : « Ego frater Joannes Iguen ad praesens humilis prior hodie de proprietatis vitio et abusu corde doleo et Tibi Deo et Ordini omnia temporalia quae hucusque iniuste detinui et in futurum habiturus sum prompta mente restituo cum proposito numquam repetendi. Atque insuper omni dignitatis et status mei privilegio sub praetextu sanctae reformationis promptissime resigno et de huiusmodi in perpetuum gaudere nolo. Conforta me Deus ut compleam et finem meum in sancta vita perficiam. In die Hieronymi 1449 ».

(5) Petrus Theot. Sub die 8 Junii 1463 Petrus Theaudi Ord. Carmelitarum doctor in universitate Bononiensi renuntiatus fuit. Quaeritur quis iste fuerit. A. 1469 occurrit diffinitor provinciae Bohemiae Mag. Petrus Trot quem luberet cum isto identificare nisi obstaret quod etiam provincia Alemanniae Superioris eo ipso tempore filium eiusdem nominis habebat, nempe Petrum Trot, seu Trock qui a. 1445 in Anglia studiis praeliminaribus vacavit, 49 informator physicae et logicae Viennae fuit, 51 studens theol. pro primo anno vacante, et magister novitiorum Nurnbergae, 52 studens pro secundo anno Tolosae, a 56 usque 1497 alternis annis prior et lector Votsbergensis. Amplius non memoratur. Usque dum fiat copia accuratius discernendi Bohemum inter et Alemannum sufficiat indicasse nomina eorum.

ad observantiam tam Regulae quam Constitutionum studeant coartare, sub poena depositionis ab Officiis.

Item Ordinamus, quod Fratres in observantia viventes, et qui postmodum illi vitae se dabunt, habeant Priorem per Canonicam electionem, habeatque Prior illum confirmare.

Item statuimus, quod nullus Fratrer possit extrahi, nec intra poni Priore et Conventu dissentientibus.

Item praecipimus et mandamus, quod Rubricae tangentes essentialia Regulae, ut puta de Apostatis, Rebellibus, vel lapsis in peccatum carnis, vel proprietariis sine remissione diligenter observentur.

Item confirmamus Constitutiones, vel potius prae constitutorum declarationem factam in Capitulo Avenionensi; quod nullus scilicet Prior Provincialis, aut Localis recipiat Fratres vagos, absque consensu suorum Praelatorum, sub excommunicationis poena.

Item inhibemus omnibus et singulis Fratribus, cuiuscunque gradus aut conditionis existant, quod amodo non discurrent ultra terminos proprios pro Indulgentiis promulgandis, neque procuratores aut quaestores aliorum efficiantur, sub poena privationis administrationis bonorum omnium, nisi pro Cruciata aut pro bono alicuius Conventus nostri Ordinis. Poterunt tamen caritative in Conventibus nostris et terminis eis assignatis eas simpliciter denunciare.

Item statuimus, quod nullus promotus de praeterito, aut promovendus in futuro ad legendum sententias, in aliqua Universitate, demptis Parisiensi, Oxomen. Cantabrigiae, Tholosae et Coloniae, possint quovis modo Gradus Lecturae recipere, absque licentia expressa Prioris Generalis non obstante quod in Littera suae promotionis haberetur, quod usque ad Gradum Magisterii procedat inclusive; et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae et privationis honoris et Gradus tempore perpetuo.

Remittimus Magistro Ordinis, quod possit assumere et mutare socios cum sibi bonum videbitur.

Item Capitulum Generale ordinamus celebraturum in Conventu Bruxellarum Provinciae Alamaniae Inferioris Anno Domini M.CCCC.LXII in Festo Pentecostes.

Item Diffinitores retinent suum posse usque ad Festum Corporis Christi.

(51-a) SEQUUNTUR ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI BRUXELLAE.

Anno Dñi M.CCCC. sexagesimo secundo, et Sexta Junii sub Praesidentia Prioris Generalis F.ris Johannis Soreth. Et fuerunt Diffinitores subscripti, quilibet pro sua Provincia. Pro Cicilia Fr. Nicolaus de Lucca; Anglia Mag. Johannes Milverton; Narbona M. Toussanus de Villanova; Francia M. Maturinus Clemenmentis; Alamania inferior M. Johannes Vets (1); Lombardia M. Franciscus de Mediolano (2); Aquitania M. Bernardus de Belloquo; Provincia Provinciae M. Pontius (3); Scotia Provincialis Fr. Johannes Walchs (4); Tussiae M. Iulianus de Florentia; Bononia M. G. de Ponte (5); Cathalonia M. Antho. Gintardi (6); Alamania Superiori Fr. Johannes Wilhammer (7); Vasconia M. Laurencius (8); Turonia M. Yvo de Bussis; Arragonia M. Pe-

---

(1) P. Vets. Nonne subest error calami pro Petro de Nova Ecclesia? Una cum capitulo generali celebrabatur Bruxellis capitulum Alemanniae Inferioris teste Juliano a S. Norberto.

(2) Franciscus de Mediolano. Recensetur a Martino Italo inter doctores italicos.

(3) Pontius, i. e. Raynaudi.

(4) Johannes Walshs. Melius Walsh, in documentis scotticis Wauch, doctor parisiensis, e conventu Domus Regiae (Kingussie) oriundus. Monumenta, 440.

(5) G. de Ponte. Vide infra ad capit. 1472.

(6) Anthonius Gintardi. Supra Gitardi.

(7) Johannes Wilhammer, alias Weylhamer. E conventu Augustensi oriundus a. 1429 ordinatur studens in artibus Nurnbergae, deinde ab a. 1430 usque 40 cursum physicalium et theologiae in universitate Viennensi percurrit, a. 1441 fit lector in patrio conventu, 43 in conventu Dinkelspuhlensi, et a 45 usque 49 in Ravensbergensi. 1449 fit prior et leetor Augustae quae munera per decennium explevit. 7 Aprilis 1459 (non vero 1456 ut erronee ait elenchus provincialium) constituitur provincialis, quam dignitatem usque ad obitum retinuit quae ante Septuagesimam 1473 accidit. Sepultus fuit in conventu Augustensi.

(8) Laurentius. I. e. Cauterii.

trus (1). De quorum assensu diffinitum est pro vestiario Mri Ordinis providebitur ei de centum D. Pro Regente Parisiis duodecim sc.; Pro Biblico ibidem sex sc.; pro Censibus Conventus Parisiensis XXV sc.; pro loco Procuratoris in Concistorio decem D.; pro pitancia eiusdem novem D.; pro Procuratore saeculari sex D.; pro Janitoribus primae custodiae tres D.; pro Janitoribus secundae custodiae quatuor D.; pro Regente in Curia decem D.; pro Festo Conceptionis decem D. Et distribuetur per Provincias modo sequenti. Angliae XXVIII; Narbonae XIII; Romae IIII; Franciae VIII; Alamaniae inferioris XIIII; Lombardiae XIIII; Acquitaniae IX; Hispaniae VI; Hiberniae V; Provinciae IX; Scotiae IIII; Tusciae X; Bononiae X; Tholosae IX; Cathaloniae XIIII; Alamaniae Superioris X; Vasconiae IX; Turoniae IX; Saxoniae VII; Aragoniae VI; Boemiae II; Daciae II.

Praeter praedictam summam ordinaverunt pro augmento victus Procuratoris in Curia XL D.; pro cera et carta IIII D.; pro diversis Cursoribus et Nunciis IIII D.; item pro Hospitibus, clenodiis et propinis XL D. Quae sic distribuentur quod solvet.

(51-b) Provincia Ciciliae singulis annis usque ad proximum Generale Capitulum VIII D. Angliae X; Narbonae V; Romae II; Franciae V; Alamaniae inferioris X; Lombardiae IIII; Aquitaniae IIII; Hispaniae II; Hiberniae I; Provinciae II; Scotiae I; Tusciae II; Bononiae IV; Tholosae III; Cathaloniae V; Vasconiae V; Alamaniae Superioris VIII; Turoniae IIII; Saxoniae I; Aragoniae II; Boemiae I; Daciae I.

---

(1) Petrus. Forte Johannes Petri qui in capitulo praecedenti provincialis Aragoniae fuerat.

M. S. Bodley 73 fol. 114 a sequentia habet: « Aliud capitulum celebravit Bruxellis 1462, ubi erat plus quam mille fratres, a principe Philippo Burgundionum duce et ab utroque statu plurimum honoratum, fitque propter indulgentias maximus populi concursus, in tribus quoque locis fit continua Verbi Dei seminatio, una alteri succedente a sexta mane usque ad undecimam et a prima usque ad sextam. In hoc capitulo renovavit statuta, fecitque librum, sunt etiam XXIV provinciae. » *(Mon. hist. p. 259)*. In aliis capitulis illo tempore simili modo agebatur,

SEQUITUR ORDINATIO PROVINCIALIUM.

Provincialis Terrae Sanctae M. Ja. de Regio ; (1) Ciciliae M. Paulus de Viscontis ; Angliae M. Johannes Milverton ; Narbonae M. Theodoricus de Aquis ; Franciae M. Maturinus Clementis ; Romae M. Stephanus Kernon (2) ; Alamaniae inferioris M· Petrus de Nova Ecclesia ; Lombardiae M. Anthonius de Mediolano, Aquitaniae M. Bernardus de Velloqueto (3) ; Hispaniae M. Johannes Raymundi ;(4) Hiberniae Fr. Thomas Walchs; Provinciae M. Jacobus Jacobi ; Scotiae M. Joannes Walchs; Tussiae M. Julianus Philippi ; Bononiae M. G. de Ponte ; Tholosae M. Galiardus de Rupe ; Cathaloniae M. G. Perilhonis ; (5) Alamaniae Superioris Fr. Joh Wilhamer ; Vasconiae M. Laurentius; (6) Turoniae Fr. Jo. de Nuce (7) ; Saxoniae,.. Daciae et Norvegiae Fr. Mathyas (8) ; Boemiae et Poloniae Fr. Bernardus Cruze.

SEQUITUR ORDINATIO STUDENTIUM

Et primo Parisiis ordine sequenti legant Bibliam Fr. Jac. de Castro ; Fr. Gau. Quatrevilis ; Fr. Ni. di Castro ; Fr. Guido Egidii ; Fr. Cristophorus Bolst (9) ; Fr. Anthonius Cales ; Fr.

---

(1) Jacobus de Regio. Venetus, doctor Bononiensis 4 Ian. 1451 « in divinis Scripturis doctissimus et saecularibus literis magnifice imbutus, trium linguarum, hebraicae, graecae, et latinae peritus, ingenio clarus, eloquio disertus, metro excellens, notabiles sermones per Quadragesimam scripsit, alia multa metro complevit. Tandem episcopus Pentapolitanus creatus ».

(2) Stephanus Kernon. In superiori capitulo Quenon. Nota etiam scribam hic Paulum de Viscontis provincialem Terrae Sanctae, Stephanum Quernon provincialem Romae enumerasse. in superiori capitulo vero versa vice.

(3) Bernardus de Vellogeto. Antea Belloquo etc.

(4) Johannes Raymundi. Seu Ramonis, cf. P. 186 nota 1.

(5) G. Perillonis. Gulielmus Perelhonis etc.

(6) Laurentius. I. e. Cauterii. Vide infra.

(7) Johannes de Nuce. Monumenta, 435.

(8) Mathyas. In sequenti capitulo Mathias Strenonis.

(9) Christophorum Bolst. Videtur idem qui in sequentibus Christophorus Borel seu Borelli nominatur.

Martinus Hexg; Fr. Io. Gayeti (1); Fr. P. Comiri (2); Et uno cedente sequens succedet ei secundum ordinem.

THOLOSAE.

Bern. de Sallesiis; Bern. de Sacca; Yvo Perion; Gagliardus de Voria; Io. Bonandi: Guill. Bandelli; Guill de Aquario; Ber. de Cabya. Extraordinarie Mattheus Walme; Jo. Mac Sam (3); Nicholaus More (4); Jo. Beneti.

IN AVINIONE.

Sobaldus Knof (5); Petrus Peliodi; Petrus Cormeni; Ant. de Solerio; Jo. Braunerii; Michael Sanail; Jo. Laterdi; Vincentius Mileti; Bern. Sabaten.

---

(1) Johannes Gajeti. Melius Gayoti. Monumenta. 428.

(2) Petrus Comiry. Seu Comury. Alias Cormeni, Habuit hic fratrem uterinum Eustachium nomine (postea memorandum) qui uno eodemque die eum ipso in Ordine susceptus fuerat; uterque fuit doctor insignis, Eustachius quidem disputator acutissimus, Petrus vero praedicator egregius. Uterque decessit in conventu Monstreolensi, sed Eustachius superstes remansit usque 20 Junii 1505 quo die notat Petrus Terrasse in visitatione sua: « Ven. Mag. Eustachius prior Monstreolis habuit potestatem recipiendi fratrem seu fratres qui iam cum improbis reformatoribus videlicet Ludovico de Lira et companiis degerunt, volens ad verum pastorem reducere in conventu Monstreolis ».

(3) Johannes Mac Sam.N omen corruptum; nonne Malcolm?

(4) Nicholaus More. A. 1459 magister novitiorum Nurnbergae, 1460 destinatur ad studium Parisiense per triennum pro forma lectoratus; 1463 lectoratus eius ratus habetur ipseque fit tertius diffinitor necnon lector Ravensbergae usque a. 1473 quo in eodem munere Nurnbergam mittitur. Interim baccalaureatum in theol. adeptus est. 1478 fuit quartus diffin. et prior Esslingensis usque 1492, ac deinceps prior Ravensburgensis, ac in capitulis 1488 et 92 primus, a. vero 1500 secundus diffinitor et iterum lector Nurnbergae. Amplius non memoratur.

(5) Sebaldus Knof. Sebaldus (una vice ex errore dicitur Osvaldus) Knopf de Nurnberga mittitur a. 1449 Viennam pro simplici forma, a. 1451 est studens ibidem pro tertio anno simplicis logicae et gram-

IN MONTE PESSULANO.

Genetus Albi. Filibertus de Verneis; Thom. de Voragia; Anthonius Poncii; Antho. Filiolis; Bernardus Sanderii.

In Florentia. — Leonardus Mathei (1); Reynerius Silvestri (2); Jo. de Prato (3); Philippus de Bussolla. — Paduae: Jac. de Ca-

---

maticae. 1453 ibidem vacat philosophiae pro primo anno, sequenti vero destinatur Paduam per biennium, 1456 pro secundo anno Avinionem, 1458 nominatur informator primo anno Viennae et altero Ravensburgae, 1459 est studens theologiae Parisiis, item 1460 pro forma lectoratus, 1463 rata habetur promotio ipsius ad lectoratum Tolosae facta, nominatur etiam prior Linzensis, 1467 est lector in Nova Civitate, 1473 Weissenburgae sine taxa, 1478 committitur provisio pro baccalaureatu ipsius provinciali, 1484 fit lector Bambergae et 1484 te m Nordlingae. Deinceps acta provinciae de eo tacent.

(1) Leonardus Mathei. De eo Necrologium Florentinum sub die 15 Julii 1471: « in s. pagina magister ac valde utilis, obiit in conventu Pisarum atque prior eiusdem conventus ». De cuius curriculo sequentia constant: A. 1450 et 51 fuit studens grammaticae Florentiae, 1452 ibidem in artibus, 1453 studens Bononiae, 1459 accessit ad capitulum provinciale tamquam socius prioris Florentini, ibique electus fuit primus diffinitor, necnon prior et lector Florentiae, 1460 tunc baccalaureus existens confirmatur prior Florentiae et nominatur vicarius provinciae pro absentia provincialis, 1461 sec. diffinitor et socius provincialis, 1463 primus diffinitor et socius provincialis sicut etiam annis 65 et 66, sequenti anno 1467 tertius diff., prior Florentiae et socius pro capitulo generali, et cum capitulo prorogatum fuerit in eodem officio confirmatur sequenti anno. Tandem 1471 quo magistri titulum habet fungitur officio primi diffinitoris et nominatur prior Pisarum.

(2) Rainerius Silvestri. Vide supra.

(3) Joannes de Prato. Plenum nomen celeberrimi religiosi istius fuit Joannes Laurentii de Mangis de Prato. A. 1452 destinatur a provinciali studens in artibus Florentiae sicut etiam anno sequenti. In actibus capituli 1461 ista habentur: « Acceptaverunt et confirmaverunt Joannem de Prato in lectorem eo quod bene se habuit et sufficientissime in disputatione sua in capitulo provinciali Lombardiae prout patet in littera testimoniali provincialis et diffinitorum. Insuper promoverunt eundem fratrem ad gradum bachalariatus ad capitulum generale proxime futurum ». Anno 1468 memoratur prior Pisarum Joannes... de Prato. Sequenti a. iterum prior Pisarum et secundus diffi-

liis*; Nicholaus de Amato; Michael de Magono (1); Ludovicus de Paulilo.

(52-a) Ferrariae Ludovicus de Cremona (2). — Cadomi — Fr. Io. Brindel; Fr. Petrus de Pratis (3); Fr. Pe. Nunnebodi; Fr Mathaeus Paelii; Fr. Eustacius Connri (4); Fr. Simon Morius..

Papiae. — Jo. Mariani de Papia. — Andegavis Michael Perreti, Joannes Fonsan, Guilh. Ronalen.

Pictavis. — Laurentius Misterii (5) pro anno sexagesimotertio, consequenter Jacobus Blion, Jac. Gombert. — In Papiano. —

---

nitor et simile munus exercebat in capitulis 1471 et 1475, quo ultimo anno necnon duobus sequentibus etiam priorem Prati agebat, 1477 insuper primum diffinitorem et socium pro capit. generali, 1478 eligitur provincialis quo in munere usque ad annum 1483 confirmatur; de duobus sequentibus annis non constat, at 1486 iterum nominatur prior Prati, tunc vicarius generalis existens. In altero capitulo eiusdem anni fuit primus diffinitor, et patres ratum habuerunt id quod generalis disposuerat de conventu Prati et de Mag. Jo. de Mangis priore et vicario generali, 1487 fuit prior Florentiae, 1488 iterum Prati, sed 1489 suspensus fuit eo quod visitatorem noluerat recipere, 1492 et 93 denuo agit priorem ibidem, necnon diffinitorem 2m, et providetur sibi de 25 florenis pro expensis eundo ad capitulum generale. Insuper conceditur ei ut possit locare domos et praedia conventus ad lineam masculinam et super his Breve apostolicum impetrare, attamen provincialis inspiciat computa eius in quibus videtur neglegentius egisse, 1496 est secundus diffinitor, 96 fit filius conventus Senarum. 98 ibidem prior, 1504 prior Prati ex dispositione vicarii generalis, 1506 primus diffinitor et vicarius generalis super conventum Prati. Obiit Prati 8 Julii 1512 ibidem sepultus. Necrologium notat eum per duos annos provincialem fuisse, sed debuit dicere per sex.

(1) Michael de Magone. Postea Magron et Macrol dictus. Siculus, doctor Bononiensis 3 Febr. 1467.

(2) Ludovicus de Cremona. Sermonem habuit ad capitulum a. 1466. Fuit olim prior Mantuae, et 1471 Vicarius Generalis Congr. Mant. (Vaghi p. 101).

(3) Petrus de Pratis. Conventus Pontisaudomaris, a. 1476 ad universitatem Bituricensem destinatus ubi sub Maturino Clementis promotus fuit.

(4) Eustacius Connry. Vide supra sub vocabulo Petrus Comiri.

(5) Laurentius Misterii. Videtur error calami pro Mortario.

Garsia Garses. — Viennae Jo. Helpole (1), Jo. Tinctoris (2). — Herfordiae Henricus Tismelen (3).

Et fuerunt F.res Joannes Hubach (4), Fr. Leopardus Hubas, et Joannes Mulner (5) cum suis fautoribus, propter rebellionem et contumaciam declarati excommunicati, cum iis qui eisdem communicabunt, et adiudicati ad perpetuos carceres, et condemnati

---

(1) Joannes Helpole. Male legit scriba nomen istius religiosi insignis cuius verum nomen erat Hernpower. Anno 1456 nominatus fuit informator et magister studentium Viennae, 1458 et 59 cursor theol. et mag. studentium ibidem, 1460 rector studii Viennensis quo in munere confirmatus fuit 1463 et 67, hoc ultimo anno titulo baccalaurei formati theol. insignitus. 1471-73 fuit prior converttus Novae Civitatis et lector ibidem, 1475 et 78 rector studii Viennensis, 1479 adhuc rector, quartus diffinitor provincialis et magister theol. Postea non memoratur.

(2) Joannes Tinctoris. De Weissenburg oriundus, a. 1451 destinatur ad studium Viennense pro tertio anno simplicis logicae et grammaticae, sequenti anno Coloniam pro philosophia, 1454 Paduam pro eadem materia per biennum; 56 informator Viennae per triennium, 58 cursor theologiae, 60 « promotio (ipsius et quorundam aliorum) stet in suspenso usque dum Magister Ordinis responsum dederit ». 1464 « stet ut promotus est per capitulum generale ». 1467 iam baccalaureus factus mittitur Viennam ad complendum cursum. 1469 usque 73 fuit prior Montis Dei. Deinceps nullus de eo sermo occurrit.

(5) Henricus Tismelen. Male titubavit scriba in nomine. Fuit enim Henricus Smidel seu Smidlin. Duo fuerunt religiosi eiusdem nominis, eiusdemque provinciae et temporis, quorum primus prior Bambergensis, erat a 1447 usque 54, et ab isto anno usque 84 prior Nurnbergensis, pluriesque diffinitor in capitulis provincialibus. Designatur perinde senior ad distinguendum ab altero de quo hic agitur. Is fuit studens Erfordiae 1456, deinde, ab a. 59 ibidem studens theologiae, et a. 60 pro forma lectoratus « in propriis tamen expensis nisi in quantum consultum est aliis stipendiare ». 1463 rector studii Erfordensis, 69 baccalaureus et rector studii Viennensis, 71 socius provincialis et praedicator Augustae, ac tandem 1473 prior Augustensis. Paulo post videtur vita excessisse.

(4) Joannes Hubach. Vide supra ad a. 1447.

(5) Joannes Mulner. Lector et poenitentiarius archiepiscopi Coloniensis. Hi tres cum quibusdam aliis contra reformationem conventus Coloniensis a Beato Joanne Soreth introductam insurrexerant.

ad restitutionem ablatorum bonorum, et ad expensas inde secutas, prout latius patet in Instrumento Sigillo Communitatis confirmato.

Item positum est perpetuum silentium super discordia terminorum Conventuum Bituricis et Castrae, et etiam Conventuum Bellivisus, et sancti Marcellini ac incorporationis Conventus Aneci in Provincia Turoniae.

Item ordinatum est, quod nullus impetret, vel impetrare faciat per se vel per alium a Praelatis, Principibus et Magistratibus litteras quascumque pro mutatione status Conventuum unde Praelati nostri Ordinis molestentur sub poena excommunicationis. Per hoc tamen non intelligentes, quin secundum statuta Praelati possint contra rebelles petere Praelatorum et Principum auxilium ad compellendos Fratres vivere iuxta Ordinis Statuta.

Item statutum est, quod nullus Conventus in Ordine compellatur vivere cum stricta observantia, dissentiente maiori, aut saniori parte Conventus, nisi cum consensu Provinciae aut Diffinitorum Capituli tunc praesentis aut praecedentis.

Et reddidit R.mus M. Ordinis coram Diffinitoribus praesentis Capituli computa de tempore praeterito, et recompensatis expensis extraordinarie factis, ascendebant recepta ad centum viginti D. ultra expensa quae manent in Deposito Ordinis.

Fr. NICOLAUS DE LUCCA
Diffinitor Scotiae (1)

MATURINUS CLEMENTIS
Diffinitor Franciae

SEQUUNTUR ACTA CAPITULI GENERALIS

In Conventu Aureliaci Provinciae Aquitaniae celebrati anno M.CCCC.LXIX., XXI die mensis Maii; Praesidente Fr. Johanne Soreth Priore Generali. Et fuerunt Diffinitores subsequentes subscripti.

Magister Christophorus de Brixia (2) Provincialis Terrae Sanctae; M. Guill. de Guidonibus (3) Provincialis Ciciliae; M. Guill.

---

(1) Scriptor videtur errasse, nam Nicolaus de Lucca fuit Definitor Siciliae.

(2) Christophorus de Brixia, I. e. Martignon. Monumenta, 240, 259.

(3) Gulielmus de Guidonibus. Fuit prior Agrigenti.

Foriaf Provinciae Angliae; M. Humbertus Rauderii Prov. Narbonae; M. Petrus de Laleu Prov. Franciae; M. Martinus de Mongoy (1) Provincialis Alamaniae inferioris; M. Anthonius de Marinis Provincialis Lombardiae; M. Jo. de Belloqueto Provincialis Aquitaniae; M. Bernardus de Monteza (2) Aragoniae; M. Jacobus Jacobi Prov. Provinciae; M. Julianus Philippi Prov. Tusciae; Fr. Jacobus Callia Baccalarius Bononiae; M. Gaillardus (3) Provincialis Tholosae; Fr. Mathaeus Calveti Cathaloniae; Fr. Johannes Carpentarij Provinciae Alamaniae Superioris; M. Helyas de Hoyardis (4) Provinciae Vasconiae; M. Petrus Gutrintugno Provincialis Thuroniae; M. Jacobus Raymondi (5) Provincialis Castelle; M. Petrus Trot (6) Provincialis Boemiae.

De quorum assensu diffinitum est ut sequitur:

Provincia Siciliae singulis annis usque ad Capitulum futurum solvet XXVII Duc.; Angliae XXXIX; Narbonae XIX; Romanae VIII; Franciae XIII; Alamaniae inferioris XXV; Lombardiae XIX; Aquitaniae XIIII; Aragoniae IX; Hyberniae VI; Provinciae XII; Scotiae V; Tusciae XIII; Bononiae XV; Tholosae XII; Cathaloniae VIII; Alamaniae Superioris XIX; Vasconiae XV; Turoniae XII; Saxoniae IIII; Castellae IX; Bohemiae et Poloniae III; Daciae et Norvegiae III.

Item advertendum, quod Prior Generalis reddidit computa de omnibus receptis taxatis a Capitulo Generali Bruxellae celebrato, et restantia praefati Capituli et etiam de receptis aliquarum Provinciarum pro procuranda canonizatione Beati Andreae Florentini, pro qua receperat a Provincia Angliae, LX scuta auri; ab Aquitania XL scuta; a Turonia XXX; a Francia LVII; ab Aragonia XIX; a Provincia Provinciae XXII; a caeteris nihil. Et computatis computandis, defalcatis defalcandis, (52-b) remansit Communitas Ordinis, eidem Priori Generali et suis creditoribus

---

(1) Martinus de Mongoy. Montjoie, vide supra Martinus de Aquis, ad capit. 1447.

(2) Bernardus de Monteza. Lez. Annal. IV, 1447, n. 7.

(3) Gaillardus. I. e. de Rupe.

(4) Helias de Hoyardis. I. e. Doardi vel similiter, supra P. 196, nota 2.

(5) Jacobus Raimondi. Supra P. 186, nota 1 Johannes Raimundi seu Ramionis. Scriba in praenomine errasse videtur.

(6) Pretrus Trot. Supra ad capit. 1456.

in ducentis octuaginta duobus ducatis; de qua summa relaxavit Generalis Comunitati Ordinis LXXXII ducatos sicquod solum tenemur eidem de receptis et expensis ordinariis et extraordinariis in summa ducentorum ducatorum.

SEQUUNTUR EXPONENDA SUPER RECEPTIS FUTURIS.

Primo pro vestiario centum; pro Familiaribus XII; pro cera et charta IIII; pro diversis Nunciis et Cursoribus IIII; pro hospitibus et clenodiis, propinis et audientiis XL; pro Regente Parisiis XII; pro Biblico Parisiensi VI; pro censibus Conventus Parisiensis XXV; pro loco Procuratoris in Concistorio X; pro pittancia eiusdem IX; pro Procuratore saeculari VI; pro Ianitoribus primae custodiae III; pro Ianitoribus secundae custodiae IIII; pro Regentia X; pro Festo Conceptionis X; pro augmento victus eius XL. Summa exponendorum ducentorum XCV ducat. Et transcendit summa receptorum summam expensorum in decem et novem ducatos.

Sequitur ordinatio Provincialium. Provincialis Terrae Sanctae Fr. Matheus de Pensamo (1); Provincialis Siciliae M. Guill. de Guidonibus; Angliae M. Joannes Milverton; Narbonae M. Humbertus Rauderii; Franciae M. Petrus de Laleu; Romanae M. Bartholomaeus de Capharis; Almaniae inferioris M. Martinus de Mongone (2); Lombardiae M. Anthonius de Marinis de Mediolano; Aquitaniae Fr. Jacobus de Falegiis; Aragoniae M. Laurentius Garsie, et Vicarius super omnes Provincias Hispaniae M. Bernardus de Montesa; Provincialis Provinciae M. Jacobus Iacobi; Scotiae Fr. Johannes Walch; Tusciae M. Julianus Philippi; Tholosae M. Guillardus de Rupe; Cathaloniae M. Natalis Bicham (3); Alamaniae Superioris Fr. Joannes Weylhamer; Vasconiae M. Laurentius Cauterii (4); Turoniae M. (Petrus) Gutrimenguy; Castellae fiet per electionem sub praesidentia M.ri Ber-

(1) Mathaeus de Pensamo. Alias de Pensauro.

(2) Martinus de Mongone. Supra ad capit. 1447 Martinus de Aquis.

(3) Natalis Bicham. Videtur is qui infra Viacana dicitur, nescio quid nomen sub istis vocabulis lateat.

(4) Laurentius Cauterii. Conventus Tarbiae, professor s. theol.

nardi de Montesa; Provincialis (Saxoniae) M. Federicus Mellerstat; Bohemiae et Poloniae Fr. Bernardus Rauzo; Daciae Fr. Mathaeus Strenonis (1); Procurator in Romana Curia M. Christophorus de Brixia (2).

Sequuntur variae contributiones pro canonizatione Carmelitarum procuranda. Provincialis Angliae misit LX coronat.; Aquitaniae XL scuta; Turoniae posuit in cambio L regalia recepi L D.; Franciae tradidit Oliverio Brugis (3) XLIIII scuta; Conventus Monsteroli tria; Ganden. octo scuta cum XXXIIII grossis Magister Provincialis receperat IIII scuta cum (4) VII grossis; Aragoniae XIX scuta; Provincialis Provinciae XXII D.; Poloniae VIII D.; Vasconiae VIII D. De quibus reddidit M. Generalis computum, ut praemissum est. Nomina autem eorum qui non contribuerunt exprimentur in fine statutorum. Item ad Requestam Nobilis Vicecomitis de Vivonia Domini temporalis de Moctanis, ordinarunt Diffinitores, quod Provincialis Provinciae Aquitaniae habeat illum Conventum reformare, quod Deo debite serviatur, et honestas vitae conservetur. Infra Festum Michaelis habeat providere, sub poena amissionis illius. Volentes quod si infra dictum tempus non fuerit Conventus debite reformatus evidenter, et cum effectu, quod Prior Generalis habeat incorporare Provinciae Turoniae.

(53-a) SEQUUNTUR INSTITUTA.

Districtissime in virtute sanctae obedientiae Prioribus Provincialibus, et Localibus, Vicariis et Supprioribus, et singulis Fratribus praecipimus, iuxta Ordinis et Canonum instituta Divinum servitium diurnum pariter nocturnum dicant, et celebrent, dici et celebrari faciant tractim, et devote cum proportione et mensura, bona pausa in medio. Si qui autem contradicere huic reperiantur, ut rebelles puniantur.

Item in omnibus Provinciis et Conventibus uniformitas servetur in vestibus, cantu et modo legendi, et psalmodiandi, et accentuandi: et teneantur Provinciales ad uniformitatem reducere

---

(1) Matheus Strenonis. Lege Mathias.

(2) Christophorus de Brixia. I. e. Martignon.

(3) Oliverius Brugis. Probabiliter mercator quidam.

(4) Hic lectio dubia est.

Fratres suos, et compellere eos ad tenendum Ordinale, instituta, tam quoad Officium, quam quoad cantum et ceremonias, et faciant diligenter deleri malas consuetudines quae inoluerunt in multis conventibus contra Ordinis instituta; et contradicentes his poena rebellium districtius puniantur.

Item in virtute sanctae obedientiae, et sub transgressione professionum, districte praecipiendo, mandamus Prioribus Provincialibus, Localibus, et quibuscumque Praesidentibus, quatenus ad corrigendos, puniendos, et iuxta Ordinis instituta plectendos insolentes, scandalosos, brigosos, apostatas, linguosos et ebriosos, et coeteros maleficos, diligenter cum sollecitudine invigilent ad observanda Dei et Ecclesiae mandata, Ordinis Regulam mitigatam et statuta omnes Fratres suos omni dissimulatione postposita compellant.

Item declaramus quod per postulationes Priorum quae a quibusdam Provinciis solent fieri, quando itur ad Capitulum Provinciale, nullum ius acquiratur, quare Diffinitores Capituli non possint libere et sine cuiuscumque contradictione Priores constituere, et destituere, pro ut iuxta conscientiam videbitur eis expedire; quia tales postulationes supplicationes sunt, et non electiones, et soli gratiae innituntur.

Item volumus, quod Constitutio de contumacibus, erigentibus se, et rebellibus, ac usurpantibus practice, diligenter, et rigide applicentur poenae. Et quia Fr. Joannes de Cimiterio (1), et Henricus le Chenrica Conventus Turonen. comperiuntur conspirasse contra Priorem Generalem, et alios Praelatos, nec voluerunt obedire mandatis Diffinitorum Capituli Provincialis, pertinaciterque in sua rebellione manserunt; declaramus, ipsos, cum complicibus suis, fore excommunicatos, privatos omni gradu, et honore, et inhabiles ad quaecumque officia, et carceri deputandos, iuxta Ordinis instituta.

Item renovamus Constitutionem de Apostatis non recipiendis ad misericordiam Ordinis, nisi a Priore Generali, aut suis Provincialibus, vel eorum Vicariis. Declarantes omnes cuiuscumque gradus sint; qui citra Capitulum Bruxellen. receperunt fugitivos non suos subiectos, sententiam excommunicationis incurrisse.

Item mandamus, quod Priores diligenter observent Rubricam

---

(1) Supra ad An. 1444.

de Officio Prioris Localis, in qua dicitur quod Regulam et Constitutiones legere et intelligere et ad observantiam tam Regulae mitigatae, quam Constitutionum in dicto Capitulo Bruxellensi promulgatarum, et in praesenti adprobatarum, et confirmatarum, se et suos subditos efficaciter coerceant.

Item nullus Prior Localis sine licentia sui Provincialis amodo pueros recipere *(quaedam desunt)*.

Item Priores omnes Fratres suos, tam Clericos, quam Laicos, laborare et operari faciant; et ad hoc, si opus sit, compellant scilicet ad studendum, scribendum, nec permittant eos vage discurrere. Et si Provincialis reperiat Priores circa hoc negligentes, post secundam admonitionem teneatur illos deponere.

Item cum Prioribus Localibus sit omnium de Conventibus suis animarum cura commissa, teneanturque illis obedire humiliter cum sint eorum Praelati, nullus qualitercumque Graduatus etiamsi Doctor Theologiae praesumat se illis praeferre, sed in omni loco eis deferat reverentiam, et contra insolentes assistat.

Item promovendi ad Baccalariatum habeant per assertionem quorumdam Venerabilium honestae vitae fidem facere, quorum aliqui fuerunt eorum Priores, et alii Magistri, aut Lectores, quod tales sint honesti, non brigosi, rixosi, nec scandalosi, etiam quando recipientur.

Item mandamus omnibus Provincialibus, qui non collegerunt subsidium pro processu ad Canonizationem Beati Andreae quod cum bona discretione imponant Fratribus usum bonorum habentibus in suis Provinciis; praecipiendo omnibus et singulis Fratribus, quatenus suis Provincialibus in hoc compareant, atque contribuant juxta illorum discretam impositionem, sub poena excommunicationis latae sententiae praecedente trina admonitione.

Et sunt Provinciae quae non contribuerunt :

Prima Ciciliae, 2 Narbonae, 3 Romana, 4 Alamaniae inferioris, 5 Lombardiae, 6 Hiberniae, 7 Scotiae, 8 Tusciae, 9 Bononiae, 10 Tholosae, 11 Catholoniae, 12 Alamaniae Superioris, 13 Saxoniae, 14 Castellae, 15 Daciae et Norvergiae.

(53-b) Sequitur Ordinatio Promotorum ad Bacchalariatum.

Primo ad Studium Parisiense Fr. Gratianus Luppi ad Bibliam; Fr. Natalis Ceneo (1) pro anno LXX; Fr. Michael de

---

(1) Nathalis Ceneo. Postea Chanon vel Chanieu dictus.

Haga; Fr. Antonius Camelerii; Fr. Petrus Colin; Fr. Petrus Vigneron.

2. Ad Studium Tholosanum Fr. Galhardus de Duroforti, Fr. Petrus Augerii, Fr. Johannes Ysaac, Fr. Petrus Ouffre, Fr. Joannes Gaij, Fr. Johannes Sonerijs, Fr. Johannes Petrus Salveti, Fr. Ludovicus Maleruffi, Fr. Mathaeus Cantonis (1).

3. In Studio Romano Fr. Baptista de Modeneto de Mantua.

4. In Studio Avinionensi Fr. Matheus Balme pro primo loco. Fr. Glaudius Quine, Fr. Silvester Rason, Fr. Hugo Cormont, Fr. Johannes Laurencii, Fr. Johannes Millonis, Fr. Ludovicus Servientis.

5. In Studio Montis Pessulani Fr. Guido Dandrahem (2), Fr. Joannes de Coperio (3), Fr. Guill. Guitardi, Fr. Petrus Chenonardi (4), Fr. Joannes Valdraco, Fr. Joannes Theobardi, Fr. Laurentius Burelli (5), Fr. Bernardus Aune. 6. In Studio

---

(1) Matthaeus Cantonis. Alias Shanton, Scandonc. Scripsit super Sentent. opus insigne quod morte praeventus non dedit impressioni iuxta intentum. Item in grammaticam opus iuvenibus valde utile et omni commendatione dignum. Item carmen quoddam de S. Nicholao edit A. 1480 cum regeret scholas in Castro Saraceno, item de S. Catharina 1485 cum regeret scholas Albiae in s. pagina licentiatus. Hic reformationi se dedit in conventu Albiae et ob. ut fertur A. 1506. Ita Balaeus.

(2) Guido Dandrahem. Melius de Andrehem, dictus Theutonicus (Luxemburgensis) conventus Leodiensis, 10 Julii 1459 Bononiae gradum magisterii adeptus est. A. 1473 fuit prior in conventu patrio. Teste Norberto incertum est utrum ipse an Joannes de Gouda scripserit *Scutum Carmelitarum*.

(3) Joannes de Coperio. Conventus Turonensis, doctor Montis Pessulani, Petro duci Bourboniae et eius consorti Annae (sorori regis Caroli VIII) a confessionibus: 27 Ian. 1504 factus vicarius generalis super conventum Turovine, item 22 Iunii a. c. super conventum Molinensem pro reformatione. Senex maximae auctoritatis et sanctioris vitae. Obiit Turonibus 21 Dec. 1512.

(4) Petrus Chenonardi. Fuit confessor ducissae Bourboniae, aedificavit conventum S. Catharinae de Jurath in nemoribus ubi prius erat maxima mercatorum caedes et latrocinia consueta. Ita Balaeus.

(5) Laurentius Burelli. Monumenta, 412.

Pictavensi Fr. Nicholaus Huen (1), Fr. Matheus de Nangaio (2), Fr. Bernardus Iocosi, Fr. Guillus de Campantis, Fr. Katerinus Falgodii, Fr. Joannes Regis. 7, In Studio Naneten. Fr. Clemens Droiet, Fr. Charolus Strincher, Fr. Herveus Albi, Fr. Rolandus Elen. 8. In Studio Cadomen. Fr. Joannes Castellani, Fr. Alexander Mahon, Fr. Andreas de Custodia, Fr. Rodulphus Dromil, Fr. Gilbertus Mantent, Fr. Petrus Struch. 9. In Studio Andegaven. Fr. Michael Operati, Fr. Nicolaus Duris, Fr. Yvo Ronilandi, Fr. Stephanus Amici, Fr. Joannes Piri, Fr. Joannes Maseta, Fr. Jacobus Riquetti.

Item ordinarunt Socios R.mi Patris Generalis Magistrum Guill. Hanguel et Mag. Guill. De Bordis.

Item Capitulum Generale proximum celebrabitur in Conventu Biturisen anno septuagesimo quinto.

Ita est Magister Cristophorus Martinone Brixien. Procurator Ordinis.

Ita est Magister Bernardus de Montesa.

Ita est Magister Joannes de Belloqueto Diffinitor Aquitaniae.

Ita est Magister Anthonius (3) Provincialis Lombardiae.

Ita est Fr. Joannes Carpentarii Provinciae Alamanniae Superioris.

Ita est Fr. Helias (4) Definitor Vasconiae.

(54-**a**) Die 17ª Maii 1472.

Haec est Tabula Capituli Generalis celebrati in Capitulo Astensi Provinciae Lombardiae Anno Domini 1472, die vero 17ª Maii. In quo quidem Capitulo fuit electus unanimiter in Magistrum Generalem totius Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmeli R.mus in Christo Pater et Mag. D. Frater Christophorus Martignonus.

Fuerunt autem in eodem Capitulo Diffinitores sequentes:

Primus Diffinitor fuit Provincialis Terrae Sanctae, videlicet Mag. Matheus de Pensamo. 2us Diffinitor fuit Socius Provincialis Provinciae Siciliae, videlicet Mag. Anthonius De Barbarotis.

---

(1) Nicholaus Huen. Monumenta, 286, 433.

(2) Matheus de Nangaio, sive de Nargario.

(3) Antonius. I. e. de Marinis.

(4) Helias. I. e. Deogardi.

3us Diffinitor fuit Socius Provincialis Narbonae, videlicet Magister Guil. Vandeli (1). 4us Diffinitor fuit Provincialis Prov. Romanae, videlicet Nicolaus Anthonius de Vanellis. 5us fuit Socius Prov. Alamaniae inferioris, Mag. Jacobus de Schenchovia (2). 6us fuit Socius Provinciae Tusciae, Mag. Marcus de Prato (3). 7us fuit Provincialis Aquitaniae Magister Bernardus de Faleriis. 8us fuit Provinc. Aragoniae Mag. Bernardus de Montesa. 9us Socius Provinc. Provinciae Mag. Poncius Raynaudi. 10us Provincialis Bononiae Mag. Guill. de Fonte (4), 11us Socius Provinc. Lombardiae Mag. Bonus (5), 12us Provinc. Turoniae Mag. Franciscus de Nodis. 13us Socius Provinc. Prov. Tholosae Ven. Frater Joannes Petri. 14us Socius Provinc. Prov. Cathaloniae Ven. Lector Frater Blasius, 15uz Provincialis Prov. Saxoniae Magister Federicus (6), 16us Provinc. Prov. (Bohemiae?) Ven. Baccalarius Frater Bernardus. 17us Socius Provinciae Alamaniae Superioris Fr. Nicolaus Mor.

Supradictus igitur Mag. Ordinis pariter et praedicti Diffinitores unanimiter et concorditer ordinaverunt prout sequitur. Ordinamus ut in praesenti Capitulo, propter absentiam Papiri et Sigilli Communitatis Ordinis, fiat nova Papirus, et etiam Mag. Ordinis in Litteris emanandis a praesenti Capitulo utatur sigillo sui Officii dumtaxat, quam primo etiam sigillum Communitatis simul cum Papiro pervenerint ad manus suas, debeat remittere Provinciali Alamaniae Inferioris; in cuius Provincia proximum Capitulum Generale futurum est celebrandum.

---

(1) Gulielmus Vandeli. Supra Bandelli.

(2) Jacobus de Schenchovia. Jacobus de Schonhofen (sic enim nomen scribi debuit) gradum doctoris Lovanii adeptus est a. 1495.

(3) Marcus de Prato. Videtur is fuisse Mag. Marcus Silvanus qui a. 1461 fuerat prior et praedicator in conventu Pisarum, currente vero a. 1471-2 priorem Prati agebat.

(4) Gulielmus de Fonte. De congregatione Mantuana, vicarius observantiae 1457-1465, et provincialis Bononiae, ait Balaeus. Preconiis hunc variis effert B. Baptista Mantuanus. In capitulo 1462 diffinitor et provincialis Bononiae fuit G. de Ponte; a. 1469 nomen provincialis deficit. Quaeritur subestne error scriptoris ponendo de Ponte pro de Fonte? (Cf. Vaghi p. 98).

(5) Mag. Bonus. Idemne ac Frater Bonni de quo in capit. 1456?

(6) Fredericus. I. e. Mellerstat.

Item ordinamus, atque sub excommunicationis sententiae poena, quam ipso facto oppositum attentantes incurrant mandamus, ut nullus nostri Ordinis Frater cuiuscumque gradus, officii et condictionis existat, praesumat directe aut indirecte, seu quovis alio pacto infringere, seu Conventibus Reformatis in aliquo derogare, sed habeat Magister Ordinis de omnibus Conventibus reformatis formam Calixtinae iuxta vires observari facere,

Item Constitutiones factas et probatas in Capitulo novissime Bruxellis celebrato confirmamus, et ratificamus. Mandantes per obedientiam salutarem omnibus Prioribus Provincialibus, quatenus in suis Provinciis, ubi non sunt, illas habeant, aut scribi faciant, et in iisdem Provinciis frequenter eas legi praecipiant, ut sit in Ordine nostro uniformitas vitae et disciplinae, ad laudem Dei et Virginis gloriosae.

Item ordinamus, quod omnes Conventus Reformati per totum Ordinem nostrum ubique sint, subiiciantur iurisdictioni, visitationi, Regulari correctioni R.mi Magistri Ordinis, et suorum Provincialium, salvo iure Calixtinae concessae in favorem Fratrum Conventuum dictorum.

Item ordinamus, quod in singulis Conventibus totius Ordinis, dum Priores Provinciales ad propria fuerint reversi, dicatur una solemnis Missa pro felici statu Sanct.mi D.ni Nostri Papae Sixti IIII et R.mi Cardinalis Rothomagensis Protectoris Ordinis nostri tutissimi, et Reverendorum Episcoporum Divionensis, et Astensis, et Ill.mae D.nae Ducissae Orlianensis, et D.ni Balini et Metrese Capitanei eiusdem, et caeterorum omnium Benefactorum praesentis Capituli.

(54-b). Item ordinamus, quod omnes et singuli Magistri in Theologia intra Provincias Italiae existentes, qui non fecerunt cursus suos iuxta mores Ordinis, et Universitatum ubi fuerint graduati, teneant locum post illos qui legitimos fecerunt cursus, nisi spatium quinque annorum alios legitime anteponent. Ab hac tamen regula excipiuntur Patres Provinciales, quibus propter honorem Officii in praesentiarum differimus.

Item ordinamus pariter et mandamus, ut sit in Ordine nostro uniformitas habitus, vitae et doctrinae: ideo volumus quod omnes et singuli nostri Ordinis Fratres induant nigris vestiariis; scilicet Clerici habeant tunicas nigras et tinctas, cum capusiis et scapulari similis coloris; Conversi vero induant etiam similis colo-

ris tunicas, capucio et scapulari albis, ad oppositum Fratrum Praedicatorum, ut inter Clericos et Laicos sit distinctio. Quare supplicamus per praesentes, et oramus Magistrum Ordinis, quatenus ad expensas Ordinis, si opus sit, velit super his apud sanctissimum D.num N.rum huiusmodi rei declarationem pariter et auctoritatem obtinere in Bulla plumbea.

Item ordinamus, ut nullus Prior Provincialis, aut Localis habeat recipere fugitivos cuiuscumque Conventus vel Provinciae, nisi ad carceres, et illico iuxta formam Constitutionum habeat suo Maiori remittere; et hoc sub poena privationis vocis, et Officii, quam ipso facto incurrant, dum fuerint convicti.

Item quia Frater Joannes de Cimmiterio, et Frater Joannes Xenar Licentiati in Theologia fuerant propter quandam conspirationem veram, vel praetensam in Capitulo Generali Aurelianensi celebrato, privati loco et voce, gradu et honore, attenta eorum poenitentia, misericordia ducti, eos rehabilitamus, et in pristinum statum reducimus, dummodo suo Provinciali Thuronensi obedientiam plenam exhibeant, alias eos sub sua condemnatione relinquimus.

Taxamus totum Ordinem nostrum in trecentis et uno Ducatis pro necessitatibus sequentibus anno quolibet solvendis. Et primo pro vestiario R.mi M.ri Ordinis, et suorum Sociorum anno quolibet centum et sexaginta Ducati. Item pro Regente Parisiis duc. 8; pro censibus Conventus Parisiensis duc.   pro Biblico Parisiensi ducat.   ; pro Procuratore Ordinis saeculari duc.   ; pro Procuratore Ordinis Provinciali et Generali duc.

Quae pecuniae sic solventur ut sequitur:

Provincia Terrae Sanctae solvet ducat.   ; Siciliae duc. 27; Angliae duc.   ; Narbonae; Romana; Franciae; Alamaniae inferioris; Lombardiae; Aquitaniae; Aragoniae; Yberniae (55-a); Provinciae; Scotiae; Tusciae; Bononiae; Tholosae; Cathaloniae; Alamaniae Superioris; Vaschoniae; Thuroniae; Saxoniae; Castellae; Portus Galliae; Boemiae; Daciae et Normeniae; Vallis Mazariae Sancti Angeli; Provincia Neapolitana; Ianuae; Florentiae vel Pisarum; Marchiae Trivisanae vel Venetiarum; Marchiae Anchonae; Calabriae et Apuliae.

Sequitur rubrica de Promotis, et primo in Studio Romano. Pro anno 1473 in Conventu Sancti Martini Venerabilem Fr. Lau-

rencium de Mortario (1) Baccalarium. Pro anno 1474 in Conventu Sancti Juliani Fr. Christophorum de Bergamo. Pro Studio Parisiensi: Ordinamus ad legendam Bibliam, et alios Actus usque ad Magisterium inclusive pro anno isto sequenti scilicet 1473 Fr. Laurencium Bureli; pro anno 1474 Fr. Petrum Vingeron (2); pro anno 1475 Fr. Joannem Pugnantis; pro anno 1476 Fr. Michaelem Pirini (3); pro anno 1477 Fr. Balduinum Flamensem (4); pro anno 1478 Fr. Ludovicum Fabri.

In Conventu Tholosano. — Ordinamus ad legendam Bibliam et alios Actus etiam pro anno 1473 Fr. Joannem Petrum Salvati, et hoc ordinarie; item ad legendam Bibliam pro anno 1474 Ludovicum Maleruffi; pro anno 1475 Fr. Guillermum de Gabarario; pro anno 1476 Fr. . . . . ; pro anno 1477 Fr. Anthonium Guillermi. Item extraordinarie pro anno 1474 Tholosae Fr. Guillermum Varadelli, et Fr. Natalem Pelleren (55-b) pro anno 1475 Fr. Anthonium Duseux, et Fr. Jacobum Benedicti.

In Studio Avinionensi. — Pro anno 1473 Fr. Symonem Hatun (5) extraordinarie, et Fr. Joannem Gobini (6); pro anno 1474 Fr. Guillermum Hectons; pro anno 1475 Fr. Iudocum de alto dogmate, et Fr. Joannem Vuardeth; pro anno 1476 Fr. Jacobum de Herbesis; pro anno 1477 Fr. Joannem Thisoti, extraordinarie Fr. Joannem Chosinis; pro anno 1478 Fr. Petrum Gombal.

In Studio Bononiensi. — Ordinamus Magistrum Regentem in Conventu Bononiae Ven. M. Guillermum Vandeli. Item extraordinarie baccalareum in Conventu Bononiae pro anno 1473 Fratrem Baptistam Spaniolum Mantuanum (7); pro anno 1474 Fr. Joannem Vardech (8); Fr. Dominicum de Grisayo in Studente in Artibus Bononiae; pro anno 1476 Fr. Petrum Ganavardi.

---

(1) Laurentius de Mortario. Vide supra ad a. 1462.

(2) Petrus Vingeron. Lege Vigneron.

(3) Michael Pirini. Melius Parini. Mon. 243, 413.

(4) Balduinus Flamensis. Balduinus Leersius uti videtur.

(5) Symon Hatun. Melius Hutin. Monumenta, 432.

(6) Joannes Gobini. Nonne Gonvini de quo infra?

(7) Baptista Spaniolus Mantuanus. Beatus Mantuanus. Magisterii gradum adeptus est Bononiae 4 Aprilis 1475. (Vaghi 107 et 204).

(8) Joannes Vardech. In capit. 1408 Vadetho.

In Studio Coloniensi pro anno 1473 Fr. Jacobum.

In Studio Montis pessulani, pro anno 1473 Fr. Hugonem Tuolandi; pro anno 1474 Fr. Franciscum Robini, et Fr. Franciscum de Landarcia; pro anno 1475 Fr. Guillermum Tholosani, et Petrum de Stagno; pro anno 1476 Fr. Gerardum Caleti; pro anno 1477 Fr. Joannem de Cruce (1); et Robertum de Fonte albo; pro anno 1478 Fr. Bernardum Bonaldi (2).

In Studio Andegavensi pro anno 1474 Fr. Laurentium Guinardi, et Fr. Joannem Chadron, et Fr. Guill. Lethie.

In Studio Pictavensi pro anno 1474 Fr. Anthonium Barioloti; pro anno 1475 Fr. Guill. Franci.

In Studio Senensi pro anno 1473 Fr. Marchum de Montecatino (3).

In Studio Chadomensi pro anno 1474 Fr. Guillermum Foer; pro anno 1475 Fr. Ricardum Vasse.

In Studio Nanathensi pro anno 1473 Fr. Joannem Severi Saynelli; pro anno 1474 Fr. Olivierum Rufi; pro anno 1475 Fr. Baldinum Flamengi.

In Studio Burdegalensi pro anno 1473 Fr. Natalem Tangeti.

(56 a) In Studio Perpinianensi pro anno 1473 Fratrem Mir (4) et Fr. Bernardum Cabati; pro anno 1474 Fr. Blasium Amcroth (5); pro anno 1475 Fr. Vincentium Comitis.

In Studio Cracoviensi pro anno 1473 in Conventu Cracoviensi Gregorium Crosi. In Studio Bituricensi, pro anno 1473 Fr. Miletum Coceti. In Studio Neapolitano pro anno 1473 Fr. Lucam de Neapoli (6) ordinamus in Baccalarium; pro anno 1474 Fr. Andream De Lagrutaminanda.

---

(1) Joannes de Cruce. Monumenta, 427.

(2) Bernardus Bonaldi. A. 1487 prior in Monte Pessulano.

(3) Marcus de Montecatino. 1467 et 68 studens Paduae, 1470 lector Senis, 71 et 73, tunc baccalaureus, primus diffinitor capituli provinciae Tusciae, 1477 prior Pisis. Amplius non memoratur.

(4) Mir. Probabiliter ille qui in capit. 1503 memoratur.

(5) Blasius Amcroth (Aviecroth?).

(6) Lucas de Neapoli. Ioannes de Signo prior Neapolitanus . . . « misit ad studium Fratrem Lucam de Neapoli ad expensas conventus et effectus est doctus baccalaureus et magnus praedicator qui a. 1479 praedicavit Januae et habuit magnum honorem ».

SEQUITUR RUBRICA DE OFFICIIS.

Ordinamus Provincialem in Provincia Terrae Sanctae R.ndum M.rum Mattheum de Pensauro; Provincialem in Provincia Siciliae R. M.rum Nicolaum de Lucca; Angliae R. M.rum Joannem Milverton; Narbonae R. M. Ubertinum Randeli; Romana Fr. Pantaleonem de Urbe; Franciae R. M. Maturinum Clementis; Alamaniae Inferioris R. M. Martinum de Monton (1); Lombardiae R. M. Anthonium de Mediolano (2); Aquitaniae R. M. Bernardum de Faleriis; Aragoniae R. M. Bernardum de Montesa; Yberniae F.rm Donaldum Gormul (3) T. Baccalarium; Provinciae R. M. Jacobum Jacobi; Scotiae . . . Tusciae ad voluntatem R.mi M. Ordinis, qui debeat adire Summum Pontificem (4), ratione unius Brevis missi Suae R.mae Paternitati. Ordinamus Provincialem in Provincia Bononiae R. M. Guili. de Fonte; in Provincia Tholosana R. M. Arnaldum de Insola; Cathaloniae R. M. Natalem Viacani (5); Alamaniae Superioris R. M. Joannem Veylamaris (6); Turoniae R. M. Franciscum (7); Saxoniae R. M. Fredericum (8); loco istius mortui confirmatus est Fr. Joannes Sculieti (9) Th. Lector; Vasconiae R. M. Heliam (10); Castelle Rodericum de Sevilla; Portus Galliae . . . . . ; Boemiae F.rm Leonardum Crank Baccalarium; Dachiae Ven. Fratrem . . . . . ; Vallis Mazariae R. M. Guillm. di Guidonibus; (56-b) in Provincia Neapolitana R.

---

(1) Martinus de Monton. De Montjoie, seu de Aquis.

(2) Anthonius de Mediolano. Antonius de Marinis de Mediolano.

(3) Donaldus Gormul. Melius Connell. In sequentibus saepius nominandus. « Vir venerabilis et doctus atque pluribus pretio habitus ». Ita Balaeus. Martignonus epistolas ad ipsum dedit quae, eheu ! temporis iniuria perierunt.

(4) Thusciae. Magister Julianus Philippi tandem confirmatus fuit.

(5) Natalis Viacani. Vide in praecedenti capitulo.

(6) Joannes Veylamaris. Weylhammer.

(7) Franciscus, i. e. de Nodis.

(8) Fredericus. Merlestat.

(9) Joannes Sculieti. Videtur legendum Sculteti (Schultheiss).

(10) Helias, i. e. Deogardi.

M. Nicolaum Anth. de Annellis (1); in Prov. Ianuae . . . ; Florenciae vel Pisarum; Veneciarum vel Marchiae Trevisanae; Marchiae Anchonae; Calabriae et Apuliae....

Ordinamus Priorem in Conventu Romano F.rem Pascalem de Vicentia; in Conventu Parisiensi R. Magistrum Joannem Moram (2). Ordinamus in Vicarium Generalem in Provinciis Hispaniae, Aragoniae, Cathaloniae, Castellae et Portogaliae R.dum M.rum Bernardum de Montesa.

Ordinamus Vicarium Generalem in Provinciis Angliae, Scotiae et Yberniae R. Mag. Joannem Milverton. In Vicarium Generalem in Provinciis Franciae, Narbonae, Aquitaniae, Turoniae, Provinciae, Guasconiae, Tholosae R.ndum M. Poncium (3). Vicarium Generalem in Provinciis Germaniae, Alamaniae inferioris, et superioris, Saxoniae, Boemiae et Daciae R.ndum M. Martinum Bonjon (4).

Hos autem Vicarios Generales sic institutos potest revocare M. Ordinis quando sibi videbitur expedire.

Assignamus in Socios R.mi Mag. Ordinis, cum potestate mutandi, quando sibi placuerit R. M. Julianum de Brixia (5), et F.rem Ubertum (6) S. T. Lectorem, et in Scribam Ven. Baccalarium F.rem Laurencium de Mortario.

Ordinamus Procuratorem Generalem totius Ordinis Magistrum Jo. de Prato. Ordinamus Capitulum Generale celebrandum in Festo Penthecostes anno 1478 in Conventu nostro Coloniae Provinciae Alamaniae inferioris.

Retinemus nobis potestatem diffiniendi usque ad feriam sextam proxime futuram inclusive.

(57-a) Item R.mus Mag. Generalis in hac parte Commissarius et specialis Sanct.mi in Christo Patris et D.ni D. Sixti Divina Providentia Papae IIII Delegatus, vigore Litterarum Apostolicarum; quarum tenor talis est ac intus sic incipiens:

---

(1) Nicolaus Antonius de Annellis. Quem praedictus Joannes de Signo prior Neapolitanus ad studium miserat solvens usque ad XL ducatos.

(2) Joannes Moran. Idemne ac Joannes Morandi de quo ad 1451?

(3) Pontius, i. e. Raynaudus.

(4) Martinus Bonjon. Martinus de Montjoie.

(5) Vicarius Congregationis Mantuanae 1465-69 (Vaghi 99).

(6) I. e. Rauderii.

SIXTUS PAPA IIII.

Venerabilis Frater noster Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum nuper nobis nunciata morte quondam Joannis Soreth, qui Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli Generalis, dum viveret, existebat, de tuae tantum circumspectionis consilio Dilectum Filium Christophorum Martignonum, Artium et Theologiae Magistrum, antedicti Ordinis in nostra Romana Curia Procuratorem, Nobis, ac Tibi, ob singularem doctrinam, Religionis zelum, et alias multiplices virtutes, quibus praeditus esse dignoscitur, acceptum et carum, Generalem Vicarium Ordinis ipsius instituerimus, ad celebrandum in Civitate Astensi Generale Capitulum, et alia facienda, quae Generalis pro tempore facere consuevit, et potest; prout in aliis nostris ipsi Christophoro directis Litteris plenius continetur. Nos cupientes, ut dicto Ordini, qui iam in Italia pene collapsus est, et quem in visceribus gerimus caritatis, ex hac nostra provisione salubriter consulatur, ac omnis divisio, quae sine iactura et scandalo esse non potest, tollatur e medio. Cum etiam nostrae intentionis et voluntatis existat, quod dictus Christophorus Capitulo ipsi, cui nos plenariam Indulgentiam elargimur, praesidere; voces, si quae defecerint legitime supplere; Provincias nimis amplas dividere valeat ac debeat: Eidem tuae circumspectioni committimus per praesentes, quatenus per tuas Patentes Litteras, etiam auctoritate nostra Dilecto Filio Petro De Lalu Sacrae Theologiae Magistro Provinciae Franciae Provinciali, sub excommunicationis latae sententiae poena, inhibeas, ut stante hac nostra Institutione, se pro Vicario Generali Ordinis antedicti gerere non praesumat; caeterique dicti Ordinis Fratres, ne eum pro Vicario retineant, ac teneant; sed potius ipse Petrus, et alii ad tempus et locum ab eodem Christophoro Vicario Generali praefixum, omni mora, exceptione, et appellatione cessante, sicuti merus Provincialis debeat comparere. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVII Januarii M.CCCCLXXII Pontificatus nostri anno primo. Et ad extra in Superscriptione: Ven. Fratri G. Episcopo Hostien. S.tae Romanae Ecclesiae Cardinali Rothomagensi Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli Protectori. L. Gusus.

Post quarum quidem Litterarum lectionem praefatus Magister Christophorus ante electionem sui Officii Generalatus, scilicet die 12 mensis Maii 1472 praesentibus Magistris Provincialibus, scilicet Provinciali Siciliae, et Provinciali Tusciae, et Bononiae, et R.dis Magistris, scilicet Juliano de Brixia, Blasio de Florentia (1), et Joanne de Prato, una cum Fratre Nicolao de Lucca tunc S. Th. Baccalario et 2° Socio Provincialis Siciliae; qui praefatus Magister Generalis post praedictarum Litterarum in forma Brevis Lectionem, Auctoritate Apostolica, ut praemissum est divisit Provincias in partibus Italiae praesertim constitutas in hunc modum; videlicet Provinciam Siciliae in duabus Provinciis; videlicet in Provinciam Vallium Noti et Demonum; quae Provincia inter omnes Provincias Ordinis secundum, post Provinciam Terrae Sanctae tenet locum; et Provinciam Vallis Mazariae Sancti Angeli Ordinis nostri, quae sequitur in Ordine Provinciarum Daciae. Et divisit Provinciam Romanam et Neapolitanam; et Romana tenet quintum locum, post Provinciam Narbonae; et Provincia Neapolitana, quae tenet locum post Provinciam Vallis Mazariae Sancti Angeli nostri Ordinis. Et divisit Provinciam Longobardiae in Provinciam Longobardiae et Ianuae; et Provincia Longobardiae tenet octavum locum; et Prov. Ianuae sequitur Provinciam Neapolitanam. Et divisit Provinciam Tusciae in ProvinciamFlorentiae, et Pisarum; et Prov. Pisarum tenet 14um locum et Prov. Florentiae sequitur Provinciam Ianuae. Et divisit Provinciam Bononiae in Provincias, scilicet in Provinciam (57-b) Bononiae, et Venetiarum, seu Marchiae Trivisanae seu Venetiarum, sequitur Prov. Florentiae. Et addit Provinciam Marchiae Anchonae quam primum fuerint in ea sex Conventus. Et addit Provinciam Apuliae et Calabriae quamprimum fuerint in ea sex Conventus. Et de unanimi assensu sortivit duarum novarum Provinciarum Provinciales novos, scilicet in Provincia Vallis Mazariae Sancti nostri Angeli R.mum Mag. Guill. de Guidonibus, et hoc cum fuisset factus Provincialis Vallium Noti et Demine, de voluntate Patrum Diffinitorum Capituli Generalis, ad sui requisitionem commutamus, et eundem facimus Provincialem Provinciae Vallis Mazariae Sancti Angeli, quae statim sequitur Provinciam Daciae. Et Magistrum Nicolaum de Lucca constituimus

(1) Blasius Silvestri.

Provincialem nostrae Provinciae Noti et Demine, quae secunda est in ordine omnium Provinciarum, quae in se continet primum Conventum Provinciae. Et etiam de assensu Patrum Diffinitorum constituit Provincialem novae Provinciae Neapolitanae Mag. Nicolaum de Asinellis, quae sequitur Provinciam Mazariae Sancti Angeli. Deinde has divisiones ratificavit praefatus Mag. Christophorus ante sui electionem die 14 mensis eiusdem millesimi, praesentibus R.dis Magistris Provincialibus, scilicet M.ro Guil. de Guidonibus Provinciali tunc Siciliae ante divisionem, et Capitulum Generale; et M.ro Guill. de Fonte tunc Provinciali Provinciae Bononiae, et ante divisionem, et R.dis M.ris Juliano de Brixia, Blasio de Florentia, Joanne de Prato, et Fratre Nicolao de Lucca tunc Theologiae Baccalario, et Provinciae Siciliae secundo Socio. Et postea die 16 mensis eiusdem quasi hora sextadecima, quae fuit Vigilia Penthecostes, dies Capituli Generalis Astensis, praesentibus R.mis D.nis Episcopis, scilicet Digerens; auctoritate Apostolica cum praefato Christophoro Martignano praeside, et D.no Episcopo Astensi, etiam de beneplacito et voluntate praefati D.ni Episcopi Digerens. coassistente, supradictam divisionem, praesente toto Capitulo Generali, auctoritate Apostolica, ut praemissum est, praedictas Provincias ut supra factum est, divisit, et illas perpetuo mandavit, sub excommunicationis latae sententiae poena, durare, appellatione postposita. De quibus omnibus, praesentibus praefatis Dominis Episcopis, Petro auctoritate Imperiali, alias Scriba R.mi bonae memoriae M.ri Joannis Soreth, et Notarius de omnibus rogatus est, ut patet per publicum Instrumentum.

Et haec acta sunt ante suppletionem Vocum. Et posteaquam praefatus supradictus Mag. Vicarius Apostolicus pervenerit ad vocum suppletionem, mandavit omnibus Gremialibus, auctoritate Apostolica sibi concessa, tam vigore Litterarum Apostolicarum in forma plumbea sibi directarum, quam in forma Brevis directarum R.mo in Christo Patri et D.no D. G. Episcopo Hostien. Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Rothomagensi de Schothonvile (1) praefati Ordinis Protectori tutissimo, et processus ab eodem R.mo D.no Cardinali praefata auctoritate Apostolica, in favorem praefati M.ri Vicarii eadem concedentis praefatas divi-

(1) Cardinalis Gulielmus de Estouteville.

siones auctoritatem faciendi, sub poena excommunicationis latae sententiae et quam ipso facto incurrent, appellatione postposita, et cum reservatione absolutionis, si praefatam poenam incurrerent, facta eidem R.mo D.no Cardinali Rothomagensi, et suo Superiori; qui nonobstantibus Mag. Provinciales scilicet Bononiae Mag. Guill. de Fonte, et Provincia Longobardiae Mag. Anthonio (1) de Mediolano appellaverint, qui non obstantibus praedictis mandatis, et monitionibus in contemptum Ecclesiae, et Sanctae Sedis Apostolicae appellaverunt Apostolicos; dicente Provinciali Bononiae Mag. Guill. de Fonte, appellatio contra praedicta instanter et instantissime Apostolicos, cuiuscumque, Apostolici referendarii, neque a praefato M.ro Vicario Apostolico admissa est huiusmodi appellatio, tamquam frivola, inobediens, (58 r) rebellis, et inutilis omnino Mandatis Sanctae Sedis Apostolicae in evidens damnum praefatae Religionis, negata est, et non admissa, et de his omnibus rogatus est Petrus, ut supra, cum clausulis opportunis.

Haec sunt Acta Praesidente R.mo in Christo Patre Magistro Christophoro Martignono totius Ordinis B.mae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae de Monte Carmeli. ex unanimi assensu Diffinitorum Patrum Capituli Generalis celebrati in Conventu Brixiae, Provinciae Venetiarum, in die Penthecostes Anno Domini M.CCCC.LXXVIII, 5 Maii, in quo fuerunt Diffinitores:

Primus Diffinitor Ven lis Provincialis Prov. Siciliae Mag. Nicholaus de Lucia (2); 2. Provincialis Prov. Angliae Mag. Joannes Milverton; 3. Provinc. Prov. Narbonae Mag. Humbertus Rauderii; 4. Prov.lis Romanae Fr. Anthonius Agni; 5. Prov.lis Franciae Mag. Mathurinus Clementis; 6. Prov.lis Lombardiae M. Antonius (3) de Mediolano; 7. Vicarius Prov. Aragoniae M. Gratianus de Villa nova (4); 8. Prov.lis Hiberniae Fr. Donaldus Corunel (5);

---

(1) Antonius de Marinis.

(2) Nicholaus de Luc(i)a. Supra ad 1456.

(3) Anthonius de Mediolano, Antonius de Marinis de Mediolano.

(4) Gratianus de Villanova. Lezana, Annal. IV passim. In Ms. bibliothecae Victoris Emmanuelis Romae, Fondo Gesuiti, 151 habentur instructiones sibi datae a Sixto IV pro missione ad Seren. Romanorum regem. De eius transitu ad Ordinem S. Spiritus vide Monumenta, 515. Obiit 21 Dec. 1496.

(5) Donaldus Corunel. Supra Gormul, verius Connell.

9. Prov.lis Tholosanae M. Arnaldus de Insula; 10. Prov.lis Alamaniae Superioris Fr. Joannes Carpentarii; 11. Prov.lis Vasconiae Mag. Bernardus de Tapia (1); 12. Pròv.lis S. Angeli Mag. Michäel Magron; 13. Socius Prov. Terrae Sanctae Fr. Jacobus Danielis de Cypro; 14. Socius primus Alamaniae Inferioris Magister Joannes Wirich de Nussia (2); 15. Socius secundus Prov. Acquitaniae Mag. Joannes de Sontris (3); 16. Socius primus Provinciae Provinciae Mag. Guichardus Albi (4); 17. Primus Socius Provinciae Tusciae Mag. Joannes de Prato; 18. Primus Socius Provinciae Cathaloniae Mag. Guill. Tholosani (5); 19. Primus Socius; Prov. Turoniae Mag. Joannes de Foresta; 20. Primus Socius Prov. Saxoniae Fr. Joannes Wultmant; 21. Primus Socius Provinciae Castellae Fr. Anthonius de Gnoimel; 22. Primus Socius Prov. Boemiae Fr. Joannes Angelich; 23. Pro Provincia Neapolitana et Apulia Fr. Joannes Lombardus (6); 24. Socius secundus Prov. Venetiarum Fr. Franciscus de Medicis (7); 25. Vicarius Prov. Anchonitane Mag. Bonus de Ast; 26. Procurator

(1) Bernardus de Tapia. De conventu Tarbiae, electus provincialis 28 April. 1476.

(2) Joannes Wirich de Nussia. Primam missam celebravit Coloniae a. 1461, ibidemque prior factus est 1474, ac iterum 1486, deinde provincialis. Obiit 2 vel 13 Maii 1515.

(3) Joannes de Sontris. Legendumne Soneriis?

(4) Guichardus Albi. Idem ut videtur ac Girardus Albi qui a. 1456 memoratur.

(5) Gulielmus Tolosani. A. 1503 Vicarius generalis per totam Hispaniam.

(6) Joannes Lombardus. Fuit is Joannellus de Longobardo, qui a Joh. de Signo ad studium missus « effectus est baccalaureus et praedicator ». A. 1469 fuit clavarius Neapoli, et per aliquot annos prior ibidem quo tempore conventui magnam campanam dedit. Subscripsit inventario conventus Neapolitani 8 Ian. 1480: « Baccal. Joannellus de Longobardo provincialis Apuliae et Calabriae ».

(7) Franciscus de Medicis. Provinciae Venetae, conventus Brixiensis, natione vero Longobardus, nobilis generis. Dum Parisiis degeret utpote baccalaureus celebre iam nomen habuit ob scripta insignia; tandem Bononiae doctor creatus fuit. Sententias Bachonis et Joannis Consobrini opus de Iustitia commutativa Parisiis cum quibusdam aliis opusculis imprimi fecit.

Ordinis Mag. Guil. de Bopmano; 27. Socius R.mi Patris Generalis primus Mag. Nicholaus de mandato (1).

Taxae Ordinariae pro quolibet anno usque ad Capitulum Generale. Provincia Terrae Sanctae duc. duos: Siciliae XXVI; Angliae XXXVIII; Narbonae XVIII; Romana III; Franciae XV; Alamaniae Inferioris XXIV; Longobardiae XIV; Acquitaniae XI; Aragoniae V; Hiberniae VI; Provinciae XII; Scotiae V; Tusciae XIII; Bononiae XIV; Tholosae XI; Cathaloniae VI; Alamaniae Superioris XX; Vasconiae XIV; (58-v.) Turoniae XVI; Saxoniae III; Castellae VI; Portugalliae II; Bohemiae III; Daciae et Norvegiae III; Neapolitana VI; Venetiarum XIV; Marchiae Anchonitanae II; Calabriae et Apuliae IV.

Taxae extraordinariae pro impetratione Maris Magni Privilegiorum, Indulgentiarum, revocationis Calixtinae, exemptionis a iurisdictione Inquisitorum contra Observantes.

Primo Provincia Terrae Sanctae duc. X; Ciciliae CLXVIII; Angliae CLXXVIII; Narbonae CVIII; Franciae XCII; Romana XV; Alamaniae Inferioris CL; Lombardiae CXVIII; Acquitaniae LXX; Aragoniae XXX: Hiberniae XXX; Provinciae LXX; Scotiae XX; Tusciae LXXVIII; Bononiae LXV; Tholosae LXIII; Cathaloniae XXX; Alamaniae Superioris CXX; Vasconiae XXCV; Turoniae XCV; Saxoniae XX; Castellae XXXV; Portugalliae X; Bohemiae XX; Daciae Norvegiae XX; Neapolitana XXXV; Venetiarum XXCVI; Apuliae XX; Marchiae Anchonitanae X.

Summa totalis taxarum extraordinariarum MDCCCL Aurei de Camera. R.mus Pater Generalis et Diffinitores reservant sibi authoritatem diffiniendi per quatuor dies immediate sequentes, scilicet Dominica, Lunae, Martis et Mercurii.

Sequuntur Ordinationes factae in Capitulo Generali celebrato in Conventu Brixiae in die Penthecostes Anno Domini M.CCCC.LXXVIII die X Mensis Maii.

Ordinamus Provincialem Provinciae Terrae Sanctae ad arbitrium R.mi Patris Generalis; Provincialem Provinciae Siciliae Mag. Nicholaum de Lucia (2); Angliae Mag. Joannem Milverton;

(1) Nicholaus. Nempe de Lucia. Additur « de mandato » i. e. socius a capitulo constitutus ad distinctionem ab altero quem ipse Generalis sibi assumpsit.

(2) Nicholaus de Lucia. Supra ad 1456.

Narbonae Mag. Humbertum Rauderii; Romanae Mag. Marcum de Monte Cathino; Franciae Mag. Maturinum Clementis; Alamaniae inferioris Mag. Martinum Monyoye (1); Longobardiae Mag. Anthonium de Mediolano (2); Acquitaniae Mag. Bernardum de Falleguis (3); Aragoniae Mag. Gratianum de Villa nova, quem desiderantes ut Provinciis Hispaniae provideatur de viro probatissimo et Ordinis zelatore, de unanimi assensu Diffinitorum nostri Capituli, ordinamus Vicarium Generalem, cum plenitudine potestatis in Provinciis Aragoniae, Cathaloniae, Castellae et Portugaliae.

Ordinamus Provincialem Prov. Hiberniae F.rem Donaldum Gnormyel (4); Prov. Provinciae Mag. Poncium Raynaudi; Scotiae F.rem Joannem Walch; Tusciae Mag. Joannem de Prato; Bononiae Vicarium Congregationis Mantuanae super Conventus Bononiae; Ferrariae; Mantuae, de Rivero, Parmae, Regii, Mutinae, Sanctae Mariae de Barbarano, et de Nugnelerae; Tholosanae Mag. Arnaldum de Insula; Cathaloniae Mag. Guill. Tholosani; Alamaniae Superioris Mag. Joannem Carpentarii; (59-r) Vasconiae Mag. Bernardum de Tapia; Turoniae: Mag. Franciscus de Nodis maneat sicuti est suspensus ab Officio, usquequo fiat electio Provincialis per Provinciam; quae electio differatur usque ad beneplacitum R.mi Patris Generalis, et fiat unus Vicarius in dicta Provincia, qui possit omnia quae posset Provincialis, si esset; et illi quicumque fuerit tenebitur ad decem Regalia pro sustentatione praefati Francisci, non augmentata propter hoc taxa communi Provinciae.

Ordinamus Provincialem Prov. Saxoniae F.rem Joannem Scalet; Castellae Fr. Andream de Avila (5); Portugaliae Fr. Go-

(1) Martinus Monyoye. De Aquis, seu de Montjoie.

(2) Anthonius de Mediolano. De Marinis.

(3) Bernardus de Faleguis. A. 1472 de Faleriis.

(4) Donaldus Gnorimel. Vide supra.

(5) Andreas de Avila. A. 1522 occurrit in conventu Abulensi Andreas de Avila Jubileus quem forte non temerarium esset eundem credere ac Andream, item de Avila, qui annis 1507, 1512 et 1515 (forsan etiam annis intermediis) priorem Abulensem agebat. Utrum vero idem ipse iam a. 1478 provincialis fuisset asserere non audemus. Alius Andreas de Avila a. 1542 prior Abulensis fuit.

merium (1) usque ad ulteriorem provisionem faciendam per Reverendissimum Patrem Generalem; Bohemiae Fr. Bernardum Cracoze (2); Daciae et Norvegiae Fr. Christiani (3); Prov. Sancti Angeli Vallis Mazariae Mag. Michaelem Macrol (4); Neapolitanae Mag. Julianum de Villa Nova (5). Institutio et destitutio Provincialis Prov. Venetiarum committitur R.mo Patri Generali; institutio et destitutio Provincialis Prov. Anchonitanae committitur R.mo Patri Generali; Calabriae et Apuliae Fr. Joannem Lombardi (6); Priorem Conventus Sancti Martini in Urbe Fratrem Stephanum de Bathsignana (7); Priorem Conventus Parisiensis Fr. Joannem Vallis (8) usque ad adventum R.mi Patris Generalis, vel eius Vicarii. Procuratorem Generalem Ordinis, et Provincialem in Curia Romana ad voluntatem Rev.mi Patris Generalis.

Ordinamus ad legendum in Studio Parisiensi.

Pro anno 1478 ad legendum Bibliam, et alios actus faciendos Fratrem Henricum de Brugis de Provincia Franciae. Pro anno 1479 F.rem Bertrandum Stephani de Provincia Turoniae; pro anno 1480 Fr. Gervasium Sonchon de Provincia Franciae, pro anno 1481 Fr. Joannem Bomardi Provinciae Narbonae: pro

---

(1) Gomesius. Gomez.

(2) Bernardus Cracoze. Legendum videtur Cracoviae.

(3) Christianus. Fuit is Niels Kristensen (Nicolaus Christiani) a. 1475 electus.

(4) Michael de Macrol. Supra a. 1462 de Magono et Macron.

(5) Julianus de Villanova. Error scriptoris pro Jul. de Domo Nova seu de Casa nova, utrumque enim nomen invenitur. A Joanne de Signo ad studium missus fuit prior Neapoli a. 1469 et sequenti. Deinde provincialis.

(6) Joannes Lombardus. Vide supra.

(7) Stephanus de Bathsignana. Plenum nomen Stephanus Gorgonius Bassignanus, ex Augusta Battianorum, rethor, poeta, theologus. « Labores, ait Balaeus, pericula et iacturas per alpes et salebrosos montes plerumque sustinuit », scil. cum a B. Mantuano vicarius generalis et visitator in Galliam missus esset. Inter alia multa ipsius Baptistae Mantuani opera prelo dedit.

(8) Joannes Vallis. Forte is qui a. 1451 memoratur.

anno 1482 Fr. Joannem Mercatoris (1) de Prov. Turoniae; pro anno 1483 Fr. Joannem Matandi Prov. Franciae; pro anno 1484 Fr. Gaufridum Rogerii de Prov. Turoniae; pro anno 1485 Fratrem Egidium de Sanctis de Prov. Franciae.

Ordinamus ad legendum in Studio Tholosano

Pro anno 1478 ad legendum Sententias, et alios actus scholasticos ordinarie faciendos Fr. Joannem de Nissorga Provinciae Vasconiae. Et pro eodem anno ad legendum Bibliam ordinarie, et alios actus faciendos Fr. Joannem Vesa (2) Prov. Tholosanae. Et pro eodem anno ad legendum extraordinarie Fr. Arnaldum Raparnc Prov. Acquitaniae. Pro anno 1479 ad legendum Sententias Fr. Dominicum Gannam Prov. Turoniae. Et pro eodem anno ad legendum Bibliam, etc., Fr. Leonardum Sabanorii Provinciae Tholosanae, et pro eodem anno ad legendum extraordinarie Fratrem Joannem Aurosa Prov. Cathaloniae.

Pro anno 1480 ad legendum Bibliam, etc., Fr. Joannem de Avellana Prov. Vasconiae; et pro eodem anno extraordinarie Fr. Petrum de Tasceto (3) Prov. Vasconiae.

Pro anno 1481 ad legendum Bibliam ordinarie, etc., Fratrem Dominicum de Superiori Prov. Vasconiae, et pro eodem anno extraordinarie Fr. Guill. Joannis Prov. Tholosanae, et eodem anno Fr. Egidium de Sanctis extraordinarie.

Pro anno 1482 ad legendum Bibliam, etc., Fr. Petrum de Peyto (4) Prov. Tholosae ordinarie, et pro eodem anno extraordinarie Fr. Rigaldum Trepossati Prov. Acquitaniae.

Pro anno 1483 ad legendum Bibliam, etc., Fr. Guill. de Quercu (5) Prov. Vasconiae ordinarie, et pro eodem anno extraor-

---

(1) Joannes Mercatoris. Alias Marcatoris audit. Diversus sane (cum 1503 superstes fuisset) a Baccal. Jo. Marchant qui 12 Octobris 1489 obiit (« mors sena »).

(2) Joannes Vesa. Idemne ac ille qui a. 1451 memoratur?

(3) Petrus de Fasceto. Incertum utrum Fasceto an Tasceto.

(4) Petrus de Peyto. Verbi divini praedicator excellentissimus, multos sermones tam ad clerum quam ad populum composuit. Provincialis ab a. 1494 usque 1501. Obiit Appamiae.

(5) Gulielmus de Quercu. De Dumo Quercu, seu etiam de Crich. Post obitum Christophori Martignonis vicarius generalis Ordinis, post duos menses peste extinctus.

dinarie Fr. Stongum de Marcaquis (1) Prov. Acquitaniae.

Pro anno 1484 ad legendum Bibliam, etc., ordinarie Fratrem Durandum Iusti Prov. Acquitaniae; et pro eodem anno extraordinarie Fr. Franciscum Michaelis Prov. Turoniae.

IN STUDIO BONONIENSI

Fr. Benedictum de Venetiis in Artibus.

In Studio Papiensi pro Logica et Philosophia usque ad Capitulum Generale Fratres Anthonium (2) de Candia et Bonum de Candia (3) de Prov. Lombardiae (59-v).

Ordinamus in Studio Avinionensi pro anno 1478 ad legendum Sententias Fr. Petrum Terasse (4) Prov. Provinciae; pro anno 1479 ad legendum Sententias Petrum de Lassoma (5) Prov. eiusdem; pro anno 1480 ad legendum Sententias Fr. Egidium Borgesii (6) eiusdem Provinciae; pro anno 1481 Fr. Glaudium Gilbondi (7) Prov. eiusdem; pro anno 1482 Fr. Joannem Ballay eiusdem Prov.; pro anno 1483 ordinarie Fr. Joannem

---

(1) Scongus de Marcaquis. Nonne Georgius? Georgius Marqueti a. 1493 fuit syndicus conventus Burdegalensis, Forte idem.

(2) Anthonius de Candia. Postea prior Mediolanensis et provincialis. A. 1503 camera olim Marci de Reclusis in conventu Papiae sibi conceditur. Obiit 1517.

(3) Bonus de Candia. Hic etiam fuit prior Mediolanensis et obiit aetatis anno 86 die 4 Junii 1542.

(4) Petrus Terrasse. Auctores communiter dicunt eum Neapoli vita defunctum esse, sed Chronographus Neapolitanus cuius testimonium non parvi ponderis est asserit eum Romae decessisse.

(5) Petrus de Lassoma. Melius de Layssoma sicut ipse nomen suum notavit, penultimus inter conventuales Avenionenses in quodam documento diei 2 Decembris 1474.

(6) Egidius Borgesii. Filius conventus Avenionensis ubi tandem obiit, 7 Jan. 1510. A. 1503 factus fuit vicarius generalis per Galliam sed ab hoc officio absolvitur 20 Jan. 1504, et 4 Julii 1505 fit vicarius generalis provinciae Narbonae. Extat Avenione quoddam documentum sub die 28 Martii 1506 circa litem inter ipsum et aliquam mulierem de proprietatis iure super quandam domum.

(5) Glaudius Gilbondi. Apud Balaeum Claudius Girbodi, doctor supremus, obiit 15 Februarii 1511 in conventu Pineti prov. Provinciae ubi plurima bona fecerat ut testantur munimenta conventus.

Rafferii eiusdem Prov.; pro anno 1484 ordinarie Fr. Glaudium de Liciaco eiusdem Prov.; pro anno 1485 ordinarie Fr. Michaelem Michaudi (1) eiusdem Prov.; pro anno 1486 ordinarie Fratrem Petrum Arnesii eiusdem Prov.; pro anno 1487 ordinarie Fr. Petrum Vasche.

Ordinamus Regentem in Studio Pisano Mag. Regentem Magistrum Joannem de Veneciis.

Ordinamus ad legendum in Studio Coloniensi, pro anno 1480 Fr. Hugonem Wallis Prov. Franciae; item in eodem studio pro Philosophia Fr. Gerardum di Landen (2) Prov. Alamaniae inferioris, pro duobus annis scilicet 78 et 79; item Fr. Valentinum Sincher Prov. Alamaniae inferioris pro simplici forma (5) pro annis 78-79.

Ordinamus ad legendum in Studio Montis Pessulani:

Pro anno 1478 ad legendum Sententias ordinarie Fr. Bernardum Bonaldi Prov. Narbonae. Et eodem anno leget extraordinarie Fr. Petrus Boheri eiusdem Prov.; pro anno 1479 ad legendum Sententias ordinarie Fr. Joannes de Cruce eiusdem Provinciae, et eodem anno leget extraordinarie Fr. Joannes Laurentii. Pro anno 1480 ad legendum Sententias ordinarie Fr. Benedictum Durandi Prov. Narbonae. Pro anno 1481 ad legendum Sententias ordinarie Fr. Guill. de Quadridino (4) Prov. Aquitaniae; pro anno 1482 ad legendum ordinarie Fr. Stephanum Messonati (5) Prov. Narbonae; pro anno 1483 ad legendum ordinarie Fr. Joannem Raynaudi (6) Prov. Narbonae.

Ordinamus ad legendum in Studio Andegavensi, pro anno

---

(1) Michael Michaudi. A. 1504, tunc prior Rupeculae, habuit licentiam eundi Romam pro confirmatione privilegiorum Ordinis. 1506 fit vicarius generalis in eodem conventu.

(2) Girardus de Landen. Gerardus Landi obiit a. 1498 in conventu Thenensi.

(3) Studia alia erant pro Lectoratu, alia pro simplici forma, quae nempe Gradus non obtinebant.

(4) Gulielmus de Quadridino. Melius de Quadrivio. 27 Febr. 1509 confirmatus fuit provincialis Aquitaniae.

()5 Stephanus Messonati. 30 Dec. 1503 habuit facultatem cum quibusdam restrictionibus condendi testamentum.

(6) Joannes Raynaudi. Ultimus inter signatores alicuius documenti emptionis Avinione factae, 2 Dec. 1474.

1478 ordinarie Fr. Henricum Daradon Prov. Turoniae; pro anno 1479 Fr. Rodulphum Des Gres eiusdem Prov.; pro anno 1480 Fr. Oliverium Guilloti eiusdem Prov.; pro anno 1481 Fr. Joannem de Valle (1) eiusdem Prov.

Ordinamus ad legendum in Studio Pictavensi pro anno 1478 ordinarie Fr. Anthonium Ficatelii Prov. Acquitaniae; pro anno 1479 Fr. Guill. Merulli Prov. Vasconiae; pro anno 1480 Fr. Gaufridum Grignon Prov. Turoniae; pro anno 1481 Fr. Clementem Gervasii Prov. Turoniae.

Ordinamus ad legendum in Studio Ilardensi *(Lerida)* ordinarie pro anno 1478 Fr. Petrum Graciani Prov. Cathaloniae; pro anno 1479 Fr. Anthonium Cuperonis eiusdem Prov.

Ordinamus ad legendum in Studio Nannetensi ordinarie pro anno 1479 Fr. Joannem Bosenc Prov. Turoniae; pro anno 1480 Fr. Guill. Guisnelli (2) eiusdem Prov.; pro anno 1481 Fr. Jacobum Dasse Prov. Aragoniae; pro anno 1482 Fr. Petrum Dugumo Prov. Turoniae.

Ordinamus ad legendum in Studio Burdegalensi ordinarie pro anno 1478 Fr. Nicholaum Chamandi Prov. Vasconiae; pro anno 1479 Fr. Henricum Silvestri Prov. Turoniae.

Item ordinamus in Studio Perusino pro anno 1479 Fr. Joannem Baptistam de Masse (3) Prov. Marchiae Anchonitanae.

Ordinamus Magistrum Guill. Vandeli (4) Regentem in Studio Paduano.

(60-r) Ordinamus ad legendum in Studio Perpiniani pro anno 1478 ad legendum Sententias Fr. Joannem Martini Provinciae Cathaloniae; pro anno 1479 Fr. Raphaelem Sbert eiusdem Prov.; pro anno 1480 Fr. Joannem de Deo eiusdem Prov.

Item in Studio Pisano pro Logica, Philosophia et Theologia pro duobus annis immediate sequentibus.

---

(1) Joannes de Valle. 15 Maii 1509 absolutus fuit a conventu sororum de Coetts (ubi videtur confessarius vel capellanus vel vicarius fuisse) et factus est conventualis Plormelli prov. Turoniae.

(2) Gulielmus Guisnelli. Seu Guesnel. Electus provincialis Turoniae 21 Nov. 1505.

(5) Joannes Baptista de Masse. Melius de Massa. Doctor Bononiensis 6 Maii 1482. A. 1503 vicarius generalis conventus Massae, 1511 prior Anconae.

(4) Gulielmus Vandeli. 1462 Bandeli.

Ordinamus ad legendum in Studio Treverensi Sententias pro anno 1479 Henricum Pastoris (1) Prov. Alamaniae Superioris.

Ordinamus ad legendum in Studio Cracoviensi pro anno 1479 et duobus sequentibus, ad legendam Bibliam et caeteros actus scholasticos Fr. Stanislaum Prov. Bohemiae; pro anno 1481 et duobus sequentibus Fr. Albertum Magni de Pozonia Provinciae Bohemiae.

Ordinamus ad legendum in Studio Cadomensi pro anno 1478 Fr. Gaufridum Reclusi (2) Prov. Franciae; pro anno 1479 Fratrem Guill. Vasse Prov. Franciae; pro anno 1480 Fr. Judocum de Rothomago eiusdem Prov.; pro anno 1481 Fr. Joannem Menyer eiusdem Prov.; pro anno 1482 Fr. Jacobum Renoult (3) eiusdem Prov.

Ordinamus ad legendum in Studio Bituricensi pro anno 1478 Fr. Mattheum Cortoix (4) Prov. Franciae; pro anno 1479 Fratrem Joannem Coffin eiusdem Prov.; pro anno 1480 Fr. Andream Patin eiusdem Prov.; pro anno 1481 Fr. Jacobum Fabri (5) eiusdem Provinciae.

---

(1) Henricus Pastoris. Nullum vestigium de eo in actibus provinciae Alemanniae Superioris, unde praesumitur scriptorem leviter errasse in nomine scribendo Pastoris loco Pistoris. Etenim Henricus Pistoris de Nurenberga mittitur a. 1471 Coloniam pro simplici theologia, ibidemque confirmatur 73 pro gradu lectoratus; 75 fuit lector Bambergae, 78 Nurnbergae, 79 Magister studentium Viennae « et legat in philos. et theol. pro gradu baccalaureatus teneatque publicos circulos ». 1482 fit rector studii Viennae et « procedat in universitate ad baccalaureatum et consequenter usque ad magisterium inclus. ». A. 84 (tunc baccal.) fit lector Nordlingae, 88 rector studii Viennensis et iterum 1490, tunc sententiarius. 1497 lector Rotenburgensis. Amplius nullus de eo sermo, Distinguendus ab alio eiusdem nominis prov. Alemanniae inferioris.

(2) Gaufridus Reclusi. A. 1487 prior conventus Pontis Audomari et doctor in s. pagina. 1503 vicar. generalis trium conventuum in Normandia a quo officio absolvitur 6 Febr. 1504 ob conquestum provincialis.

(3) Jacobus Renoult. 1482 Renourdi.

(4) Mathaeus Cortoix. A. 1504 prior Bituricensis, 1507 provincialis Franciae.

(5) Jacobus Fabri. Prior Remensis, 3 Aug. 1502 vicarius generalis super ipsum conventum.

In Studio Parisiensi pro Gradu Lectoriae, pro duobus annis pro Gradu Lectoratus scilicet pro anno LXXVIII et LXXIX Fr. Jacobum Dasse Prov. Aragoniae; pro eisdem annis LXXVIII et LXXIX pro Gradu Lectoriae Fr. Conradum Oyheym (1) Prov. Alamaniae inferioris; pro Gradu Lectoriae in Conventu Parisiensi pro anno LXXVIII et LXXIX Fr. Archangelum de Cremad Prov. Venetiarum.

Nomine R.mi Patris et suis expensis pro simili forma in Conventu Parisiensi. Primus Fr. Joannes de Lucia Provinciae Siciliae pro tribus annis immediate sequentibus, scilicet 78, 79 et 80 mittitur Scholaris R.mi Patris Generalis Parisius in Studentem honoris. 2. Fr. Leonardus de Maguntia Prov. Alamaniae Inferioris pro duobus annis, scilicet 78 et 79. 3. Ordinamus Studentem honoris Ven. Patrem Lectorem Fr. Joannem Bomardi Prov. Narbonae pro tribus annis immediate sequentibus. 4. Frater Praesentatus Claveti pro annis 78 et 79. 5. Fr. Leonardus Hirtzhorn Prov. Alamaniae Inferioris pro annis 79 et 80. 6. Frater Nicholaus de Arluno Prov. eiusdem pro annis 79 et 80. 7. Fr. Guill. Guisnel Prov. Turoniae, Fr. Petrus de Guymo eiusdem Prov., Fr. Joannes Bosenc, Joannes Droyt eiusdem Provinciae pro annis 78, 79 et 80. Fr. Joannes de Avellana Provinciae Vasconiae pro annis 78 et 79. Fr. Dominicus de Sagusio eiusdem Prov. pro annis 78 et 79. Fr. Franciscus de Medicis Prov. Venetiarum pro annis 78, 79 et 80. Fr. Lucas de Spingurdis (2) Prov. Neapolitanae pro annis 78, 79 et 80. Fr. Bernardus de Sancto Martino Prov. Vasconiae pro annis 78 et 79. Fr. Bernardinus Senensis (3) Prov. Tusciae pro annis 78, 79 et 80. Fr. Beda de Ast (4) Prov. Longobardiae pro annis 78, 79 et 80, Fr. Petrus de Tasteto (5) Prov. Vasconiae pro 78 et 79. Fr. Jacobus Fabri Prov. Franciae pro annis 78 et 79. Fr. Egidius Soreth Prov. Franciae pro annis 78 et 79. Fr. Ogerius Ym-

---

(1) Conradus Oyheym. Legendum, ut videtur, Weynheim, alias incognitus.

(2) Lucas de Spingurdis. Melius de Spingardis, fuit prior Neapoli a. 1500 et 1505, forte etiam tempore intermedio, provincialis 1515.

(3) Bernardinus Senensis. Postea Generalis.

(4) Beda de Ast. Confirmatur in provincialem Lombardiae 26 Octobris 1508, et 10 Aug. 1511 absolvitur ab officio vicarii generalis.

(5) Petrus de Fasceto. Circa nomen vide supra.

pin (1) pro annis 78 et 79. Fr. Bartholomaeus de Campaniola Prov. Venetiarum pro annis 78, 79 et 80. Fr. Joannes Venne de Prov. Franciae pro annis 78 et 79. Fr. Baptista de Bucolemis de Brixia Prov. Venetiarum pro annis 78, 79 et 80 Scolaris R.mi Patris Generalis. Fr. Angelus de Florentia de Pisis (2); Fr. Raphael de Rosis pro tribus annis.

(60-v) SEQUUNTUR ORDINATIONES SIVE STATUTA CONCERNENTIA TOTUM ORDINEM

Primo. Ordinamus et statuimus, quod per totum Ordinem fiat Festum IX Lectionum de Sanctis, quorum Corpora quiescunt Romae in nostro Conventu Sancti Martini in Montibus, et in aliis Conventibus Ordinis.

Ordinamus insuper, ut per totum Ordinem fiat Festum totum

(1) Ogerius Ympin. 27 Junii 1505 licentiatus ad inserviendum alicui ecclesiae seu domino vel saeculari vel spirituali tamquam capellanus; 9 Julii eiusdem anni absolutus a conventu Gandensi et translatus ad Brugensem.

(2) Angelus de Florentia. Plenum nomen fuit Angelus Andreae de Catastanis. Studens in artibus Florentiae 1471 et 73, 78 Pisis, ibidem magister studentium 1480; doctor s. theol. Florentiae 14 Junii 1484, pluries diffin. necnon socius ad capitula generalia 1497 (quod non celebratum est), 98 et 1503; 88 prior Florentiae, ibidemque regens quamplurimis annis, a 1504 usque 1516 provincialis, sed a. 1506 a Generali graviter negligentiae increpatus eo quod statuta capituli generalis praesertim quoad conventum Florentinum observari non fecisset. 1516 cessit ab officio factusque est confessor monialium nostrarum Florentiae, atque denuo regens; 1525 fit provincialis altera vice usque 28, postea vicarius generalis. Obiit Florentiae 7 Julii (non 7 Aug. ut quidam perperam dicunt) 1529, sepultus in capella Passionis. Magnum de eo elogium extat in novo Necrologio: « Doctrina magis an prudentia praefulserit in dubium revocatur, cum eius speculandi et sapienter operandi studium foret, latinae et graecae linguae aeque peritus, in geometria doctissimus et insectandis haereticorum erroribus et controversiis Romae et Venetiis libros sui ingenii suaeque pietatis testes edidit. Suis sumptis erexit monasterium S. Virginis Mariae (Gratiarum in Assa nera an Montis Herculei?) nostri Ordinis. Conventui reliquit scuta decem et octo pro constructione primi claustri; aliqua alia beneficia dum viveret fecit. Tandem plenus dierum moritur », etc.

duplex, vel duplex de omnibus illis Sanctis cum octava, in quorum diebus et octavis concessae sunt Indulgentiae in Mari Magno Indulgentiarum.

Ordinamus praeterea, ut fiant etiam Octavae solemnes in Festivitatibus Epyphaniae, Ascensionis Domini, et Sancti Michaelis, et Transfigurationis Domini.

Ordinamus insuper, quod exinde per totum Ordinem fiat Festum IX Lectionum XV Februarii, ut plurimorum Martyrum de Sanctis Faustino et Jovita, quorum Corpora quiescunt Brixiae in Dominio Illustrissimorum Venetorum.

Item ordinamus, quod fiat Festum IX Lectionum ut de uno Episcopo et Confessore de Sancto Honorio, XXIIII Aprilis, cuius Corpus quiescit Brixiae in Prov. Venetiarum.

Insuper volumus quod in Prov. Angliae, propter magnam Populi devotionem, Fratres nostri possint facere Festum Duplex de Sancto Graciano Episcopo et Confessore; et Festum IX Lectionum de Sancto Erasmo Episcopo et Confessore 3ª die Junii, et antea nostri Ordinis Fratre.

Item ordinamus et statuimus, ut nullus in toto Ordine nostro factus Magister in Theologia post nostrum Generale Capitulum Asti Anno Domini M.CCCC.LXXII in Festo Pentecostes, in aliis Universitatibus extra Parisiensem et Tholosanam, habeatur pro Magistro, nisi prius ostenderit expressam R.mi Patris Generalis, aut Diffinitorum praefati Capituli licentiam aliam ab illa qua promotus est ad legendum Sententias, nisi in illa derogetur Statuto facto Parisiis.

Item ut legentium, et audientium pro viribus procuretur profectus, ordinamus, et statuimus, ut promoti ad legendum Bibliam et Sententias, si prius non legerint Bibliam, eo facto eorum promotio ad legendum Sententias sit nulla.

Item cum ad nos pervenerit plurimos nostrae Religionis Fratres potius honoris avidos, quam profectum, et scientiarum incrementa quaerentes, ita fore remissos in Lecturis Sententiarum, et paucissimis contenti lectionibus, a studiis ad quae promoti sunt abscedant, in grande Religionis dedecus, et multorum malum exemplum et scandalum; statuimus, et ordinamus, et ita observari praecipimus, et mandamus, ut quicumque ad legendum Sententias promoti teneantur legere publice horis debitis, ad sonum campanae, in Scolis et totam lecturam Magistri Sententiarum

perficere: et sub poena privationis omnibus Regentibus quarumcumque Universitatum mandamus, ut ad hoç suos Baccalarios cogant; quod si facere neglexerint, tam Regentes, quam Legentes privamus taxis ordinariis, quas excipere solent.

Item cum in Conventu Parisiensi plurimum, ut accepimus, Officium divinum labatur, in maximum Populi scandalum, et devotionis diminutionem; ordinamus ut omnes studentes promoti pro forma Lectoratus teneantur in quindena diebus inclusis Dominicis semel tantum comparere in Matutinis; promoti vero pro simplici forma semel in hebdomada; Conventuales vero duabus vicibus in hebdomada. Quod si neglexerint facere, volumus per hunc modum puniri. Pro prima vice qui defecerint sint in Refectorio puniti pane et aqua. Pro secunda vice suscipiant cum humilitate a manu Prioris disciplinam. Pro tertia vice si fuerint promoti pro Gradu sint inhabiles ad susceptionem Gradus Lectoratus; si fuerint Lectores, aut pro simplici forma, dum quater defecerint expellantur a Conventu. Si vero fuerint Conventuales et quater defecerint, expellantur a Conventu et remittantur Provinciali Franciae. At vero quicumque sint, cuiuscumque Gradus, sub poena rebellionis, tenebuntur interesse Salve Regina, quae dicitur post Completorium; dummodo tamen Completorium dicatur hora debita.

Item ordinamus in Sacristam Conventus Parisiensis pro tribus annis immediate sequentibus, scilicet pro anno 78, 79 et 80, dum tamen quolibet anno solvat Conventui ultra consuetam summam decem francos, et faciat unum Iocale ante Altare in Capella Beatissimae Dei Genitricis Mariae de Recuperantia Fr. Petrum Hebert Conventus Parisiensis.

Item ordinamus, ut vendentes candelas in Portis Ecclesiae nostrae Parisiensis, vendant candelas sub eo numero et pondere, quo vendere consueverunt illae, quae vendunt in Ecclesia, seu in portis Ecclesiae Sanctae Genovefae, et ad hoc compellantur tales vendentes per Procuratorem Conventus et Sacristam dicti Conventus.

Item ordinamus pro vitando scandalum in Conventu Parisiensi, ut mulieres vendentes candelas ponantur et deponantur ad arbitrium Prioris Provincialis, aut Vicarii, sive Prioris localis, et Sacristae, nec alius de hac re possit intromitti, sub poena excommunicationis latae sententiae.

Item ordinamus et statuimus, quod in Conventu nostro Parisiensi nullus audeat tempore quo in Choro Divina celebrantur per navim Ecclesiae deambulare nisi forte cum licentia Prioris, et ex iusta causa, sub poena excommunicationis post trinam monitionem; cui si non pareant, erunt ipso facto excommunicati.

(61-r) Item ordinamus pro pace conscientiae, et tranquillitate Fratrum Conventus Parisiensis, quod cum Prior Parisiensis quo ad positionem et depositionem tantum subdatur Capitulo Generali, aut Magistro R.mo Patri Generali Ordinis; in aliis vero omnibus Priori Provinciali subdatur, sicuti caeteri Priores Locales aliorum Conventuum, iuxta Constitutionem nostram, quae habetur in Rubrica de Diffinitorio Capituli Generalis; quae Constitutio incipit sic: Ordinamus quod in Conventu Romanae Curiae et Parisiensi, etc., praefatus Prior Parisiensis, qui nunc est, et pro tempore erit, subdatur Priori Provinciali, qui nunc est et pro tempore erit, cui possit Prior Provincialis mandare in promotionibus scolarium, et aliorum, vel cum miserit aliquem ad Conventum sub ista forma: Mandantes Priori dicti Conventus, quatenus te benigne recipiat et caritative tractet secundum Deum, etc.; quibus mandatis teneatur Prior Parisiensis, sub poena excommunicationis latae sententiae, quam incurrit ipso facto, obedire.

Insuper cum Prior Parisiensis hactenus praesumpserit aliquos Fratres promovere ad Sacros Ordines, sine licentia Magistri Reverendissimi Patris Generalis, aut Provincialis praefatae Provinciae Franciae; statuimus et sub poena excommunicationis servari mandamus, ut Prior Parisiensis nullum exinde promovere possit ad Sacros Ordines, sine licentia R.mi Patris Generalis, aut Provincialis praefatae Provinciae Franciae, aut suorum Vicariorum; nec possit aliquem ad honorem Iubileatus promovere, sub excommunicationis poena; et si aliquem fecit, eum privamus iubileatus honore: et idem intelligimus de aliis Prioribus localibus. Decernentes exinde praefatum Provincialem Franciae habere ius visitandi praefatum Conventum Parisiensem, semel in anno; et Conventus more solito tenebitur durante tempore visitationis providere dicto Magistro Provinciali in expensis, non obstantibus quibuscumque, etc.

Cum pro pace, et multorum tranquillitate conscientiae, ac Conventuum utilitate ita providendum sit cuilibet pro viribus, ut de opportuno, et debito iuxta merita provideatur honore; statui-

mus et ordinamus in Vicarium super Conventus infrascriptos, scilicet Conventum Januae, Conventum Gavii, Conventum Cramolini, Conventum Massae, Conventum Ast., Montis Calerii, Alexandriae R.dum Mag. Albertum de Quaresimis Sacrae Theologiae Professorem, cum potestate et authoritate eadem, qua Provincialis in sua Provincia. Statuentes, ut praefatus Vicarius cum Fratribus Conventuum sibi creditorum debeat convenire in Capitulo Provinciali Prov. Lombardiae, in quo praesidebit Provincialis Lombardiae, cui interdicimus potestatem innovandi aliquid in dictis Conventibus sine voluntate et consensu Ven. Vicarii; ibidem tamen instituentur Priores supradictorum Conventuum; voluntate tamen et consensu interveniente supradicti Vicarii; cuius consensu caetera illorum septem Conventuum tractabuntur negotia, et praefatus Vicarius suscipiet omnes taxas ordinarias dictorum Conventuum, et pro rata satisfaciet R.mo Patri Generali secundum R.mi Patris Generalis ordinationem.

Item ordinamus, ut nullus Provincialium habeat exinde authoritatem faciendi Lectores, nec de se, nec in Capitulis Provincialibus, nisi tales fuerint docti in Philosophia et Theologia, atque fuerint solemnissimi Praedicatores, super quo eorum oneramus conscientias: facti vero ab eis aliter quam praemittitur, gradu et honore sint privati.

Item statuimus, ut nullus exinde possit legere Sententias in aliqua Universitate, nisi prius fuerit lector in Theologia, sub poena privationis Gradus suscepti.

Item statuimus, quod omnes Provinciales, post reditum ad proprias Provincias, habeant diligenter requirere privilegia omnia in generali, atque Conventibus in particulari concernentia, et in veris transumptibus ad R.mum Patrem Generalem, aut ad Generalem Procuratorem transmittere ad Curiam.

Item confirmamus omnes Constitutiones, et omnia Statuta facta in ultimo nostro Capitulo facto in nostro Conventu Astensi, quae his nostris ordinationibus non sunt contraria.

Ordinamus et statuimus, ut Mag. Julianus di Brixia De penis quondam Provincialis Provinciae Venetiarum, et Vicarius Congregationis Mantuanae, sit inhabilis ad quodcumque officium in Ordine nostro, usque ad ulteriorem provisionem faciendam per Capitulum Generale, aut per R.mum Patrem Generalem. (61-v)

Propter violentam suspicionem contra Fr. Joannem Gonbini (1), committitur R.do M.ro Provinciali Prov. Provinciae M.ro Pontio Raynaldi, ut in causa sui, nomine et vice totius Capituli Generalis, determinet secundum formalitatem iuris, usque ad sententiam diffinitivam inclusive, applicando poenas per nostras Constitutiones institutas, aut poenas a iure debitas, in qua quidem re plenissimam dicto Patri Provinciali damus potestatem. Et si contingeret, R.mum Patrem Generalem, aut eius Vicarium, ante sententiam diffinitivam ad partes eas se transferre, poterit, prout sibi videbitur expediens, omnia facere.

Ordinamus Studium in Conventu Agrigentino Prov. Sancti Angeli, pro Grammatica, Logica et Philosophia.

Ordinamus, quod Fr. Paulus de Cavensio Conventus Januae Prov. Lombardiae habeat Litteras dimissorias, quod infra terminum competentem, scilicet tertium mensem, intret aliam Religionem; alias si infra terminum sibi datum non intraverit, perpetuo carceri mancipetur, et sine spe liberationis.

Ordinamus, quod quicumque Religiosus nostrae Religionis percusserit aliquem Praelatum Religionis, et praecipue R.mum Patrem Generalem, vel Provincialem, aut eorum Vicarios, vel Priores, non obstante quod fuerit ab aliquo Legato, vel quocumque alio in foro conscientiae absolutus, hoc nonobstante carceri mancipetur pensata qualitate criminis. Ex quo ad carceres condemnamus per unum annum Fr. Petrum de Azo (2).

Absolvimus a nostra Provincia Neapolitana, Apuliae et Calabriae, et praecipue a nostro Conventu Neapolitano sine regressu, nisi ab authoritate R.mi Patris Generalis infrascriptos Fratres, scilicet Fr. Salvatorem de Arnelis, Fr. Gregorium de Benqueto, Fr. Paulinum de Neapoli, Fr. Bernardinum de Neapoli; dictum tamen Fr. Salvatorem de Arnelis condemnamus ad poenas sibi debitas, ad arbitrium Ven. Provincialis Siciliae, ad quam Provinciam eum ordinamus.

Ordinamus Capitulum Generale futurum in nostro Conventu Caesaraugustae in Prov. nostra Argoniae, in Festo Penthecostes, Anno D.ni M.CCCC.LXXXIIII, nisi pro iusta et rationabili causa alibi sit faciendum, iuxta arbitrium R.mi Patris Generalis.

---

(1) Idem videtur ac Goboni a. 1472.

(2) Inter lineas: Ast.

Ordinamus, quod quilibet Provincialis, dum ad propria redierit procuret summa cum diligentia a Regibus et a Principibus pro canonizatione Sancti Angeli Martyris, aut Sancti Andreae, cuius canonizationem committimus R.mo Domino et Patri Generali.

Insuper procurabuntur Litterae, in quibus Reges et Principes supplicent S.mo D.no Nostro, quatenus pro sua clementia dignetur facere unum Cardinalem nostri Ordinis. Omnes gratias et privilegia concessa per R.dum Episcopum Egitinen. omnibus, aut quibuscumque Fratribus nostrae Prov. Portugaliae, revocamus et annullamus, et committimus Ven. Provinciali Aragoniae, ut erga illam Prov. habeat vices nostras.

Ordinamus, quod omnes Provinciales, postquam ad propria redierint, faciant preces devotissimas fieri pro SS.mo D.no Nostro Papa, pro R.mo D.no Cardinali Rothomagensi SS.mi D.ni Nostri Camerario, et Sanctissimae nostrae Religionis tutissimo Protectore; etiam pro Sacro Collegio R.morum Cardinalium, et pro Serenissimo et invictissimo Domino Venetorum; et pro Magnificis potentibus Patriciis Venetis, videlicet D.no Eustachio Baldo, pro eodem Serenissimo Domino in civitate Brixiae potestate, et D.no Francisco Dedo, pro eodem Serenissimo Domino in eadem civitate Arcium, et utriusque Censurae Doctore; et Serenissimo Interprete, ac Capitaneo dignissimis; et pro magnificae et magnipotentis civitatis Brixiae nobilibus civibus, et caeteris utriusque sexus habitatoribus, et pro omnium eorum clarissima familia.

Insuper fient preces devotissimae pro incolumitate R.mi Patris Generalis, ut Deus donet gratiam Suae R.mae P. proficiendi in augmentum nostrae Sanctissimae Religionis sibi creditae. Et pro R.mo Episcopo Brixiensi. Et pro Domino Ludovico Rovedano eius Nepote.

Item R.mus Pater Generalis ex authoritate sibi commissa a SS.mo D.no Nostro Papa et sua benignitate, dat omnibus Provincialibus totius Religionis, ut possint dispensare cum omnibus Religiosis et Sororibus eius subiectis super ieiunio et esu carnium, iuxto formam Maris Magni.

Ordinamus, quod nullus Provincialis, aut Prior localis, sub poena privationis, audeat recipere aliquos Religiosos vagos, apostatas alterius Provinciae, sed statim cum ad suam Provinciam venerint, ponat eos ad carceres, et suo Provinciali denunciet.

Item ordinamus, quod Provinciales, cum habuerint aliquem

Religiosum vagum, brigosum aut apostatam, immediate scribant R.mo Patri ad Curiam, vel Procuratori Generali.

Damus authoritatem R.mo Patri Generali eligendi sibi socios ad eius arbitrium.

GRATIANUS DE VILLANOVA, *diffin.*

(62-r) Anno Domini 1482 die 26 Maii.

Haec est Tabula facta in Conventu Avinionis Prov. Provinciae, ubi celebratum est Capitulum Generale anno et die quibus supra. In quo quidem Capitulo unanimiter, unoque ore fuit electus Reverendissimus Mag. Pontius Raynaudi Provincialis Prov. Provinciae, videlicet in Vigilia Penthecostes, Missa celebrata, Spirituque Sancto invocato. In quo quidem Capitulo interfuerunt omnes Provinciales Ordinis, cum eorum Sociis; et inde processum est ad Diffinitorium in die Penthecostes sic. Et haec est Tabula eorum, quae acta sunt in praedicto Generali Capitulo, videlicet primo de Diffinitoribus.

Primus Diffinitor R. Mag. Christophorus de Borel (1) Provincialis Terrae Sanctae; 2. R. Joannes de Lucia Socius Provincialis Siciliae; 3. R. Mag. Joannes Davidi (2) Socius Prov. Angliae; 4. Mag. Jacobus Saleti Socius Prov. Narbonae; 5. Marchus de Montecatino Provincialis Prov. Romanae; 6. Mag. Guilbertus Mantemi (3) Socius Prov. Franciae; 7. Mag. Martinus (4) Ala-

(1) Christophorus de Borel. Idemne qui a. 1462 Bolst nuncupatur?

(2) Joannes Davidi. In sequentibus Dando, Dayndi, Darndi, etc,, nuncupatus. Agitur vero de Joanne Vyndi, de quo Balaeus ait: « pater certe egregius et pius quamvis non nimium eruditus ». Oriundus e conventu S. Botolphi, magister, uti videtur, Cantabrigiensis, capellanus Henrici VII. Post depositionem Joannis Milverton eligitur provincialis in cap. Sandvicensi 1482 et provinciam rexit usque ad obitum qui occurrit in patrio conventu 1 Martii, anno, ut Balaeus dicit, 1504 iuxta computationem anglicam, sed 1505 iuxta nostram. Etenim 6 Nov. 1504 « confirmatus est provincialis et factus vicarius generalis et si vellet propter canitiem suam resignare officium habeat semper primum locum post provincialem et sit exemptus ab omni iurisdictione praeter nostram et possit confiteri auctoritate sua toties quoties ».

(3) Guilbertus Mantemi. A. 1469 Mantent.

(4) Martinus, i. e. de Aquis seu de Montjoie.

maniae Inferioris Provincialis; 8. Mag. Marchus de Reclusis (1) Provincialis Prov. Lombardiae; 9. Mag. Bernardus de Falegiis (2) Provincialis Prov. Aquitaniae; 10. Mag. Gratianus de Villanova Provinc. Prov. Aragoniae; 11. Mag. Nicholaus Ramureli (3) Vicarius Provinc. Prov. Provinciae; 12. Mag. Joannes de Manzis (4), alias de Prato, Provinc. Tusciae; 13. Fr. Joannes Scoti Socius Provinc. Prov. Scotiae; 14. Fr. Petrus Saleti (5) Socius Provincialis Prov. Tolosanae; 15. Mag. Bernardus Sabaterii Socius Provinc. Prov. Cathaloniae; 16. Fr. Joannes Curans (6) Socius Provinc. Alamaniae Superioris; 17. Fr. Petrus de Monteoristano Socius Provinc. Prov. Vasconiae; 18. Mag. Robertus Salamonis (7) Provinc. Prov. Turoniae; 19. Fr. Remigius Saxon Socius Provinc. Prov. Saxoniae; 20. Mag. Joannes Baptista de Massa Provinc. Prov. Romandiolae, quae nunc est unita; 21. Fr. Joannes de Freida Provinc. Prov. Castellae.

(62-v.) Taxa pro quolibet anno fuit in toto Ordine ad summam trecentorum duorum Ducatorum omnium Provinciarum, quae sunt numero viginti sex.

Primo Provincia Terrae Sanctae fuit taxata pro quolibet anno ad ducatos duos; Siciliae ad viginti sex; Angliae ad triginta octo; Narbonae ad decem et octo; Romana ad tres; Fran-

---

(1) Marchus de Reclusis. Vir doctissimus, ita Balaeus. Camera sua Papiae a. 1510 conceditur Antonio de Candia.

(2) Bernardus de Falegiis. 1472 de Faleriis.

(3) Nicholaus Ramureli. Vide infra 1488.

(4) Joannes de Manzis de Prato. Joannes Laurentii de Mangis.

(5) Petrus Saleti. Idem sane qui a. 1469 et 72 Joannes Petrus Salveti, de conventu Tolosano, nuncupatur.

(6) Joannes Curans. Fuit is Joannes Crus (Kraus, Craws) qui a. 1447 logicae vacaverat, 49 in eodem studio Viennae, 51 in Angliam, et 52 pro philosophia Coloniam missus fuerat. 54 fit informator pro secundo anno Viennae, 56 ibidem cursor per triennium, 58 item pro alio biennio, 59 pro ultimo anno, 1460 conceditur promotio ad Lectoratum, ab a. 63 usque ad 71 fuit prior Ravensburgensis, 78 usque 90 prior Rottenburgensis, perinde pluries diffinitor in capitulis provincialibus. Amplius non memoratur.

(7) Robertus Salomonis. In bibliotheca Arsenalis Parisiis habentur litterae fraternitatis ab ipso concessae Francisco comiti de Montfort uxorique eius dat. Rhedonis 29 April. 1486.

ciae ad quindecim; Alamaniae Inferioris ad viginti quatuor; Lombardiae ad quatuordecim; Aquitaniae ad undecim; Aragoniae ad quinque: Yberniae ad sex; Provinciae ad duodecim; Scotiae ad quinque; Tusciae ad duodecim; Venetiarum ad sexdecim; Tolosanae ad undecim; Cathaloniae ad sex; Alamaniae Superioris ad viginti; Vasconiae ad quatuordecim; Turoniae ad sexdecim; Saxoniae ad tres; Castellae ad sex; Portugalliae ad duos; Bohemiae ad tres; Neapolitana ad decem.

(63-**r**.) Sequitur ordinatio Promotorum ad legendum Bibliam et Sententias in Studiis. E primo. In Studio Parisiensi pro primo anno scilicet 1482 ad legendum Bibliam et Sententias Fr. Joannem Mercatoris Prov. Turoniae; 1483 Fr. Joannem Mechanbi (1) Prov. Franciae; 1484 Fr. Gaufridum Rogerii Prov. Turoniae; 1485 Fr. Gulielmum de Quercu Prov. Vasconiae; 1486 Fr. Claudium Jacoti (2) Prov. Franciae; 1487 Fr. Stephanum Normani (3) Prov. Franciae; 1488 Fr. Yvonem Moreli Prov. Turoniae.

Sequitur Ordinatio Promotorum in Studio Tolosano ad legendum Bibliam et Sententias.

Primo ordinarie pro anno 1482 Fr. Petrum de Peyto Provinciae Tolosanae: et pro eodem anno extraordinarie Fr. Petrum de Balis Lectorem Prov. Aquitaniae; pro anno 1483 ordinarie Fr. Durandum a S. Justo (4) Prov. Aquitaniae; et extraordinarie Fr. Rigaldum Trepasen; 1484 ordinarie Fr. Michaelem Crosteti, et extraordinarie Fr. Joannem Perati, Fr. Lanzelotum Prioris, et Fr. Guill. Blaxii; 1485 ordinarie Joannem de Fabro (5) Prov. Vasconiae, et extraordinarie Fr. Stephanum Peyrati; 1486 ordinarie Fr. Bernardum de Guarrigua, extraordinarie Fr. Cabionis; 1488 Fr. Petrum Augerii.

Sequitur ordinatio ad legendum Bibliam et Sententias in Stu-

(1) Joannes Mechanbi. 1478 Matandi.

(2) Claudius Jacoti. Alias Jaqueti. Monumenta, 416. A. 1504 vicarius generalis in conventibus Cabillonensi et Visantinensi (Besancon).

(3) Stephanus Normani. De numero eorum qui Immaculatam Conceptionem B. V. contra oppugnatores tutati sunt.

(4) 1478 Durandus Justi.

(5) Joannes de Fabro. A pluribus eiusdem nominis distinguendus. Fuit is « in doctrina et in scripturis sacris eruditus », provincialis Tolosanus a 1502 usque 1510, obiit in conventu Castri novi de Arrio, 28 Martii 1516.

dio Avinionensi. Pro primo anno, scilicet 1482 Fr. Mattheum Oleri Prov. Provinciae, et hoc ad legendum ordinarie; pro 1483 ordinarie Fr. Franciscum de Medicis Prov. Venetiarum; pro 1484 ordinarie Fr. Joannem Ginlo Prov. Turoniae.

Ad legendum in Studio Coloniensi *(nomina non adsunt).*

(63-**v**.) Sequitur ordinatio ad legendum Bibliam et Sententias in Studio Montispessulani: pro anno 1482 Fr. Joannem Bernardi; pro eodem Fr. Stephanum Berengarii extraordinarie; pro 1483 ordinarie Fr. Symonem Chequarch, extrardinarie Fr. Joannem Raynaudi; pro 1484 ordinarie Fr. Guidonem Michaelis (1); extraordinarie Fr. Stephanum Pigerio; pro 1485 Fr. Michaelem Natalis (2), extraordinarie Fr. Joannem Bonsilbonus; pro 1486 Fr. Guidonem Sauverii; pro 1487 Fr. Hemonem Fidei.

In Studio Andegavensi, pro anno 1482 Fr. Evenum Quentis Prov. Turoniae; pro 1483 Fr. Ludovicum Baldini; pro 1484 Fratrem Oliverium Vomeribus.

In Studio Pictaviensi pro primo anno 1482 Fr. Bernardum Hervey; pro 1483 Fr. Petrum Valete Prov. Turoniae; pro 1484 Fr. Anthonium de Puniaud; pro 1485 Fr. Stephanum Perati (3); pro 1486 Fr. Petrum Moreli; pro 1487 Fr. Maturinum Saxin; pro 1488 Fr. Joannem de Arleto.

In Studio Ilardensi, pro anno 1484 Fr. Baldirium de Barchinona.

(64-**r**) In Studio Cadomensi: pro anno 1482 Fr. Jacobum Renourdi (4); pro 1483 Fr. Ricardum Nanchel; pro 1484 Fratrem Albertum Gomart; pro 1485 Fr. Egidium Soret; pro 1486 Fr. Robertum de Valibus; pro 1487 Fr. Joannem Dudent; pro 1488 Fr. Egidium Tolon·

In Studio Caturcen: pro anno 1482 Fr. Joannem Mauritii.

In Studio Nanaten: pro anno 1482 Fr. Petrum de Grimis (5); pro 1483 Fr. Franciscum Michaelis; pro 1484 Fr. Guill. Brofact;

---

(1) Guido Michaelis. 16 Julii 1500 praesentatus in s. theol. in conventu Montispessulani.

(2) Michael Natalis. 21 Febr. 1509 prior Lugdunensis, vicarius generalis pro reformatione conventus, obiit ibidem a. 1526.

(3) Stephanus Perati. Supra Peyrati.

(4) Jacobus Renourdi. Supra 1478 Renoult,

(5) Petrus de Grimis. Idemne ac Petrus Guymo de quo a. 1478?

pro 1485 Pr. Joannem Bubri (Rubri?); pro 1486 Fr. Joannem Stonques.

In Studio Alamaniae Superioris Dubigen., pro primo anno 1482 Fr. Joannem Panzenreurt (1); pro 1483 pro Biblia Fratrem Martinum de Ebungen (2). Item in Studio Vien. eiusdem Alamaniae pro Biblia Fr. Henricum Pistoris (3) lectorem. Item in Studio Paduae eiusdem Alamaniae pro Biblia Fratrem Leonardum Remole Lectorem.

In Studio Burdigalensi: pro anno 1482 ad legendum Sententias ordinarie Fr. Bernardum de Sancto Martino; pro 1483 Fr. Angelum de Brocario. (64-**v**.)

In Studio Perpinianen; Treven; Bononien; Salmantino, *(Nomina desunt)*. Papiensi: Pro primo anno ad Sententias Fr. Anthonium de Candia.

In Studio Paduano, pro anno 1482 Fr. Bartholomeum de Massis, dictus Marchus; pro 1483 Fr. Anthonium de Acroleta.

In Studio Bituricensi, pro 1482 Fr. Joannem Lorgeti (4), Fr. Jacobum Dasse, Fr. Jacobum Socii; pro 1483 Fr. Joannem Bruymii; pro 1484 Fr. Martinum Valeth (Naleth?); pro 1485 Fr. Robertum de Valibus.

Sequuntur Ordinationes Priorum Provincialium.

Ordinamus Provincialem Terrae Sanctae M. Christophorum

---

(1) Joannes Panzenreurt. Genuinum nomen quod variis modis in his actibus scriptum invenitur est Benzenreuter. E conventu Culmensi oriundus fuit a. 1469 magister studentium Viennae, 71 missus ad universitatem Erfordiensem pro lectoria in propriis expensis, a. 75 titulo lectoris insignitus prior Fontis Salutis (Heilbronn) cui conventui qui reformatus erat affiliatur; 78 et 79 confirmatur in prioratu; 84 iam baccalaureus effectus mittitur ad universitatem Tubingensem pro gradu magisterii; 88 titulo professoris s. theol. fuit tertius diffin. in capitulo provinciali. A. 1490 usque ad mortem quae in fine 1499 vel initio sequentis anni accidit fuit provincialis. Obiit Viennae sub marmore sepultus.

(2) Martinus de Ebungen. Martinus Ebinger eiusdem provinciae fuit lector Nurnbergae a. 1490.

(3) Henricus Pistoris, eiusdem provinciae. Supra 1478.

(4) Joannes Lorgeti. A. 1482 conventualis Rothomagi, postea mag. in theol.

de Borellis (1); Siciliae M. Nicholaum de Lucia (2); Angliae Magistrum Joannem Dayndi (3); Narbonae Mag. Humbertum Rauderii; Romanae M. Marchum de Montecatino; Franciae M. Martinum Clementis (4); (65-r.) Alamaniae Inferioris M. Martinum de Monjoye; Longobardiae M. Marchum de Reclusis Astensis; Aquitaniae M. Bernardum de Faligiis (5); Aragoniae M. Gratianum de Villanova; Provinciae differimus usque ad Capitulum proximum Provinciale Provinciae Provinciae, et ibidem Reverendissimus Mag. et Pater Generalis faciet ad arbitrium eius. Interea regetur per eum, aut per alium ab eo ordinatum. Hiberniae Fratrem Donaldum Gnormel (6); Scotiae M. Joannem Walch; Tusciae M. Joannem de Prato, alias de Mangis. Eximimus tamen a iurisdictione sua Conventum Florentinum (7), donec per Reverendissimum Patrem Generalem aliter fuerit provisum; Venetiarum relinquimus in manu R.mi M. Generalis, et ille qui nunc est reget Provinciam donec aliter provideatur; Tolosanae M. Arnaldum de Insula; Cathaloniae M. Guill. Tolosani; Alamaniae Superioris M. Joannem Carpentarii; Vasconiae M. Bernardum de Tapia; Turoniae M. Robertum Salomonis; Saxoniae M. Arma-

(1) Christophorus de Borellis. Videtur id verum nomen fuisse. Vide supra ad 1462.

(2) Nicolaus de Lucia. Supra 1456.

(3) Joannes Dayndi. Vynde. Supra.

(4) Martinus Clementis. Verum nomen Maturinus.

(5) Bernardus de Faligiis. 1472 de Faleriis.

(6) Donaldus Gnormel. Connail, Connell.

(7) Propter dissidium inter provincialem et conventum de quo in actibus provinciae a. 1480: quoniam Fr. Jacobus Andreae dictus Mucia diffamaverat patrem provincialem apud saeculares et praecipue apud dominos Florentinos declaraverunt eum diffinitores excommunicatum et voluerunt quod unus ex diffinitoribus tribuat sibi bonam disciplinam et illum mittat ad Patrem Generalem. Et in cap. sequenti: Per octo dies scrutinium provincialis protractum propter aliquam diffamationem apud dominos Florentinos. Omnes (conventuales) iuraverunt se dicturos veritatem. Omnes nihil adversus eum dixerunt sed multa pro, praeter domino baccalario qui dixit nihil mali fecisse sed multa bona quae tamen melius facere potuisset. Hinc provincialis declaratur innocens, testimoniales mittuntur Generali. A. 1483 prior Florentinus non eligitur ex interdictione Generalis. Attamen per aliquot annos pax provinciae non reddita fuit.

num Holendorf; Castellae Fr. Andream de Avila; Portugalliae ad arbitrium R.mi M. Generalis, super quo suam oneramus conscientiam; Boemiae Fr. Bernardum Carren (1); Neapolitanae Magistrum Salvatorem de Arrelis (2); Daciae Fr. Nicholaum Christiani. Priorem Romanum ad arbitrium R.mi Patris Generalis; Priorem Conventus Parisiensis M. Symonem Hutin; ordinamus Procuratorem in Curia Romana M. Marcum de Montecatino.

(65-**v.**) R.mus Pater Ordinis assumpsit sibi in Socios Reverendum Mag. Petrum de Mortario Provinciae Lombardiae, et Ven. Praesentatum Fr. Petrum Terasse Provinciae Provinciae.

Cum propter plurima impedimenta Sigillum Ordinis ad nos non pervenerit, ordinamus quod pro sigillo communi utatur communi sigillo Prov. Provinciae.

Capitulum Generale celebrabitur in et Provincia et Conventu, quem ordinabit R.mus Pater Generalis anno a Nativitate Domini 1488 in die Pentecostes infra sex annos.

(66-**r.**) Anno D.ni M.CCCC.LXXXVIII die XXVI Maii.

Haec est Tabula facta in Conventu Rupecolae Provinciae Provinciae, ubi celebratum est Capitulum Generale, anno et die quibus supra. In quo praefuit R.mus Pater Generalis Magister Pontius Raynaudi, ac in Vigilia Penthecostes, prius Missa de Spiritu Sancto celebrata, ipsoque Spiritu Sancto invocato, processum est ad Diffinitorium in quo acta sunt haec, quae sequuntur. Et primo Diffinitores.

Primus Diffinitor Mag. Christophorus de Borellis Provincialis Terrae Sanctae; 2. Mag. Provinc. Siciliae Ludovicus de Petrulla; 3. Socius Provinc. Angliae Mag. Gaufridus (3); 4. Mag. Provincialis Narbonae Ymbertus Rauderi (4); 5. Mag. Prov. Franciae Ma-

(1) Bernardus Carren. Probabiliter is qui in superioribus Cracoze (Cracoviensis) audiebat.

(2) Salvator de Arrelis. Diversus sane a Salvatore de Arnelis de quo in fine praecedentis capituli. Salvator noster fuit e numero eorum quos Jo. de Signo ad studium miserat a 1456; a. vero 1469 fuit clavarius conventus Neapolitani.

(3) Gaufridus. Videtur Galfridus de Norvico qui fuit prior Cantabrigiensis a. 1481 quo tempore probabiliter magisterium adeptus est. Obiit in conventu Snitterley a. 1500.

(4) Ymbertus Rauderi. Humbertus.

turinus Clementis; 6. Socius Alamaniae Inferioris Mag. Joannes Ridorh; 7. Socius Lombardiae Mag. Jacobus Vercellensis; 8. Magister Provinc. Aquitaniae Natalis Chanen (1); 9. Socius Aragoniae Mag. Petrus Suriani (2); 10. Socius Yberniae Fr. Cornelius Chanayl (3); 11. Mag. Provinc. Provinciae Egidius Borgesii; 12. Socius Tusciae Mag. Dominis (4); 13. Mag. Provinc. Venetiarum Jacobus de Callis; 14. Mag. Provinc. Tolosae Petrus Peyto; 15. Mag. Provinc. Cathaloniae Guill. Tholosani; 16. Provincialis Alamaniae Superioris Mag. Joannes Carpentarii; 17. Socius Vasconiae Fr. Dominicus de Superiori Licentiatus; 18. Socius Turoniae Mag. Clemens Gervasi; 19. Provinc. Bohemiae Ven. Praesentatus Fr. Michael Estar; 20. Provinc. Neapolitanus Magister Joannes de Alusio (5); 21. Provinc. Apuliae Mag. Joannes Longobardus de Neapoli.

Post haec deventum est ad taxam ordinariam totius Ordinis, et fuit taxatus totus Ordo ordinarie ad summam trecentorum duorum ducatorum omnium Provinciarum quae sunt numero viginti septem.

---

(1) Natalis Chanen. 1469 Ceneo.

(2) Petrus Suriani. 1456 Sariani.

(3) Cornelius Chanayl. Connell, uti videtur. 18 Oct. 1505, baccalaureus existens, confirmatur in provincialatu et fit vicarius generalis usque ad proximum capitulum generale. 24 April. 1509 iam defunctus est.

(4) Dominis. Infra Dominicus Philippi. Fuit is Dominicus Philippi de Dominis de Florentia. Ab a. 1461 usque ad 67 inclus. magister novitiorum Florentiae, 68 secundus socius ad capit. generale, 71 lector et tertius diffin., 73 prior Florentiae, 74 iterum tertius et 77 secundus diffin., ac etiam prior Florentiae et socius pro capit. generali; insuper rata habetur promotio ipsius ad gradum baccalaureatus facta in capit. Horliachensi (Aurelianensi); a. 86 secundus diffin., 88-92 provincialis. Aderat adhuc capitulo anni 94. Necrologium sic habet: 21 Junii 1500. Magister Dominicus Philippi huius provinciae fuit provincialis annis quinque. Hic reliquit conventui bonam summam redditus perpetuis annis duraturam ut apparet in domibus novis iuxta conventum ac etiam in aliis bonis. Obiit Florentiae aetatis suae 60.

(5) Joannes de Alusio. Verius de Aloysio. Successive episcopus Caprensis, Luceriensis et S. Agathae Gothorum. 10 Mart. 1506 sibi conceditur camera quam inhabitaverat dum provincialis esset.

Primo Provincia Terrae Sanctae fuit taxata pro quolibet anno ad ducatos duos ; Siciliae viginti sex ; Angliae triginta octo; Narbonae decem et octo ; Romana tres ; (66-v) Franciae quindecim ; Alamaniae inferioris viginti quatuor ; Lombardiae quatuordecim ; Aquitaniae undecim ; Aragoniae quinque ; Yberniae sex ; Provinciae duodecim ; Venetiarum sex decim ; Scotiae quinque ; Tusciae duodecim ; Tolosona undecim ; Cathaloniae sex ; Alamaniae superioris viginti ; Vasconiae quatuordecim ; Turoniae sexdecim ; Saxoniae tres ; Castellae sex ; Portugalliae duos ; Boemiae tres; Neapolitana septem ; Apuliae tres ; Daciae tres.

Sequitur ordinatio promotorum ad legendum Bibliam et Sententias in Studiis. Et primo in Studio Parisiensi pro anno 1489 Fr. Menardus de Rosariis (1), Prov. Vasconiae ; pro anno 1490 Fr. Robertus de Vallibus Prov. Franciae ; pro 1491 Fr. Joannes Gesterandi (2) Prov. Narbonae ; pro 1492 Fr. Anthonius de Villa nova Prov. Aragoniae ; pro 1493 Fr. Joannes Bryselot (3) Prov. Franciae ; pro 1494 Fr. Jacobus Stephani (4) Prov. Turoniae ; pro 1495 Fr. Philippus de Gandavo Prov. Franciae ; pro 1496 Fr. Joannes Brial (5) Prov. Franciae.

In Studio Tholosano pro anno 1488 Fr. Joannes de Furcata Prov. Vasconiae ; pro 1489 Fr. Conradus Fistelli Prov. Alamaniae superioris ; pro 1490 Fr. Guill. de Cumba (6) Prov. To-

---

(1) Menardus de Rosariis. Monaldus de Rosariis. Alibi pluries de eo mentio fit.

(2) Joannes Gesterandi. Chasserandi.

(3) Joannes Bryselot. A. 1504 vicarius generalis in Francia et reformator conventuum; eodem tempore confirmatur licentia de utendo camisiis lineis et caligis prolixis dummodo non fuerit ad ostensionem saecularium.

(4) Jacobus Stephani. Baccalaureus prov. Turoniae. 31 Julii 1504 obtinet licentiam comedendi in cella.

(5) Joannes Brial. Joannes Bryas, baccal. Parisiensis in s. pagina, 27 Maji 1504 fit prior in conventu S. Amandi.

(6) Gulielmus de Cumbra. Verum nomen de Cumba, seu Lacombe. Filius conventus Castri Saraceni. 18 Sept. 1511 confirmatur in provincialatu. Tempore sui officii Legati apostolici plura dederunt ad eum scripta quibus eum ad reformationem conventuum Tolosani et Ruteni (Rhodez) ad instar congregationis Albiensis animarunt. Non. Aug. 1514, et XIII Kal. Jan. 1517. Obiit Tolosae.

losae; prov. 1491 Fr. Dominicus de Oleato Prov. Vasconiae; (67-**r**) pro 1492 Fr. Guill. de Orgibeto Prov. Tolosae; pro 1493 Fr. Guill. de Insula Prov. Tolosae.

In eadem Universitate extraordinarie.

Pro anno 1488 Fr. Joannes Vitalis (1) Prov. Vasconiae; Pro anno 1489 Fr. Berdiconus Prov. eiusdem; pro 1490 Fr. Petrus de Manso Prov. Aquitaniae; pro 1491 Fr. Joannes de Fonte Prov. Tolosae.

In Avinione: Pro anno 1488 Fr. Anthonius Narvasonus; pro 1489 Fr. Salvator Schausamire (2); pro 1490 Fr. Robertus Brannes.

In eadem Universitate extraordinarie pro 1488 Fr. Joannes de Pratis (3).

In Studio Coloniensi ad legendum Sententias . . .

Ad legendum Sententias et Bibliam in Studio Montispessulani, pro anno 1491 Fr. Armandus Besole; pro 1492 Fr. Guill. Fabri; pro 1493 Fr. Jacobus Cabati; pro 1494 Fr. Joannes Gallardi; pro 1495 Fr. Joannes Lidialis.

In Studio Andegavensi, pro anno 1489 Fr. Joannes Robini maior; pro 1490 Fr. Joannes Guibert; pro 1491 Fr. Joannes Nonant; pro 1492 Fr. Gervasius Gibert; pro 1493 Rullandus Fouquesti (4).

In Studio Nanaten. pro anno 1489 Fr. Joannes Robini iunior; pro 1490 Fr. Robertus Bonet; pro 1491 Fr. Joannes Cheneau; pro 1492 Fr. Joannes Jonays; pro 1493 Fr. Yvo de Bosco (5).

(67-**v**) In Studio Pisano, pro anno 1489 Fr. Clemens Anthonii (6).

---

(1) Joannes Vitale. 1495 s. teol. licent. syndicus conventus Burdigalensis.

(2) Salvator Chausamire. Apud Balaeum Salvatus de Cossamilia, doctor Avenionensis qui obiit in conventu Lucensi.

(3) Joannes de Pratis. De conventu Pontis Audomari, secretarius Pontii Raynaudi. 13 Nov. 1503 mittitur sibi mandatum accedendi ad conventum Balneolarum cum facultate praedicandi Verbum Dei et cum loco et voce in capitulo, donec mittamus pro eo.

(4) Rullandus Fouquesti. 1492 Rolandus Fouqueri.

(5) Yvo de Bosco. Genuinum, uti videtur, nomen. 1492 etiam de Voscho audit.

(6) Clemens Anthonii. Professus 20 Febr. 1473, annis 92 et 94

In Studio Viennensi; pro anno 1489 Fr. Joannes Fortis (1).

In Studio Bituricensi; pro anno 1489 Fr. Albertus de Convenin Cadumensis; pro 1490, ad legendum Sententias duntaxat Fr. Joannes Loqueti, pro eodem anno ad Lectoratum, et ad primum principium solum in Biblia Fr. Joannes Rogil.

In Studio Perpinianensi pro anno 1493 Fr. Bernardus Carbonelli.

In Studio Ylerdensi, pro anno 1488 Fr. Galcerandus Cassanyac (2).

In Studio Caturicensi pro 1488 Fr. Gratianus de Casamaiori.

In Studio Burdegalensi pro anno 1488 Fr. Joannes de Farga; pro anno 1489 Fr. Bertrandus Chiran; pro 1490 Fr. Martialis de Montibus; pro 1491 Fr. Arnaldus Guill. de Cantigrillio; pro 1492, Fr. Raymundus Denista (3); pro 1494 Fr. Arnaldus Guill. de Furcata.

In Studio Papiae pro anno 1490 Fr. Stephanus de Monte.

---

quartus diffinitor, 94 etiam prior Florentiae titulo magistri insignitus; 1504 regens Senis, 1506 prior Pistorii, 1508 conventualis Florentiae, 1510 quartus diffinitor, 1511 prior Pisarum ibidemque regens et praedicator, 1512 secundus diffin. et regens Florentiae; 1514 tertius diffin. et prior Pisarum, 1515 regens Florentiae, 1516 primus diffin. et socius ad capitulum generale, 1519 primus diffin. et praedicator Florentiae, 1521 et 22 prior S. Crucis de Puppio; committuntur ei certi sermones Florentiae, 1537 « omnia officia in conventu Senarum manent in pectore mag. Anthonii conventus regentis ». Dies et locus obitus non constant.

(1) Joannes Fortis. De Augusta. A. 1479 studens logicae et grammaticae Viennae, 1482 philos. ibidem, 84 informator artium ibidem, 88 studens ibid. pro lectoratu, 1490 prior Augustae; 92 magister studentium Viennae, 95 baccalaureus theologiae, lector et rector studii Viennae sine taxa, 97 licentiatus in s. theologia et prior Augustae, 1500 usque 13 inclus. provincialis. 14 Sept. 1505 vicarius generalis, 1509 praeceptum sibi imponitur de celebrando capitulo provinciali secunda dominica post octavam Paschae ut respondeat querelis contra eum factis et audita culpa eius vel commendetur vel condemnetur. Ex eo quod reelectus fuit videtur iustificatus esse. 1519 lector Viennae. Deinceps acta de eo tacent.

(2) Galcerandus Cassanyac. A. 1510 prior Maioricarum.

(3) Raymundus de... In capitulo sequenti notatur. Raymundus de Suiga quem non immerito identicum cum isto putamus.

Item extraordinarie Tolosae : pro anno 1489 Fr. Vitalis (1) Prov. Vasconiae; pro 1490 Fr. Berdiconus eiusdem Prov.; pro 1491 Fr. Petrus de Manso Prov. Aquitaniae; pro 1492 Fr. Joannes de Fonte Prov. Tolosae.

In Universitate Pictaviensi ad legendum Bibliam et Sententias : pro anno 1488 Fr. Joannes Borgine ; pro 1489 Fr. Vitalis de Media Villa ; pro 1490 Fr. Joannes Borgensis ; pro 1491 Fr. Petrus Pessunerii ; pro 1492 Fr. Joannes Rausti.

(68-r) In Studio Paduano pro anno 1488 pro simplici forma Fr. Alexander de Cypro (2).

In Studio Florentino. — In Studio Cadunen. — In Studio Treveren. — In Studio Bononiensi. — In Studio Salamantino. — In Studio Caturicen. . . . .

SEQUITUR ORDINATIO
R.NDORUM PRIORUM PROVINCIALIUM

Provincialis Terrae Sanctae Mag. Christoforus Borelli ; Siciliae Mag. Ludovicus de Petrulla ; Angliae Mag. Joannes Dayindi (3) ; Narbonae Mag. Humbertus Randeri ; Romanus Mag. Franciscus de Medicis ; Franciae Mag. Manturinus Clementis ; Alamaniae inferioris Mag. Joannes Vinniti (4) ; Lombardiae Mag. Marchus de Reclusis; (68-v) Aquitaniae Mag. Natalis Chanieu (5) ; Aragoniae Mag. Garcias Garces ; Provinciae Mag. Egidius Borgesi ; Hyberniae Ven. Baccalarius Fr. Cornelius Conayl ; Scotiae Mag. Joannes Walch ; Tusciae Mag. Dominus Philippi (6) ; Venetiarum Mag. Jacobus de Callis; Tolosae Mag. Petrus de Peyto; Cathaloniae Mag. Guillelmus Tolosani ; Alamaniae Superioris Mag. Joannes Penzenreuter (7) ; Vasconiae Mag. Bernardus de

---

(1) Vitalis. Agitur de Joanne Vitale ut supra.

(2) Alexander de Cypro. 7 Nov. 1506 fit lector et baccalaureus Paduae ; 1510 obtinet licentiam pro gradu magisterii.

(Ab hoc loco scriptura omnino identica cum ea sequentis capituli).

(3) Joannes Dayindi. Vynde.

(4) Joannes Vinniti. Joannes Virici (Wirich) de Nussia. Capit. 1478.

(5) Natalis Chanieu. Ceneo, 1469.

(6) Dominus Philippi. Dominicus Philippi de Dominis.

(7) Joannes Penzenreuter. Benzenreuter.

Tapia; Turoniae Mag. Robertus Salomonis; Saxoniae M. Armanus Holendorf; Castellae Ven. Praesentatus Fr. Lupus Lupi; Portugalliae remittitur R.mo Patri Generali; Boemiae Ven. Praesentatus Fr. Michael Eschar (1); Neapolitanus Mag. Joaanes de Aloysio; Apuliae Mag. Joannes Longobardus (2) de Neapoli; Daciae relinquitur R.mo Patri Generali.

De Priore in Romana Curia ordinatum existit, quod Reverendissimus Pater Generalis ex tribus Conventibus eligat sibi meliorem; et in illo ordinet Priorem prout sibi videbitur expedire.

Prior Parisiensis Ven. Licentiatus Fr. Petrus Vinyaron (3). Sacrista ordinatur per eundem Conventum Fr. Symon de Abbasia. Ordinamus Procuratorem Generalem in Urbe Roma Magistrum Gratianum de Villanova, quandiu erit in Urbe Roma; et eo absente, quod R.mus Pater Ordinis possit providere. Et taxantur pro dicto Procuratore Ducati quinquaginta annis singulis, et ipse debet in Urbe cunctis satisfacere.

R.mus Pater Generalis assumpsit sibi in Socios Reverendum Mag. Nicholaum Ramurelli (4), et R.dum Mag. Petrum Terrasse.

(69-r.) Sequitur taxa extraordinaria pro aedificio Conventus in Urbe Sanctae Mariae Transpontinae in toto Sacro Ordine taxata ad ducatos mille, secundum Provincias dicti Ordinis in modum, qui sequitur.

Provincia Terrae Sanctae in ducatis octo; Siciliae in octaginta sex cum dimidio; Angliae in centum viginti octo ducatis cum medio; Narbonae in sexaginta ducatis; Franciae in quinquaginta ducatis; Alamaniae Inferioris in octoginta ducatis; Lombardiae in quadraginta septem; Aragoniae in sexdecim cum medio; Hyberniae in viginti; Provinciae in quadraginta; Scotiae in sexdecim cum medio; Tusciae in quadraginta; Venetiarum in quinquaginta tribus cum medio; Tolosae in triginta septem; Cathaloniae in viginti; Alamaniae Superioris in sexaginta sex cum medio; Vasconiae in quadraginta septem; Turoniae in quinquaginta tribus cum medio; Saxoniae in duodecim; Castellae in viginti; Portugalliae in septem cum medio; Boemiae in decem;

(1) Michael Eschar. Supra Estar.

(2) Joannes Longobardus. Joanellus.

(3) Petrus Vinyaron. Vigneron, 1469, 1472.

(4) Ramureli, supra 1482.

Neapolitana in viginti tribus cum medio; Apuliae in decem; Daciae in decem; Romana in decem.

(69-v) Ordinatum est autem per dictum Generale Capitulum, scilicet per R.mum Patrem Generalem, et R.dos Patres Diffinitores, quod R.dus Mag. Provincialis Romanus Mag. Franciscus de Medicis sit deputatus commissarius specialiter ad recuperandum praefatam taxam extraordinariam, cum uno altero, quem R.mus Pater Generalis ponet ad nutum suae voluntatis.

Ordinatum est autem per dictum R.mum Patrem Generalem, cum Generali Diffinitorio Ordinis, quod de praefata taxa extraordinaria quingenti ducati, persolvantur in proximo Festo Paschae, a die praesentis ordinationis; et alii quingenti persolvantur alio Festo Paschae revoluto anno.

Ordinatum est autem per dictum R.mum Patrem Generalem, et Generale Diffinitorium, quod R.di Magistri Provinciales in eorum Provinciis, cum duobus de suis melioribus suppositis, quorum conscientias oneramus, possint et valeant singulos Fratres taxare, scilicet Magistros, Priores, Graduatos, Confessores, Terminarios ad dictam summam recuperandam; ipsosque compellere nostra authoritate sub excommunicationis poena; et in eorum contumacia possint de eorum bonis accipere ne insolertia nostra fabrica praefati Conventus Romani depereat, aut negligentia.

SEQUITUR ORDINATIO NOVORUM STATUTORUM.

Ordinamus primo, et statuimus, quod Fratres nostri Ordinis possint, et valeant de Festo Coronae Spineae, et Lanceae Domini Jesu Christi facere Festum novem lectionum: De reliquis vero Festivitatibus remittimus Ordinario Ordinis.

Ordinamus etiam, quod quamquam illi Constitutioni de calceamentis et vestimentis Fratrum, Rubrica: Nullus autem Frater vestes portet de panno tincto, vel lana tincta; quod si fecerit, veste privetur, et graviori poena puniatur, sit alias derogatum; de novo etiam derogetur; sicut et nos per praesens Decretum derogamus.

Ordinamus item, quod nullus audeat portare vestes scissas, nec caudas in vestibus, sub poena deperditionis talium vestium, praecipiendo Prioribus Provincialibus, Localibus, seu eorum Vi-

cariis, ut tales vestes applicentur Conventibus, (70-r) in quibus fuerint deprehensi. Quod si dicti Priores huic nostro Statuto ausi fuerint contraire, poena gravioris culpae puniantur.

Ordinamus etiam, quod nullus Fratrum comam nutriat, sub poena gravioris culpae, sed omnes et singuli coronas portent rotundas, ipsosque pilos uniformes ad mensuram usque quatuor digitorum; onerando conscientias R.orum Patrum Provincialium, vel eorum Vicariorum; ne ignavia Pastoris grex nobis commissus depereat, et lascivia Fratrum saecularibus sit scandalo atque indevotioni.

Ordinamus insuper, quod nullus Fratrum, cuiuscumque gradus existat, audeat portare birros rubeos, sed nec coloratos in toto nostro sacro Ordine, sed solum nigros, sub poena perditionis dictorum birrorum, et gravioris culpae ipsis infligenda.

Si vero prurigine capitis urgeantur, dispensamus quod ab intus possint portare de scarlata.

Ordinamus etiam, quod nullus Fratrum audeat portare zonas serias, neque magnas, bursas ferratas, sub poena deperditionis zonarum, et bursarum, et eorum omnium quae intus erunt, et disciplinae eis infligendae a quibus fuerint comprehensi.

Ordinamus insuper, imo verius innovamus veterem eam Constitutionem, quae est de recurrentibus ad Principes, vel Dominos quoscumque saeculares; ut si qui ex nostris Fratribus ad ipsos Dominos Principes, vel saeculares confugerint, ipsaque Ordinis secreta panderint, carceri mancipentur. Quod si ab eis Litteras detulerint ad nostra Generalia Capitula, provincialia, vel localia; volumus quod non legantur, donec finitis prius Capitulis, et praefati Fratres loco et voce careant; et si fuerint graduati, ipso gradu priventur; nec ad dictum locum et vocem, vel Gradum possint restitui, nisi per R.mum Patrem Generalem, vel Generale Capitulum.

Ordinamus insuper, et mandamus omnibus Provincialibus nostrae Sacrae Religionis quod Litteras a Nobis ad eos missas prius recipiant cum honore et reverentia quibus decet, atque illis pareant. Quod si quicquam in eis contentum fuerit ex mala atque iniusta informatione Fratrum quod in praeiudicium cedat ipsorum Provincialium, aut Provinciarum eis commissarum, teneantur ipsi Provinciales dictos Fratres ad nos remittere cum debitis informationibus; quod si renuerint venire, carceri man-

cipentur, et statim per fidelem nuncium nobis significetur. Si vero praefati Fratres ad nos redierint ut tenentur, tunc et graviter punientur et expensis succumbent, ne vago discursu Fratrum, aut levitate (70-v) nimia in maiores Ordinis impinguatur: Haec autem praecipimus in virtute Sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena, ac depositionis ab eorum officiis. Haec eisdem poenis mandamus omnibus Prioribus Localibus, seu eorum Vicariis, ut quae praecipimus religiosissime observent.

Ordinamus insuper in virtute Sanctae obedientiae, et sub rebellionis poena ne aliquis Fratrum non Magister audeat portare birrum rotundum, sub poena deperditionis ipsius birri, et retardationis a promotione et gradu per annum.

Ordinamus insuper et concedimus Prioribus Provincialibus, vel eorum Vicariis, ut cum Fratribus Provinciarum eis commissarum possint mite agere super esu carnium feria 2ª; feria autem 4ª omnibus praecipimus Prioribus Provincialibus, Localibus, seu eorum Vicariis, ne permittant private vel publice esum carnium.

Ordinamus insuper, quod nullus Prior Provincialium recedat ab hoc Generali Capitulo, sub poena rebellionis, nisi prius habita copia Statutorum Generalium, quae in hoc Generali Capitulo ordinata sunt per nos, de unanimi assensu Diffinitorum Generalis Capituli; Capitulum Generale hinc ad sex annos in Festo Penthecostes celebrabitur, de voluntate R.mi Patris Generalis, ac de unanimi assensu R.dorum Patrum Diffinitorum Generalis Capituli, in Provincia Cathaloniae apud Conventum Barchinonae.

(71-r) HAEC EST TABULA GENERALIS CAPITULI IN URBE

Roma in Conventu Sancti Martini in Montibus celebrati Anno Domini M.CCCC.LXXXXII die X mensis Junii, in vigilia Penthecostes, Praesidente R.mo D.no Protectore D.no Cardinali Portugaliensi, Praesente R.mo Magistro Pontio Raynaudo Priore Generali: In quo Capitulo actum est pro ut sequitur.

DIFFINITORES CAPITULI

Primus Diffinitor Mag. Joannes Franciscus de Mantua Socius Provincialis Terrae Sanctae; II Mag. Chiraudus primus Socius Prov. Siciliae; III Mag. Joannes Somell (1) Socius Prov. Angliae; IV Mag. Laurentius Burelli primus Socius Prov. Narbonae; V Mag. Franciscus de Medicis Provincialis Romanus; VI Mag. Gaufridus Reclusi primus Socius Prov. Franciae; VII Magister Joannes Vinrici (2) Provincialis Alamaniae inferioris; VIII Magister Marchus de Reclusis Provincialis Lombardiae; IX Mag. Guillermus de Bordis primus Socius Prov. Aquitaniae; X Ven. Baccalarius Fr. Anthonius de Villanova primus Socius Prov. Aragoniae; XI Fr. Malachias Churthus primus Socius Hiberniae; XII Fr. Salvator Schausamire (3) secundus Socius Prov. Provinciae, quoniam primus Socius Mag. Claudius Giboldi (4) aegrotavit in via; XIII Ven. Lector Fr. Andreas Christiern (5) primus Socius Prov. Scotiae; XIIII Mag. Bernardinus de Senis primus Socius Prov. Tusciae; XV Mag. Salvadeus primus Socius Prov. Venetiarum; XVI Fr. Guillermus de Comba (6) secundus Socius Prov. Tolosanae, quoniam primus aegrotavit in via; XVII Magister Galcerandus (7) primus Socius Prov. Cathaloniae; XVIII Mag. Joannes Benzenrewter Provincialis Alamaniae Superioris; XVIIII Ven. Baccalarius formatus Parisiensis Fr. Monaldus de Rosariis (8) secundus Socius Prov. Vasconiae, quoniam primus

---

(1) Joannes Somell. Videtur is fuisse Joannes Sowle sive Soul, alias De anima, Norvicensis, magnus praedicator (de quo fuse Lezana, Annal. IV, ad 1508), qui eo anno obiit Londini.

(2) Joannes Vinrici. Supra 1478 Virici.

(3) Salvator Chausamire: Cossamilia, supra 1488.

(4) Claudius Giboldi. Supra 1478.

(5) Andreas Christiern. Eximius. s. theol. professor, varia ad Ordinis utilitatem et decorem emisit in lucem. Ita Balaeus. Deinde provincialis Sueciae et Daciae, 18 Julii 1506 vicarius generalis Daciae. Unde credimus scriptorem errasse ponendo eum diffinitorem Scotiae pro Suecia.

(6) Gulielmus de Comba. Supra 1488 Lacombe.

(7) Galcerandus. I. e. Cassanyac, supra 1488.

(8) Manaldus de Rosariis. Monaldus, seu Menaldus.

Socius aegrotavit in via; XX Mag. Joannes Mercatoris (1) primus Socius Magistri Provincialis Prov. Turoniae; nam Mag. Robertus Salomonis Provincialis dictae Prov. fuit electus in Diffinitorem, sed quia venire non potuit, dictus R.dus Mag. factus est Diffinitor; (71-v) XXI Ven. Lector Prior Raquene primus Socius Prov. Castellae; XXII Ven. Lector Fr. Andreas Tiilt primus Socius Prov. Boemiae; XXIII Mag. Joannes de Sanctis (2) Provincialis Prov. Neapolitanae; XXIIII Mag. Alexander de Venetiis (3) Prov. Marchiae Anchonitanae; XXV Mag. Alexander Himolensis primus Socius Prov. Apuliae.

Post haec deventum est ad taxam ordinariam totius Ordinis, et fuit taxatus Ordo totus ordinarie ad summam trecentorum duorum Ducatorum omnium Provinciarum quae sunt numero viginti octo.

Primo Provincia Terrae Sanctae fuit taxata pro quolibet anno ad ducatos duos; Siciliae ad viginti sex; Angliae ad triginta octo; Narbonae ad decem et octo; Romana ad ducatos tres; Franciae ad quindecim; Alamaniae Inferioris ad viginti quatuor; Lombardiae ad quatuordecim; Aquitaniae ad undecim; Aragoniae ad quinque; Hiberniae ad sex; Provinciae ad duodecim; Venetiarum ad quatuordecim; Scotiae ad quinque; Tusciae ad duodecim; Tolosana ad undecim; Cathaloniae ad sex; Alamaniae Superioris ad viginti; Vasconiae ad quatuordecim; Turoniae ad sexdecim; Saxoniae ad tres; Castellae ad sex; (72-r.) Portugalliae ad duos; Boemiae ad tres; Neapolitana ad septem; Marchiae Anchonitanae ad duos; Apuliae ad tres; Daciae ad ducatos tres.

Sequitur ordinatio Promotorum, et primo in Studio Parisiensi ad legendum Bibliam et Sententias.

Pro anno LXXXXVI Fr. Petrus Fagi Prov. Franciae; pro anno LXXXXVII Fr. Egidius Taveroni de Prov. Aquitaniae;

---

(1) Joannes Mercatoris. Supra 1478.

(2) Joannes de Sanctis. Joanellus de Sanchis, conventus Neapolitani ubi etiam studiis vacavit, ibidem conventualis (decimus inter viginti sex a. 1480), deinde prior et provincialis. 22 April. 1506 habuit facultatem disponendi de officiariis conventus Neapolitani solo priore excepto. Obiit mense Oct. 1511.

(3) Alexander de Venetiis. Comes Petri Terrasse in visitatione generali a. 1504.

pro anno LXXXXVIII Fr. Bernardus de Domo maiori (1) Provinciae Vasconiae; pro anno LXXXXVIIII Fr. Ivo de Vosco (2) Prov. Turoniae; pro anno C Fr. Joannes Roeri (3), alias Lamberti Prov. Narbonae.

In Studio Tolosano: Fr. Joannes Schied (4) ad placitum secundum tempus quod Magister Regens assignaverit ei. Frater Mattheus de Montibus ordinarie, vel extraordinarie, Prov. Aquitaniae; Fr. Joannes Vigerii pro anno LXXXXVII; Fr. Arnaldus Guillermus de Cantagrullio (5) pro primo; Frater Raymundus de Suiga (6) extraordinarie pro secundo; Fr. Dominicus de Isaco pro tertio; Fr. Petrus de Royde pro quarto; Fr. Bertrandus de Salinis (7) pro quinto.

In Studio Coloniensi: Fr. Philippus de Nussia.

In Studio Bituricensi: Fr. Anthonius de Bononia Conventus Monstrolis pro anno LXXXXIIII; Fr. Joannes Halleuri pro anno LXXXXIIII Conventus Rothomagensis; Frater Jacobus Annal (8) Conventus Monstrolis pro anno LXXXXV; Fr. Ludo-

---

(1) Bernardus de Domo maiori. In sequentibus de Casa maiori. A. 1503 habuit licentiam manendi extra conventum Parisiensem si opus fuerit. 27 Febr. 1504 veniam eundi Burdigalam ita ut redeat Parisios quantocius potuerit. 20 Junii 1505 licentiam manendi in conventu Monstreole cum esset debilis ob aeris mutationem, et si aliunde vellet residere possit auctoritate nostra cum obedientia prioris. Etiam quod possit confiteri et absolvi a casibus nobis reservatis et audire sex fratres de confessione et eos absolvere auctoritate nostra. 22 Februarii 1509 confirmatur provincialis Vasconiae.

(2) Yvo de Voscho. Supra 1488 Boscho.

(3) Joannes Roeri, alias Lamberti.

(4) Joannes Schied. Provinciae Alemanniae Superioris. A. 1488 studens Lipsiae, 95 baccalaureus factus fit supprior Viennae, 97 lector Augustae, 1500 prior conventus Quinque Ecclesiarum (Fuenfkirchen).

(5) Arnaldus Guillermus de Cantagrullio. Supra 1488.

(6) Raymundus de Suiga. Vide in superiori capitulo.

(7) Bertrandus de Salinis. Scripsit Vitam B. Joannae Tolosanae.

(8) Jacobus Annal. Verum nomen fuit Hanault. 2 Aug. 1504 sibi praecipitur ut abscedat a conventu Parisiensi post festum Assumptionis, 15 Junii 1505 quo praesentatus intitulatur, habet licentiam perficiendi actus scholasticos Avenione usque ad magisterium. 3 Septembris 1509 electio de eo facta in provincialem Franciae confirmatur a Generali; cessit officio in capitulo provinciali Ypris 1516 ob Breve

vicus Conventus Valentianarum pro LXXXXVI; (72-v.) Frater Nicholaus Cave (1) Conventus Pontis Adamaris pro an. LXXXXVII.

In Studio Paduae: Ordinamus Regentem Magistrum Polonium de Brixia (2) Provinciae Venetiarum.

In Studio Lovano: Fr. Georgius Crieke (3) Conventus Brugensis Prov. Franciae pro anno LXXXXIIII.

In Universitate Cadonen.: Fr. Robertus Brannyel Conventus Pontis Adamaris pro anno LXXXXIII; Fr. Joannes Stephani Conventus Cadomiensis pro an. LXXXXIIII; Fr. Joannes Brannyel Conventus Cadomiensis pro an. LXXXXVI; Fr. Jacobus Fessi Conventus Pontis Adamaris pro an. LXXXXV; Fr. Vigor Tabernarii Conventus Cadomiensis pro an. LXXXXVII; Fr. Margarinus Potell, Conventus Cadomiensis pro an. LXXXXVIII; Frater Robertus Falaise (4) Conventus Cadomiensis pro anno LXXXXIX.

In Universitate Papiensi: Fr. Stephanus de Brixia (5) pro an. LXXXXIII; Fr. Simon de Burgo pro anno LXXXXIIII; Fr. Blaxis de Incisa (6) ad legendum Bibliam pro an. LXXXXIII.

In Studio Senarum: Fr. Thomas de Forlivio (7) Prov. Marchiae Anchonitanae pro simplici forma ad tres annos.

---

apostolicum prohibens ne provinciales ultra triennium officiis fungerentur. Obiit tandem Monstreolis circa a. 1524.

(1) Nicholaus Cane. Seu Cave.

(2) Polonius de Brixia. Verius Apollonius. 1 Aug. 1508 habuit gratiam « quod non possit visitari per aliquem in conventu Messanae, solutis tamen iuribus visitationis provinciali debitis ». Ita Reg. Terrasse.

(3) Georgius Crieke. Baccal., egregius praedicator, obiit 1497 Brugis.

(4) Robertus Falaise. Obiit Cadomi 1526.

(5) Stephanus de Brixia. De Confortis. Vir doctissimus, vicarius generalis et visitator per Alemanniam sub B. Baptista Mantuano.

(6) Blaxis de Incisa. 23 Junii 1506 prior Cremolini provinciae Lombardiae.

(7) Thomas de Forlivio. A. 1496 capitulum Tusciae accepit eum in filium conventus Senarum ubi studiis vacaverat et promoverunt eum ad gradum lectoratus de consensu et e rogatu Generalis. 99 fuit secundus diffin. et prior Senarum in quo officio permansit quatuordecim annis, interim baccalaureus (1502) et magister (1506) creatus, necnon pluries diffinitor, regens et socius ad capitulum generale. 1515

In Studio Pictavens.: Fr. Guillermus Pimirandi (1) Prov. Aquitaniae pro III anno; Fr. Stephanus Caturci pro II anno; Frater Petrus Merulli Caturci pro III anno.

In Studio Haidelbergen: Fr. Petrus Ivirt (2) Prov. Alamaniae Superioris.

(73-r.) In Monte Pessulano: Fr. Joannes Burgensis pro III; Fr. Gregorius Roberti (3) Prov. Narbonae pro anno LXXXXV ordinarie; Fr. Laurentius Oselli (4) pro anno LXXXXVI; Frater Claudius Gralli pro anno LXXXXVII.

In Universitate Hendelbergens. — Fr. Simon Carnificis (5) ad recipiendum Licentiam, et Magisterium; Fr. Petrus Wiert (6) ad legendum Bibliam et Sententias.

In Universitate Avinionensi. — Pro anno LXXXXIII, Fr. Joannes Aymari Prov. Provinciae; pro anno LXXXXV. Fr. Bartholomeus Alivernus Prov. Narbonae; pro anno LXXXVI, Fr. Anthonius Chausemiliae Prov. Provinciae; pro anno LXXXXVII,

---

usque 17 fuit iterum prior in eodem conventu. 17 usque 20 provincialis, postea denuo regens Senis. Obiit in illo conventu 6 Julii 1529.

(1) Gulielmus Pimirandi. In cap. 1510 melius sane Preverandi.

(2) Petrus Ivirt. Vere Wirt (etiam Wuert). A. 1484 studens in artibus Erfordiae, 88 in theol. Heidelbergae, 99 informator in conventu Heilbronn qui cum reformatus esset sequitur etiam Petrum nostrum reformatum fuisse. 92 lector Heidelbergae et socius provincialis, 95 baccalaureus Heidelbergae et socius, sicut etiam 1497. Ab a. 1500 usque 1517 magister theol. et prior in conventu Heilbronn. Deinceps de eo tacent acta provinciae unde tunc obiisse videtur.

(3) Gregorius Roberti. In bibliotheca Lunelensi habetur Ms. Constitutionum Balistarii cuius olim possessor erat.

(4) Laurentius Oselli. 27 Jan. 1504 habuit licentiam legendi Sententias et alios actus scholasticos faciendi in universitate Montis Pessulani nonobstante constitutione in contrarium Parisiis edita.

(5) Simon Carnificis. A. 1478 informator in conventu Heilbronn, sequenti anno studens Parisiis, 82 lector in conv. Heilbronn, 88 item Schweinfordiae, 90 destinatur ad studium Heidelbergense usque ad baccalaureatum, 92 baccalaureus biblicus constitutus procedat ibidem ad ulteriora. Postea nullus de eo sermo in actibus provinciae.

(6) Petrus Wiert. Supra.

Fr. Joannes Chapelli (1) Prov. Provinciae; pro anno LXXXXVIII, Fr. Joannes Philippi (2) Prov. Provinciae.

In Studio Nanaten. — Fr. Roulandus Fouqueri (3) pro primo loco; Fr. Joannes Surget pro II; Fr. Ivo de Boscho pro III; Fr. Cavenedus Carpentarii (4) pro IV; Fr. Ivo Rualaim (5) pro V; Fr. Tanguidus Beaudiez pro VI.

In Studio Pictaven. — Pro primo Fr. Martinus Marchorix (6); Fr. Henricus Delaleu pro III; Fr. Joannes Jarey pro IIII; Fr. Stephanus Regis pro V; Fr. Mandetus pro VI.

(73-v) In Studio Andegavensi. — Fr. Joannes Brias (7) pro II; Fr. Boni Campi pro III; Fr. Joannes Armigerij pro IV; Fr. Joannes Jagu pro V; Fr. Joannes Villandi pro VI.

SEQUITUR ORDINATIO PROVINCIALIUM.

Provincialis Terrae Sanctae Mag. Joannes Franciscus de Mantua; Siciliae Mag. Ludovicus de Petrulla; Angliae M. Joannes Dayndi (8), usque ad proximam Visitationem R.mi Patris Ordinis vel eius Vicarii; Provincialis Narbonae remittitur usque ad proximum Festum Penthecostes ad electionem Provinciae in Conventu Clarevallis. Interea R.mus Pater Ordinis reget Provinciam. Provincialis Romanus Mag. Franciscus de Medicis; Franciae Mag. Maturinus Clementis; Alamaniae Inferioris Mag.

---

(1) Joannes Chapelli. Praesentatus, 11 Jan. 1504 habet litteras pro magisterio adipiscendo Avenione.

(2) Johannes Philippi, 2 Aug. 1504 habet mandatum ut (cum aliquibus aliis) recedat a conventu Parisiensi. 15 Junii 1505 licentia perficiendi actus scholasticos usque ad magisterium Avenione.

(3) Rolandus Fouqueri. 1488 Rullandus Fouquesti.

(4) Cavenedus Carpentarii. Nullum dubium quin agatur de Conrado Carpentarii qui a. 1484 fuerat studens in artibus Nurnbergae, et a. 1500 fuit coadiutor prioris Dinkelspuhlensis in lectoratu, cursor ac informator iuvenum. Nihil amplius de eo.

(5) Yvo Rualaim. 1503 Ruolandi.

(6) Martinus Marchorix. Marcoux, doctor Pictaviensis, scripsit votum ad S. Joachimum, inc. O desolatorum consolator, captivorum liberator. 22 Maji 1509 erat prior Pictaviensis et vicarius generalis.

(7) Joannes Brias. Supra 1488.

(8) Joannes Dayndi. Vynde.

Joannes Vinrici (1); Lombardiae Mag. Marchus de Reclusis; Aquitaniae Mag. Natalis Chanieu (2); Aragoniae Mag. Garcias Garces; Provinciae Mag. Egidius Borgesi; Hiberniae Vener. Baccallarius Fr. Cornelius Conail (3); Scotiae Fr. Robertus de Arimpen (4); Tusciae remittitur visitationi R.mi Patris Ordinis; Venetiarum Mag. Claudius Venetus (5); Tolosae Mag. Petrus de Peyto; Cathaloniae Mag. Guillermus Tolosani; (74-r) Alamaniae Superioris Mag. Joannes Benzenrewter; Vasconiae Mag. Bernardus de Tapia; Turoniae Mag. Robertus Salomonis; Saxoniae Mag. Hermanus de Villaveteri; Castellae Ven. Baccalarius Fr. Joannes de Sancto Michaele (6); Portugalliae remittitur R.mo Patri Generali; Boemiae Ven. Praesentatus Fr. Michael Eschar (7); Neapolitanus Mag. Joannes de Sanctis (8); Marchiae Anconitanae Mag. Alexander de Venetiis; Apuliae Mag. Joannes Longobardus de Neapoli (9); Daciae Fr. Nicholaus Moro. De Priore Romano, Parisiensi, et Procuratore Generali in Urbe Roma remittitur R.mo Patri Ordinis.

SEQUITUR ORDINATIO STATUTORUM.

Et primo innovata sunt omnia et singula Statuta facta in Generali Capitulo in Conventu Rupecolae proxime celebrato.

Ordinamus, nec non et statuimus, quod nullus auctoritate Magistri Provincialis alicuius Provinciae possit promoveri ad studia generalia, nisi prius Provincia illum promoverit, et constet Litteris testimonialibus ipsius Provinciae.

Ordinamus insuper, et praesenti nostro Decreto praecipimus

---

(1) Joannes Vinrici. Virici. Supra 1478.

(2) Natalis Chanieu. Supra 1469.

(3) Cornelius Conail, Connell. Supra 1488.

(4) Robertus de Arimpen. Verum nomen Dalrymple, adhuc provincialis a. 1506.

(5) Claudius Venetus. 18 Sept. 1510 vicarius generalis in conventu Venetiarum.

(6) Joannes de S. Michaele. Juan de San Miguel fuit baccal. Toleti a. 1469.

(7) Michael Eschar. Supra.

(8) Joannes de Sanctis. Supra.

(9) Longobardus de Neapoli. 1478 Joannellus de Longobardo.

Magistris Parisiensibus in virtute sanctae obedientiae, et sub privatione bonorum, quorum usum eis Ordo concessit, ne post eorum Regentiam maneant ultra annum in dicto Conventu Parisiensi. In aliis vero Universitatibus, ne post Regentiam maneant ultra sex menses; ne in usus privatos videantur Provinciae, et non communes expensas subministrasse.

(74-v) Ordinamus praeterea, ne aliquis Frater, cuiuscumque gradus aut conditionis existat, possit effici filius in alia Provincia, non habita prius licentia a Provincia in qua habitum sumpsit.

Ordinamus etiam, quod sit differentia vestium inter Fratres Sacerdotes, et Laicos; ita ut Fratres Laici Conversi Scapulare deferant usque ad genua dumtaxat protensum; Tunicam nigram breviorem habeant quam Fratres Sacerdotes aut Clerici, cum caligis albis, capasque albas solummodo abreviatas: Semifratres autem griseum cum mantellis ad scapulas apertis, et non in anteriori corporis parte portent; nec birros aliqui eorum deferant. Extenditur hoc statutum ad Provincias Alamanniae inferioris, Superioris, Hiberniae, Scotiae, Saxoniae, et Boemiae.

Ordinamus et item, quod nullus Graduatorum, cuiuscumque Gradus existat, audeat, si pransus fuerit in Conventu, ullibi divertere, donec cantatis prius gratiis in Ecclesia; et hoc maxime facimus propter Magistros Parisienses; quibus praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub rebellionis poena; et aliis quibuscumque ut in persolvendis gratiis intersint.

Ordinamus sub eisdem poenis, propter multitudinem Studentium Parisiis, quod nullus ex eis intersit prandio alicuius Magistri noviter laureati, nisi fuerit per eum specialiter invitatus; tenebitur autem ille Magister noviter laureatus sibi dare duos albos.

Ordinamus Capitulum Generale in Civitate Barchinonae hinc ad quinque annos, R.mo D.no Protectore ita consentiente; et R.mo Patre Generali et Diffinitoribus Capituli ita petentibus.

(75-r) Haec sunt acta Generalis Capituli in Conventu Nemausi Provinciae Narbonae celebrati, Praesidente R.mo in Christo Patre Mag. Pontio Raynaudi Priore Generali Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli, de unanimi assensu R.dorum Patrum Diffinitorum, Anno Domini M.CCCC.LXXXXVIII die III Junii, in die Penthecostes.

Diffinitores. — Primus Diffinitor Mag. Provincialis Siciliae

Ludovicus de Petrulla; II Socius Provinciae Angliae Fr. Joannes Uattson (1); III Socius Prov. Narbonae Mag. Michael Perini (2); IV Mag. Petrus Terasse Provincialis Romanus; V Socius Prov. Franciae Mag. Robertus de Vallibus; VI Socius Alamaniae inferioris Mag. Henricus Pistoris (3); VII Socius Prov. Lombardiae Mag. Jacobus de Mosso (4); VIII Mag. Durandus de Sancto Iusto (5) Provincialis Aquitaniae; IX Socius Prov. Aragoniae Mag. Joannes de Vinges (6); X Mag. Egidius Borgesi Provincialis Provinciae; XI Socius Prov. Tusciae Mag. Angelus Andreas (7) de Florentia; XII Mag. Bartholomeus Campanyola Provincialis Venetiarum; XIII Mag. Petrus de Peyto Provincialis Tolosae; XIV Mag. Guillelmus Tolosani Provincialis Cathaloniae; XV Socius Alamaniae Superioris Mag. Corradus Distell (8);

---

(1) Joannes Uattson. Scriptor erravitne in nomine Johannis pro Thomae? Etenim Thomas Watson fuit prior Alnevici cui 29 Oct. 1504 confirmantur gratiae olim a Mag. Laurentio Burelli (visitatore generali Angliae a. 1495) concessae, nempe quod possit habere unum servitorem ad expensas conventus quoad victum. 1510 confirmatur in prioratu usque ad nostram revocationem.

(2) Michael Perini. 1472 Pirini, verius Parini.

(3) Henricus Pistoris. Distinguendus ab altero de quo supra a. 1478. Iste vero videtur fuisse Henricus Pistoris de Geleen, prior Coloniensis a. 1505, obiit ante 1517. Nisi forte fuerit Henricus qui obiit 1510 supprior Spirensis.

(4) Jacobus de Mosso. Prior Mediolanensis a 1489 usque 1500.

(5) Durandus de S. Justo. 1478 Durandus Justi.

(6) Joannes de Vinges. Conventus Pampilonensis, ibique per aliquot annos prior.

(7) Angelus Andreae de Florentia. De Catastanis. Supra a. 1478.

(8) Corradus Distell. A. 1478 studens Viennae in grammatica et logica, 84 studens theol. Coloniae, 88 usque 91 Tolosae, 92 baccalaureus et lector Rottemburgae, 95 baccal. formatus et lector Augustae, 97 Magister et prior Ravensburgae usque 1510 quo anno ipsi administratio prioratus eiusdem conventus committitur usque ad decisionem Generalis. Pluries insuper diffin. in capitulis provincialibus. 15 April. 1509 Generalis sibi mandat ut satisfaciat quamprimum quibusdam creditoribus conventus ac deinceps non admittat saeculares ad audiendas computationes conventus. Postea nullus de eo sermo in actibus provinciae.

XVI Socius Prov. Vasconiae Mag. Joannes de Vadeto (1); XVII Mag. Robertus Salomonis Provincialis Turoniae; XVIII Socius Prov. Boemiae Fr. Joannes de Bigostio; XIX Mag. Alexander Himolensis Provincialis Marchiae Anchonitanae; XX Socius Prov. Daciae Fr. Andreas Christiani (2).

(75-**v**) Post haec deventum est ad taxam ordinariam totius Ordinis, et fuit taxatus totus Ordo ordinarie prout in praecedenti Capitulo Romae celebrato, scilicet ad summam tris centorum duorum ducatorum omnium Provinciarum, quae sunt numero viginti octo.

Primo Provincia Terrae Sanctae fuit taxata pro quolibet anno ad ducatos duos; Siciliae ad ducatos viginti sex; Angliae ad triginta octo; Narbonae ad decem et octo; Romana ad tres; Franciae ad quindecim; Alamanniae Inferioris ad viginti quatuor; Lombardiae ad quatuordecim; Aquitaniae ad undecim; Aragoniae ad quinque; Hiberniae ad sex; Provinciae ad duodecim; Venetiarum ad quatuordecim; Scotiae ad quinque; Tusciae ad duodecim; Tolosana ad undecim; Cathaloniae ad sex; Alamanniae Superioris ad viginti; Vasconiae ad quatuordecim; Turoniae ad sexdecim; Saxoniae ad tres; Castellae ad sex; Portugalliae ad duos; (76-**r.**) Boemiae ad tres; Neapolitana ad septem; Marchiae Anchonitanae ad duos; Apuliae ad tres; Daciae ad tres.

Ordinatio Provincialium. — Provincialis Terrae Sanctae Magister Joannes de Cypro; Siciliae Mag. Ludovicus de Petrulla; Angliae Mag. Joannes Vinydo (3); Narbonae Mag. Laurentius Burelli; Romanus Mag. Petrus Terrasse; Franciae Mag. Maturinus Clementis; Alamanniae Inferioris Mag. Joannes de Nussia (4); Lombardiae Mag. Marchus de Reclusis; Aquitaniae Mag. Durandus de Sancto Justo; Aragoniae Mag. Garcias Garces; Provinciae Mag. Egidius Borgesi; Hiberniae Ven. Baccalarius Frater Cornelius Conanys (5); Scotiae Mag. Robertus Darimpin (6): Tusciae Mag. Bernardinus de Senis; Venetiarum Mag. Bartho-

---

(1) Joannes de Vadeto. Videtur idem ac Vardech de quo a. 1472.

(2) Andreas Christiani. Supra a. 1402.

(3) Joannes Vinydo, Vynde.

(4) Joannes de Nussia. Joannes Virici de Nussia, supra 1478.

(5) Cornelius Conanys. Supra 1488.

(6) Ropertus Darimpin. Dalrymple. Supra 1492.

lomaeus Campanyola; Tolosae Mag. Petrus de Peyto; Cathaloniae Mag. Guillermus Tolosani; Alamanniae Superioris Magister Joannes Benzenreiter; Vasconiae Mag. Bernardus de Tapia; Turoniae Mag. Robertus Salomonis; (76-v.) Saxoniae Mag. Hermanus de Villa Veteri; Castellae Ven. Baccalarius Fr. Joannes de Sancto Michaele; Portugalliae Ven. Baccalarius Fr. Rodoricus de Beya; Boemiae Ven. Praesentatus Fr. Michael Eschar; Neapolitanus remittitur Magistro Provinciali Romano, et in Italia Vicario Generali, ut in Urbe consulat R.mum D.num Protectorem, et secundum determinationem R.mi D.ni Protectoris agat. Marchiae Anchonitanae Mag. Alexander Himolensis; Apuliae Mag. Joannes Longobardus de Neapoli (1); Daciae Fr. Nicholaus Mor.

Procurator in Romana Curia totius Ordinis, et Generalis Vicarius in Italia cum plenitudine potestatis Mag. Provincialis Romanus Petrus Terrasse. Prior in Urbe Roma M. Alexander Carmelius Venetus (2). Prior in Conventu Parisiensi ad voluntatem R.mi Patris Generalis.

SEQUITUR ORDINATIO PROMOTORUM.

Et primo in Studio Parisiensi ad legendum Bibliam et Sententias.

Pro primo anno MCCCCLXXXXVIII Fr. Claudius Gralli Prov. Narbonae; pro II anno MCCCCLXXXXIX Fr. Jacobus Anant (3) Prov. Franciae; pro III anno MD Fr. Joannes Hiquel Prov. Turoniae; pro IV anno MDI Fr. Nicolaus de Vico Conv. Parisiensis; pro V anno MDII Fr. Ludovicus Picandi Prov. Narbonae; pro VI anno MDIII Fr. Joannes Philippi Prov. Franciae; pro VII anno MDIV Fr. Joannes de Podio (4) Prov. Vasconiae.

In Studio Tolosano. — Pro I anno MCCCCLXXXXVIII Fr. Petrus de Tarbia Prov. Vasconiae; pro II a. MCCCCLXXXXIX

---

(1) Joannes Longobardus de Neapoli. Joanellus de Longobardo.

(2) Alexander Carmelius. 2 Maii 1507 provincialis Romae, vicarius generalis et vice procurator in absentia nostra et nostri vicarii.

(3) Jacobus Anant. Supra 1492 Hanault.

(4) Joannes de Podio, 2 Aug. 1504 biblicus, habeat discedere a conventu Parisiensi post festum Assumptionis.

Fr. Nicholaus Franch (1) Prov. Alamaniae Inferioris; pro III anno MD Fr. Anthonius de Solerio; (77-r) pro IV anno MDI Fr. Franciscus Nuberiensis (2) Prov. Alamaniae Superioris. Pro MDII Fr. Joannes Roberti Provinciae Tolosae.

Extraordinarie in eadem Universitate. — Pro I anno MCCCCLXXXXVIII Fr. Joannes de Wormantia (3) Alamaniae Inferioris; pro II anno Fr. Joannes Bonaldi Prov. Aquitaniae; pro III anno Fr. Bernardus Pistoris Prov. Narbonae; pro IV anno Fr. Raymundus de Falegiis Prov. Aquitaniae.

In Studio Bituricen. Pro anno D.ni M.D Fr. Joannes Estevenart (4); pro anno M.CCCC.LXXXXIX Fr. Artus Girault (5).

In Studio Paduae. — In Studio Lovano. — In Studio Cadomensi pro anno M.DII Fr. Guillermus Vertant.

In Studio Papiae. — In Studio Senarum. — In Studio Pisarum vel Florentiae pro anno M.CCCC.LXXXXVIII Fr. Rolandus Dominici.

(77-v) In Studio Avinionensi pro anno M.CCCC.LXXXXVIII Frater Anthonius Chausemilie (6) Prov. Provinciae: pro anno

---

(1) Nicholaus Franch. 1488 studens philos. Viennae, 92 item Coloniae pro simplici forma, 97 et 1500 Tolosae pro forma theol. Nullus de eo deinceps sermo in actibus provinciae. Videtur plane diversus ab eo qui a. 1510 memoratur.

(2) Franciscus Nu(rn)beriensis. Fuit Franciscus Steinmeissel qui a. 1488 Viennae grammaticae et logicae vacavit, 97 usque 1502 Tolosae in theol. sudavit, et hoc ultimo anno habuit licentiam ut prosequatur suam promotionem ordinariam. Videtur tamen paulo post obiisse cum amplius non memoretur.

(3) Joannes de Wormantia. Deficiente cognomine nequit identificari.

(4) Fr. Joannes Estevenart. Conventus Attrebatensis. 6 Aug. 1504 fuit iterum promotus ad legendum Sententias usque ad magisterium in conventu Bituricensi, quia iam semel promotus fuerat in capitulo Nemausensi et non prosecutus fuit promotionem suam iusta de causa ut asserit.

(5) Artus Girault. Artus Guereult lector Parisiensis iam antea promotus per Pontium Raynaldum in universitate Bituricensi, at non mandaverat executioni promotionem, fuit iterum promotus 13 Maii 1504 in universitate Cadomiensi usque ad magisterium inclusive.

(6) Anthonius Chausemilie. Supra 1492.

M.CCCC.LXXXXIX Fr. Joannes Chapelli (1) eiusdem Provinciae; pro anno M.D. Fr. Jacobus Boneti (2); pro anno M.DI Frater Joannes Clerici.

In Studio Pictaven. pro anno M.CCCC.LXXXXVIII Frater Jacobus de Rupella: pro anno M.CCCC.LXXXXIX Fr. Joannes Robini, Franciscus de Voscho (3) et Raymundus de Guavarrario; pro anno M.D Fr. Petrus Oberti; pro anno M.DI Fr. Joannes Praepositi (4); pro anno M.DII Fr. Ludovicus Guilberti; pro anno M.DIII Fr. Petrus Cachandi.

In Studio Catursen. pro anno M.CCCCLXXXXVIII Frater Anthonius Moneri; pro anno M.D Fr. Dominicus de Podio.

In Studio Perpinianensi pro anno M.CCCC.LXXXXVIII Michael Chelme; pro M.CCCC.LXXXXIX Fr. Petrus Palomer (5); pro anno M.D Fr. Gabriel Fayola.

Extraordinarie in eadem Universitate Fr. Andreas Chauchis.

In Studio Montis Pessulani pro anno M.CCCC.LXXXXVIII Frater Guillermus Faver, Conventus Aureliani; pro anno M.CCCCLXXXXIX Fr. Petrus Curti (6) de Conventu Claromontis; pro anno M.D Fr. Joannes Miloti (7) de Conventu Sinimuri ordinarie, et Fr. Joannes Boysiaci de Conventu Claraevallis extraordinarie; (78-r.) pro anno M.DI Fr. Joannes Jovanci de Conventu Miniate; pro anno M.DII Fr. Petrus Alverniaci (8) de Conventu Balneolarum.

In Universitate Ilardensi pro anno M.CCCC.LXXXXVIII Fr. Antonius Vilarini Lector.

---

(1) Joannes Chapelli. Supra 1492.

(2) Jacobus Boneti. 8 Julii 1503 Fr. Boneti provinciae Provinciae habet licentiam legendi Sententias usque ad magisterium in universitate Avenionensi.

(3) Franciscus de Voscho. De Boscho, 1510.

(4) Joannes Prepositi. 22 Martii 1504, iam baccalaureus formatus, habet licentiam suscipiendi gradum magisterii in universitate Andegavensi.

(5) Petrus Palomer. Provinciae Cataloniae. 1503 habuit concessionem cuiusdam camerae.

(6) Petrus Curti. A. 1503 prior Balneolarum.

(7) Joannes Miloti. 9 Dec. 1503 prior Lugdunensis.

(8) Petrus Alverniaci. 6 Oct. 1503 licentiatus ad legendum Sententias usque ad magisterium exclusive.

In Universitate Coloniensi pro an. M.CCCC.LXXXXVIII Fr. Vulterus de Guildia (1).

In Universitate Lovaniensi pro an. M.CCCC.LXXXXVIII Fr. Joannes de Pascha (2); pro an. M.CCCC.LXXXXIX Frater Egidius de Mirica (3); pro an. M.D Fr. Adrianus Brugensis Prov. Franciae.

In Studio Andegavensi pro an. M.CCCC.LXXXXVIII Frater Gofridus Astrabonis; pro an. M.CCCC.LXXXXIX Fr. Jacobus Pagan; pro an. M.D Fr. Maturinus Cornon (4); pro an. M.DI Fr. Georgius Mercatoris (5); pro an. M.DII Fr. Joannes Chenet.

In Studio Nanatensi pro an. M.CCCC.LXXXXVIII Frater Philibertus Armigerii; pro an. M.CCCCLXXXXIX Fr. Tanguidus Beaudier (6); pro an. M.D Fr. Jacobus Roillart; pro an. M.DI Fr. Oliverius Huardier; pro an. M.DII Fr. Guillermus Frumenti (7).

(78-v.) In Studio Burdegalensi pro an. M.CCCC.LXXXXVIII Fr. Bertrandus de Marsaquo, et pro eodem anno ad legendum Bibliam Fr. Guillermus de Insula; pro an. M.CCCC.LXXXXIX ad legendum Bibliam Fr. Paschasius de Insula (8); pro an. M.D

---

(1) Vulterus de Guildia. Infra 1503 Galterus de Gelria, 1517 Walterus Stay.

(2) Joannes de Pascha. 7 Aug. 1505 fuit factus terminarius collegii Lovaniensis et vicarius generalis in eodem cum plenitudine potestatis. Cf. *Analecta O. C.* II p. 628.

(3) Egidius de Mirica. *Revue Bénédictine*, 1904, 133 sqq.

(4) Maturinus Cornon. Provinciae Turoniae, 4 Julii 1505 accepit insignia magistralia et creatus magister in theol. auctoritate apostolica in conventu Brugensi.

(5) Georgius Mercatoris. 1503 Licentia Magisterii pro Georgio Mercatoris prov. Turoniae, cum licentia obtinendi beneficia extra conventum. 26 Martii 1504 habuit litteras ad associandum provincialem Turoniae.

(6) Tanguidus Beaudier. Supra 1492.

(7) Guillermus Frumenti. Provinciae Turoniae. 2 Aug. 1504 praeceptum ut recedat a conventu Parisiensi post festum Assumptionis. 4 Jan. 1506 licentia recipiendi gradum lic. in universitate Nanetensi.

(8) Paschasius de Insula. De conventu Rapistani, doctor Burdigalensis, vir doctissimus et vitae sincerissimae humillimaeque, confessor D. Jo. de Furso archiep. Burdigal. et D. de Chandell eiusque consortis, obiit Pamiae 17 Aug. 1527. Ita Balaeus.

Fr. Dominicus de Isaco; pro an. M.DI Fr. Petrus de Gana; pro an. M.DII Fr. Jacobus de Collaco.

ORDINATIO STATUTORUM.

Ordinamus in primis, quod tempore servitii Divini omnes portae Conventuum sint clausae, praeter portam Ecclesiae; ita quod nemo Conventum ingredi valeat, nisi per ipsam Ecclesiam; excepta eminenti necessitate, super qua cognoscenda Praesidentium in Conventibus conscientias oneramus.

Ordinamus insuper, quod in Conventibus, in quibus Dormitoria sunt completa, quod illa claudantur; et quilibet Fratrum habeat clavem unam, ne facilis aditus pateat saecularibus; cum exinde plurima oriantur scandala, et consequantur mala.

Ordinamus etiam, quod nullus Fratrum neque in cellis dormitorii, neque extra cellas dormitorii quosvis saeculares recipere audeat, sine licentia R.rum Provincialium si sint in conventu, seu Priorum localium in absentia dictorum Provincialium, et hoc sub poena privationis cellarum suarum, si trina fuerint vice in hac culpa deprehensi; cum cithara cum psalterio male concordent.

Ordinamus nec non, quod Lectores et Magistri in theologia mane et vespere comedant in communi Refectorio, solis Reverendis Provincialibus, si eis videbitur, exceptis, cum id cedat in magnam utilitatem, simulque et honestatem, ac singularem exemplaritatem.

(79·r.) Ordinamus ulterius, quod nullus Fratrum birrum portet discopertum, nisi sit Magister in theologia, vel graduatus, seu Iubileus; et in tali casu quod birrus non sit alterius nisi nigri coloris, sub poena deperditionis birrorum, quoties fuerint deprehensi.

Ordinamus praeterea, quod Fratres non accedant ad civitatem seu villas nisi raro, et tunc de suorum licentia Superiorum, et cum hoc bini et bini cappas secum honeste deferendo; cum Dominus Apostolos binos miserit per Orbem.

Ordinamus etiam, quod Fratres in Conventibus nostris vinum non praesumant tenere venale pro saecularibus; cum plurimae rixae, etiam cum maximis scandalis in plerisque conventibus ex hoc fuerint subsequutae.

Ordinamus, quod si Fratres, quod absit, deprehensi fuerint, aut convicti, quod mercantias exerceant cum saecularibus, aut

pecuniam cuius usum eis Ordo reliquit, praefatis saecularibus dederint ad negotiandum, ipso facto proprietarii iudicentur, et dicta pecunia Ordini applicetur, cum Clericum negotiatorem tamquam pestem, et fugere et devitare debeamus.

Ordinamus et item, quod nullus Prior localis Fratrem ad se recipiat venientem, nisi litteras talis Frater portaverit testimoniales, et ab illo ad quem spectaverit secundum formam Constitutionum, tali Fratri licentiam impertiri; et si talis Frater sic temerarie venerit, carceri mancipetur.

Ordinamus insuper quod nulli maiores in Conventibus suis recipiant aliquos pedagogos, qui teneant ludum saecularibus in dictis nostris conventibus, sed bene licebit ipsis maioribus recipere in eorum Conventibus aliquos pedagogos, qui nostros fratres iuvenes doceant, et informent.

Ordinamus etiam; imo verius innovamus veterem illam Constitutionem, quae est de recurrentibus ad Principes, vel Dominos quoscumque saeculares. (79-v.) Quod si qui e nostris Fratribus ad ipsos Dominos Principes, vel saeculares confugerint, ipsaque Ordinis secreta panderint, seu alias maiores suos diffamaverint, carceri mancipentur, et suis omnibus bonis priventur. Si vero litteras ab eis ad nostra Generalia Capitula, Provincialia, vel localia detulerint, volumus et ordinamus, quod tales litterae non legantur, donec finitis prius Capitulis; et praefati Fratres tunc praedictis poenis subiacebunt, et loco et voce carebunt; et si fuerint graduati, vel officiarii, gradu et officio priventur ipso facto, nec cum eis dispensari possit, nisi per R.mum Patrem Generalem, vel per Capitulum Generale.

Ordinamus nec non, quod nullus Clericum tenere praesumat saecularem in Conventu, nisi fuerit Magister in Theologia, gratias in contrarium concessas revocando.

Ordinamus praeterea, et mandamus omnibus Provincialibus nostrae Sacrae Religionis, quod litteras ad eos a nobis missas prius recipiant cum honore et reverentia, ut decet. Quod si quicquam in eis contentum fuerit ex mala atque iniusta informatione fratrum, quod in praeiudicium cedat ipsorum Provincialium, aut Provinciarum eis commissarum; teneantur ipsi Provinciales dictos Fratres ad nos remittere, cum debitis informationibus. Quod si renuerint venire, carceri mancipentur, et statim per fidelem nuncium nobis significetur. Si vero praefati Fratres

ad nos redierint, ut tenentur, graviter punientur, et expensis succumbent, ne vago incursu Fratrum, aut levitate nimia in maiores impinguantur; omnes enim subreptitiae litterae de iure damnata sunt, et precator falsus carere debet impetratis.

Ordinamus insuper, quod nullus Fratrum quavis ex causa ad studia saecularia promoveatur.

Ordinamus etiam quod Fratres Humbertus et Melini (1), et Guillermus Gaudete (2) a Conventu Tolosano absolvantur; quos nos per praesens Decretum sive Statutum absolvimus; et eos R.do eorum Mag.ro Provinciali Mag.ro Laurentio (80-r) Burelli remittimus, ut de illis disponat, secundum quod sibi videbitur expedire; alibi tamen quam in Provincia Tolosana, nonobstantibus quibuscumque litteris per nos eis concessis, si quae essent.

Ordinamus etiam, quod per totum nostrum Sacrum Ordinem in vesperis et matutinis fiat quotidie, nisi impedimentum evenerit, memoria de Sanctis Alberto et Angelo; et de Beata Maria Magdalena fiant solemnes octavae et non simplices: De Sancto vero Joachim fiat festum duplex sexta decima die Septembris, sicut de Sancto Joseph fieri solet, nec non de Sancto Baudilio festum novem lectionum, ut unius Martyris, vigesima Maii.

Ordinamus denique quod omnia statuta Capitulorum Generalium Rupeculae et Romae celebratorum in sua maneant firmitate, ac si nunc per nos de novo ordinarentur et publicarentur, et quod nullus Provincialium ab hoc presumat recedere Generali Capitulo, nisi secum prius habuerit, ut deferat ad Provinciam sibi creditam statuta per nos confecta.

Praecipimus autem Nos Frater Pontius Prior Generalis omnibus et singulis Prioribus Provincialibus in virtute sanctae obedientiae, et sub rebellionis, excomunicationisque poena, ac depositionis ab eorum officiis, quatenus praesentia statuta vestrum quilibet, et omnes simul, tam coniunctim quam divisim, in vestris Provinciis vobis creditis observare faciatis ad unguem ut ordinata sunt, et trangressores gravissime puniatis, cum facilitas veniae praebeat incentivum delinquendi: et nos reformationi totius ordinis studentes, non intendimus praesentia statuta quovis

(1) Humbertus (et) Melini. Sic.

(2) Guillermus Gaudete. 27 Maji 1507, praesentatus prov. Narbonae, habuit licentiam inserviendi alicui ecclesiae.

pacto revocare, sed illa potius ampliare atque corroborare, et totis viribus observare.

Capitulum Generale futurum celebrandum hinc ad sex annos remittitur R.mo Patri Generali, de unanimi assensu Diffinitorum, ut eligat locum qui sibi videbitur expedire.

R.mus (1) Pater Ordinis elegit Conventum Lugduni in Provincia Narbonae, in quo celebrabitur futurum Capitulum Generale anno ordinato per novissimum Generale Capitulum apud Nemausum et in Festo Penthecostes, scilicet anno sexto a novissimo Generali Capitulo *(Folium 80-v et 81-r vacant).*

(81-**v.**) Haec sunt Acta Capituli Generalis celebrati in Conventu Placentiae Provinciae Lombardiae. Praesidente R. Magistro Terrasse tunc Vicario Generali Auctoritate Apostolica, creato in eodem Capitulo Priore Generali totius Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli, de unanimi assensu Rev.rum Patrum Provincialium, et caeterorum Gremialium, Anno Domini 1503 die 3 Junii, in vigilia Penthecostes; cuius Capituli Generalis fuit facta electio in hunc modum qui sequitur, nemine discrepante.

R. Vicarius elegit Provincialem Provinciae Provinciae. — R. Provincialis Terrae Sanctae elegit Mag. Petrum Terrasse. — R. Prov. Narbonae elegit eundem. — R. Prov. Lombardiae eundem. — R. Prov. Aquitaniae eundem. — R. Prov. Provinciae Provinciae eundem. — R. Prov. Tusciae eundem. — R. Provincialis Venetiarum eundem. — R. Prov. Tolosae eundem. — Reverendus Prov. Cathaloniae eundem. — R. Prov. Vasconiae eundem. — P. Prov. Turoniae eundem. — R. Prov. Daciae eundem. — R. Prov. Marchiae Anchonitanae eundem.

Post haec deventum est ad Socios.

Socii Angliae elegerunt Magistrum Petrum Terrasse. — Socius Narbonae eundem. — Socius Franciae eundem. — Socius Alamaniae Inferioris eundem. — Socii Lombardiae eundem, — Socius Aragoniae eundem. — Socius Aquitaniae eundem. — Socius Hiberniae eundem. — Socii Provinciae Provinciae eundem. — Socii Tusciae eundem. — Socii Venetiarum eundem. — Socius Tholosae eundem. — Socii Cathaloniae eundem. — Socius Va-

---

(1) Hoc ultimum alia manu additum est.

sconiae eundem. — Socius Turoniae eundem. — Socii Marchiae Anchonitanae eundem. — Socii Vicarii Generalis eundem.

Post haec erant numero circiter quinquaginta supplentes voces Provincialium, et sociorum absentium; quibus praefatus Magister Petrus Generalis electus uti noluit, propter unanimem electionem praecedentem: Ipsi vero unanimiter, et alta voce, nec uno quidem discrepante elegerunt eum in Generalem, et alta voce clamarunt: *Te Deum laudamus*, etc.

(82-**r.**) Sequuntur Diffinitores.

Primus Diffinitor Mag. Provincialis Terrae Sanctae M. Joannes de Cypro.

Secundus Socius Provinciae Angliae Baccalarius Fr. Robertus Lisperi (1).

Tertius M. Provincialis Narbonae M. Joannes Laurealis (2).

Quartus Socius Provincialis Franciae M. Gaufridus Reclusi (3).

Quintus Socius Alamaniae Inferioris M. Galterus de Gelria (4).

Sextus Mag. Provincialis Lombardiae Mag. Heliodorus de Cremona (5).

Septimus Socius Provinciae Aquitaniae Praesentatus Frater Petrus Lerle.

---

(1) Robertus Lisperi. Fuit is Robertus Lesbury e conventu Hulnensi oriundus, de quo Balaeus, homo atrae bilis, ait: « crassae sed mediocris staturae, in omni scibili peritus, sed ad mala facilis, piger, violentus, libidinosus » et quod tempore sui provincialatus conventum Calisiae (ad provinciam Angliae pertinentem) nuper reformatum destruxit. 17 Nov. 1504 confirmata fuit electio eius in priorem Cantabrigiensem; 27 Martii 1505 ordinatus fuit ad legendum Sententias usque ad magisterium inclus. Cantabrigiae, sed postea universitati Oxoniensi incorporatus fuit. Electus provincialis in capit. Suttonensi, 8 Sept. 1519 propter legem de triennio officio cessit a. 1522, obiitque Londini a. 1524.

(2) Joannes Laurealis. Alvernus, conventus Claremontis, doctor Montis Pessulani, excellentissimus orator et praedicator. Obiit Molinis 8 Martii 1512 in choro sepultus.

(3) Gauferdus Reclusi. Supra 1478.

(4) Galterius de Gelria. Supra 1498.

(5) Heliodorus de Cremona. Post obitum Bernardini Senensis vicarius generalis Ordinis.

Octavus Socius Provinciae Aragoniae M. Petrus Stagne (1).

Nonus Socius Provinciae Hiberniae Fr. Gulielmus de Castro (2) Baccalarius formatus.

Decimus M. Claudius Giboldi (3) primus Socius Provinciae Provinciae.

Undecimus M. Bernardinus de Senis M. Provincialis Tusciae.

Duodecimus Socius primus Provinciae Venctiarum Magister Rodolphus Vercellensis.

Tertius decimus M. Joannes de Fabro M. Prov. Provinciae Tolosae.

Quartus decimus Primus socius Prov. Cathaloniae M. Joannes Myr (4).

Quintus decimus R. M. Menaldus de Rosariis Provincialis Vasconiae.

Sextus decimus M. Yvo Roulandi (5) Provincialis Turoniae.

Decimus septimus M. Laurentius Falcutius (6) Provincialis Marchiae Anchonitanae.

Decimus octavus M. Provincialis electus Daciae M. Andreas Christerni (7).

---

(1) Petrus Stagne. Supra 1472. Praesenti anno Petrus Staymo (sic enim in registro nomen scribitur), prior Valentiae, habet concessionem ad vitam alicuius camerae cum horto, factus insuper superior in conventu Conceptionis monialium ibidem.

(2) Gulielmus de Castro. 18 Oct. 1505 provincialis et diffinitores capituli nuper celebrati in Hibernia citare faciant baccalaureos Wilhelmum Carew et Wilhelmum de Castro, et auditis partibus habeant administrare iustitiam parti querelanti secundum Constitutiones. Eodem die bacc. Wilh. de Castro factus est prior in conventu Cerilinie (Leighliniae).

(3) Claudius Giboldi. Supra 1478.

(4) Joannes Myr. Supra 1472, Isto anno concessa fuit licentia comedendi in camera cum uno socio pro mag. Joanne Mie provinciae Cathaloniae.

(5) Yvo Ruolandi. Supra 1492.

(6) Laurentius Falcutius. De Florentia. 15 Nov. 1505 confirmatus in provincialem prov. Anconitanae usque ad proximum capitulum generale. 9 Ian. 1506 factus prior perpetuus in conventu Cesenae. 14 Oct. 1506 idem confirmatum.

(7) Andreas Clisterni. Christiani. 1492.

Post haec deventum est ad taxam ordinariam totius Ordinis et fuit taxatus totus Ordo ordinarie prout in praecedenti Capituto Nemausi celebrato, scilicet ad summam trecentorum duorum ducatorum omnium Provinciarum, quae sunt numero viginti octo.

Primo Provincia Terrae Sanctae fuit taxata pro quolibet anno ad ducatos duos. — Provincia Siciliae pro quolibet anno ad ducatos viginti sex. — Provincia Angliae ad ducatos triginta octo. — Provincia Narbonae ad ducatos decem octo. — Provincia Romana ad ducatos tres. — Provincia Franciae ad ducatos quindecim. — Provincia Alamaniae Inferioris ad ducatos viginti quatuor. — Provincia Lombardiae ad ducatos quatuordecim. — Provincia Aquitaniae ad ducatos undecim. — Provincia Aragoniae ad ducatos quinque. — Provincia Hiberniae ad ducatos sex. — Provincia Provinciae ad ducatos duodecim. — Provincia Venetiarum ad ducatos quatuordecim. — Provincia Scotiae ad ducatos quinque. — Provincia Tusciae ad ducatos duodecim. — Provincia Tholosana ad ducatos undecim. — (82-v.) Provincia Cathaloniae ad ducatos sex. — Provincia Alamaniae Superioris ad ducatos viginti. — Provincia Vasconiae ad ducatos quatuordecim. — Provincia Turoniae ad ducatos sexdecim. — Provincia Saxoniae ad ducatos tres. — Provincia Castellae ad ducatos sex. — Provincia Portugalliae ad ducatos duos. — Provincia Bohemiae ad ducatos tres. — Provincia Neapolitana ad ducatos septem. — Provincia Marchiae Anchonitanae ad ducatos duos. — Provincia Apuliae ad ducatos tres. — Provincia Daciae ad ducatos tres (1).

SEQUITUR ORDINATIO PROVINCIALIUM.

Provincialis Terrae Sanctae Mag. Joannes de Cypro. — Prov. Siciliae M. Ludovicus de Petrulla. — Prov. Angliae Magister Joannes Veveher (2) usque ad nostram visitationem. — Prov. Narbonae M. Joannes de Laurealis. — Prov. Romanus

(1) In Registro Petri Terrasse additur: Provincia Beticae (numerus vacat).

(2) Joannes Veveher. Vynde. In Ms. registro Petri Terrasse primo scriptum fuit Veveher sicut in actis, sed postea per ipsum Generalem correctum.

M. Bartholomeus Verolle (1). — Prov. Franciae M. Maturinus Clementis (2), Prov. Alamaniae Inferioris M. Joannes de Nucia (3). — Prov. Lombardiae M. Heliodorus Cremonensis. — Prov. Aquitaniae M. Durandus de Sancto Justo (4). — Prov. Aragoniae Magister Garsias Garces. — Prov. Hiberniae M. Cornelius Cornaillus (5). — Prov. Provinciae M. Egidius Borgesi. — Prov. Scotiae remittimus M. Generali. — Prov. Tusciae M. Angelus Andreae de Florentia. — Prov. Venetiarum M. Bartholomeus Campagnola. — Prov. Tolosae M. Joannes de Fabro. — Provincialis Cathaloniae M. Gulielmus Tolosani. — Prov. Alamaniae Superioris ad postulationem Provinciae (6). — Prov. Vasconiae M. Menaldus de Rosarijs. — Prov. Turoniae M. Yvo Ronehandi (7). — Provincialis Saxoniae ad dispositionem R.mi M. Generalis. — Provincialis Castellae Fr. Andreas Gepes. — Prov. Portugaliae Magister Hieronimus. — (83-r.) Prov. Bohemiae ad dispositionem Reverendissimi M. Generalis. — Prov. Neapolitanus M. Joannes De Sanctis (8). — Prov. Marchiae Anchonitanae M. Laurentius Falcutius de Florentia. — Prov. Apuliae M. Joannes de Neapoli (9). — Prov. Daciae M. Andreas Christiani. — Procurator Ordinis M. Bernardinus de Senis. — Prior in Urbe Romana Fr. Jo. Jacobus de Ravenna (10). — Prior Parisiensis M. Joannes Mercatoris. —

---

(1) Bartholomaeus Verolle. Terrasse habet Erola. Fuit iste Neapolitanus genere 2 Maii 1507 confirmatus prior Neapoli et factus vicarius generalis.

(2) Mathurinus Clementis. Supra 1451. 6 Febr. 1504 visitavimus nostrum conventum Bituricensem quem reperimus optime reformatum per Mag. Mat. Clementis ex quo omnia per eundem facta in dicta reformatione appobavimus et confirmavimus. Similiter antea in conventu S. Amandi.

(3) Joannes de Nucia. Joannes Virici de Nussia.

(4) Durandus de S. Justo. Supra 1478-82.

(5) Cornelius Conaillus. Supra 1488.

(6) Alemaniae Superioris ad postulationem provinciae. I. e. Joannes Fortis confirmatus fuit.

(7) Yvo Ruolhandi. Supra 1492.

(8) Joannes de Sanctis. Supra 1492.

(9) Joannes de Neapoli. Joannellus de Longobardo. Supra 1478,

(10) Joannes Jacobus de Ravenna. 10 Ian. 1506 absolutus a conventu Ravennae et provincia Anconitana et affiliatus conventui San-

Socii R.mi Patris Generalis M. Alexander de Venetiis et Magister Baptista de Candia (1).

SEQUITUR ORDINATIO PROMOTORUM

Et primo in Universitate Parisiensi.

Pro primo anno 1503 Parisiis Fr. Joannes de Monte Regali Provinciae Vasconiae. — Pro 2° anno 1504 Fr. Antonius Bennenis (2) alias Choureuse Prov. Aquitaniae. — Pro 3° anno 1505 Fr. Augustinus Astensis (3) Prov. Lombardiae. — Pro 4° anno 1506 Fr. Egidius Berdallie Prov. Franciae. — Pro 5° anno 1507 Fr. Antonius Gaignon (4) Prov. Narbonae. — Pro 6° anno 1508 Fr. Jo. Angelus (5) Prov. Venetiarum.

---

ctae Mariae Transpontinae, ibidemque constitutus prior et exemptus a iurisdictione provincialis Romani necnon vicarii generalis cum ille conventus immediate subiiciatur Generali.

(1) Baptista de Candia. A. 1507 prior Soncini, conceditur tamen sibi ad vitam camera in conventu Mediolani cum pertinentiis et uno servitore, necnon ius comedendi in camera et condendi testamentum. 1510 fit vicarius provincialis super conventum Mediolanensem. Obiit anno 1517.

(2) Antonius Bennenie alias Choureuse. Alias Chemiceux, verum nomen fuit Chevreux uti videre est in reg. Terrasse. 16 Febr. 1504 habet licentiam praedicandi Verbum Dei per totam Quadragesimam Bituricis sed redeat Parisios post octavam Paschae. 2 Aug. 1504 accepit mandatum recedendi cum quibusdam aliis a dicto conventu infra tres dies facta praesentatione decreti.

(3) Augustinus Astensis. Frater germanus Bedae Astensis et post eum provincialis Lombardiae. Promotus in praesenti capitulo ad legendum Bibliam Parisiis usque ad gradum magisterii, sed 24 April. 1504 Joannes Angelus sibi subrogatur. Poeta, mathematicus, graecae et latinae linguae peritus, omnique honore ecclesiastico dignissimus, omnem fere Scripturam sacram memoriter tenens. Ita Balaeus.

(4) Antonius Gaignon. 1503 destinatur Parisios pro simplici forma. 9 Iulii 1504 habet licentiam ad legendum Sententias ibidem pro a. 1507 usque ad magisterium. Alvernus, conventus Claremontensis, doctor tandem Montis Pessulani.

(5) Joannes Angelus. Promotus ad legendum Bibliam et Sententias Parisiis pro a. 1508 fuit subrogatus Augustino Astensi (24 Apr. 1504), sed cum nec ipse legere posset sufficitur sibi 17 Maii 1504 Guillermus Van Dungen Provinciae Franciae.

In Studio Tholosano ordinarie.

Pro primo anno 1503 Fr. Jacobus Salveti Provinciae Tholosae. — Pro 2° anno 1504 F. Brunetus Calveti (1) Prov. Aquitaniae. — Pro 3° anno 1505 Fr. Bartholomeus de Alexandria Prov. Lombardiae. — Pro 4° anno 1506 Fr. Dominicus de Podio Prov. Vasconiae. — Pro 5° anno 1507 Fr. Joannes Moriliardi (2) Prov. Tholosae. — Pro 6° anno 1508 Fr. Arnoldus de Aula(3) Prov. Vasconiae.

In eodem Studio Tholosano extraordinarie.

Pro primo anno 1503 Fr. Donaldus de Castro Provinciae Hiberniae. — Pro 2° anno 1504 Fr. Joannes Bruni Prov. Aquitaniae. — Pro 3° anno 1505 Fr. Gulielmus Burlier (4) Provinciae Franciae.

BONONIAE . . . . FLORENTIAE

Pro primo anno 1503 Fr. Albertus de Melegnano (5) Prov. Lombardiae.

(83-**v**) In Universitate Montis Pessulani ordinarie. Pro primo anno 1503 Fr. Bartholomeus Iuvenis. — Pro 2° vacat. — Pro 3° anno 1505 Fr. Petrus Ballini (6). — Pro 4° anno 1506 Fr. Ludovicus Gaudeti. — Pro 5° anno 1507 Fr. Sebastianus Loguari. — Pro 6° anno 1508 Fr. Joannes Natalis (7).

In Universitate Avinionensi. Pro primo anno Fr. Joannes Bonas Prov. Provinciae. — Pro 2° anno Fr. Joannes de Canea. — Pro 3. anno Fr. Antonius Ponceti. — Pro 2° et 3° extraordinarie Fr. Stephanus Castellani.

---

(1) Brunetus Calveti. Alias Calverii seu Calberii.

(2) Joannes Moriliardi. In reg. Terrasse Moilhardi.

(3) Arnoldus de Aula. 24 Apr. 1504 lector et promotus ad legendum Sentent. Tolosae usque ad magisterium pro a. 1508. 2 Aug. 1504 recedat a conventu Parisiensi infra tres dies.

(4) Gulielmus Burlier. In reg. Terrasse Borriero.

(5) Albertus de Melignano. Plenius Albertus Vasa de Melignano qui 15 Jan. 1507 fuit ordinatus ad legendum Sentent. Papiae.

(6) Petrus Ballini. 13 Maii 1504 habuit licentiam legendi Sentent. in universitate Montispessulani usque ad magisterium.

(7) Joannes Natalis. 1503 promotus pro simplici forma Parisiis. 16 Jan. 1504 ordinatus lector regens in Conventu Viennae in Delphinatu. 4 Julii 1505 lector in theologia.

In Universitate Coloniensi. Pro anno 1504 leget Bibliam et coeteros Actus usque ad Magisterium Fr. Henricus Pistoris de Collonia.

In Studio Perpinianensi. Pro primo anno Fr. Gabriel Faxoli (1). — Pro secundo anno Fr. Ioannes Bovis.

In Studio Hilerdae. Pro primo anno Fr. Michael Sparse (2). Pro eodem anno Fr. Michael de Medrigal (3). — Pro 2° anno Fr. Petrus Sanxion Prov. Aragoniae.

In Universitate Cadomen. Pro anno 1503 Fr. Gulielmus Bertaud (4). — Pro anno 1505 Fr. Egidius Luce. — Pro anno 1506 Fr. Stephanus Sutoris.

In Universitate Bituricen. Pro anno 1505 Fr. Gulielmus Greaume.

In Studio Cathurci ordinarie. Pro primo anno Fr. Joannes Bonaldi Prov. Aquitaniae.

In Universitate Burdegalen. Pro primo anno Fr. Dominicus de Ysacho (5). — Pro 2° anno Fr. Laurentius de Sabaudis. — Pro 3° Fr. Petrus de Guana (6). — Pro 4° anno Fr. Jacobus de Chaillaco.

(84-**r**) In Universitate Pictavensi. Pro anno 1504 Fr. Bernardus de Podio (7) Prov. Vasconiae.

---

(1) Gabriel Faxoli. Supra 1498 sicut etiam in reg. Terrasse Fayola.

(2) Michael Sparse. Alias Sparsa, provinciae Aragoniae.

(3) Michael de Madrigal. Eodem anno habuit litteras ad legendum Salmanticae usque ad magisterium. 12 Aug. 1508 quo tempore praesentati titulo notatur absolutus fuit a filialione conventus S. Pauli de Moraleia et factus S. Andreae Salmanticae. 8 Oct. eiusdem anni ratum habetur magisterium quod auctoritate pontificia obtinuerat. 31 Aug. 1509 absolutus fuit a vicariatu generali provinciae Castellae.

(4) Gulielmus Bertaud. Verum nomen Bertault. Ita habetur in reg. Terrasse 20 Junii 1504 : bacc. Guillermus Bertault prov. Franciae fuit rehabilitatus ad legendum Sentent. iuxta promotionem sibi datam in capitulo Placentiae ; et quia prior et fratres conv. Cadomensis scripserunt in favorem sui fuit restitutus loco et gradui pristinis in praedicto conventu.

(5) Dominicus de Ysacho. Supra 1492 Isaco.

(6) Petrus de Guana. Supra 1498 de Gana.

(7) Fr. Bernardus de Podio. Reg. Terrasse addit hic : In studio Andegavensi Joh. Guerrier prov. Turoniae pro a. 1503. Iste vero postea promotus fuit pro studio Nanetensi. Item Andegavi pro a. 1506 Gabriel Laurentii.

Nos Fr. Petrus humilis Mag. Generalis, ac servus totius Sacri Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli, studentes reformationi totius dicti Sacri Ordinis, praecipimus et mandamus in virtute santae obedientiae, ut sub rebellionis et excommunicationis, ac depositionis ab eorum officiis poenis, quatenus haec praesentia statuta quilibet Provincialium, et omnes simul, tam coniunctim quam divisim in Provinciis eis creditis faciant ad unguem, ut ordinata sunt, observare ; ac trangressores gravissime puniant ; cum facilitas veniae praebeat incentivum delinquendi ; et nos quovis pacto non intendamus illas revocare, sed potius ampliare, atque corroborare, et totis viribus observare.

Attestamur autem Deum Omnipotentem, et Virginem Gloriosam, quorum auxilium in hac re imploramus, quod si qui negligentes fuerint in huiusmodi statutorum observatione, illis immediate poenas promulgatas in hoc nostro Decreto applicabimus et denuntiabimus.

In primis statuimus et ordinamus, quod nullus Provincialium habeat exinde autoritatem faciendi Lectores in Capitulis Provincialibus, nisi tales fuerint docti in Philosophia et Theologia, aut fuerint solemnissimi Praedicatores ; super quo eorum oneramus conscientias ; facti vero ab eis aliter quam ut praemittitur, gradu et honore sint privati.

Item ordinamus, quod nullus exinde possit legere sententias in aliqua Universitate, nisi prius fuerit Lector in Theologia.

Item ordinamus, quod nullus promoveatur ad legendum sententias, nisi prius legerit Bibliam, ubi est consuetum legi, et legendo sententias in aliqua Universitate, ille talis teneatur legere secundum ritum Universitatis.

Mandantes omnibus et singulis quarumcumque Universitatum Magistris regentibus, ut ad hoc suos Baccalarios moneant, et inducant ; quod si facere neglexerint, tam regentes quam legentes privamus taxis ordinariis, quas recipere solent.

Item ordinamus, propter tollendas multas multorum abusiones, qui propter ambitionem damnatissimam virtutis insignia sine virtute niti consequuntur, ex quo plurima scandala Ordini nostro sacro evenire solent, tam in choro et refectorio, quam in aliis locis, cum sint hodie plures quasi graduati, quam fratres simplices, ex quo scientia interdum non praefertur ignorantiae, quod damnabilissimum est, deperdunturque iam studia, et bonae

omnes disciplinae, et litterarum exercitia; statuimus inquam, quod nullus de coetero per Rev.mum Patrem Generalem promoveri possit ad Baccalariatum, neque ad gradum Magisterii, nisi constiterit de eius sana et clara doctrina, moribus et honesta conversatione; et tunc talis promoveatur per eundem Patrem (84-v) Generalem, requirente suo Provinciali, vel tota Provinia, et promoveatur ad cursum alicuius Universitatis in nostris sacris constitutionibus contentae. Super quo statuto nec ipse R.mus Generalis ullo pacto poterit dispensare.

Item ordinamus, imo verius innovamus veterem illam constitutionem, quae est de recurrentibus ad Principes vel Dominos, seu alios quoscumque saeculares viros. Quod si qui ex nostris Fratribus ad illos confugerint, ipsaque Ordinis secreta panderint, seu alias maiores suos diffamaverint, carceri mancipentur, et suis omnibus bonis priventur; et si fuerint graduati, vel officiarii, gradu et officio priventur ipso facto; nec cum eis dispensare possit, nisi per R.mum Patrem Generalem, vel Capitulum Generale. Si vero Prioribus Provincialibus, seu alteri eorum in sua Provincia constiterit, aliquem fratrem huius Decreti seu statuti transgressorem, illumque non punierit secundum poenas in hoc Decreto taxatas; illum Provincialem ducimus puniendum in nostra visitatione secundum formam nostrarum sacrarum constitutionum; cum ista nonnullorum fratrum perditissima audacia comprimi non possit nisi rigide et cum severa iustitia.

Item ordinamus, quod omnes Magistri facti de cursu in Universitatibus contentis in nostris sacris constitutionibus, praecedant alios factos de gratia, exceptis creatis per nos in Capitulo Placentiae celebrato; quos creavimus per Breve Apostolicum, rigoroso examine praecedente, nonobstantibus quibuscumque litteris antea concessis, seu inposterum concedendis.

POST HAEC DEVENTUM EST AD CONVENTUM PARISIENSEM.

In primis, quod R.mus Pater Generalis praecipiat sub poena excommunicationis latae sententiae, ut dicitur, si aliter feceris quam in his litteris mandamus, quatenus deinceps Fr. Ludovicus De

Lira, (1) non audeat habitum nostrae Sacrae Religionis imponere, sine expressa licentia ipsius R.mi Patris Generalis, vel Provincialis Prov.ae Franciae, aliquibus, cuiuscumque gradus aut conditionis existant. Quod si aliter fecerit, ex nunc prout ex tunc pronuntiamus, et declaramus eundem Fratrem Ludovicum excommunicatum, ubi nostrae litterae sibi nunciatae fuerint, quarum intimationi simplici Fratri, vel cuicumque tabellario fide digno facenti nobis fidem credemus; et easdem litteras sic intimatas vere et iuridice esse intimatas decernemus pro nunc et ex nunc decernimus. Item quod nec etiam quicumque Prior Parisiensis non institutus per nos, et Diffinitores Capituli Generalis, sub eisdem poenis non audeat ut supra.

Item praecipimus eadem auctoritate, et sub eisdem poenis, ne aliquem Conventum cuiuscumque Provinciae in tota nostra Sacra Religione audeat reformare sine expressa licentia nostra,

---

(1) Ludovicus de Lira. Agitur hic de celeberrima controversia circa Congregationem Albiensem quae, uti videre est alibi circa finem anni 1499 inconsulto Ordine instituta fuerat. Ludovicus de Lira a Legato apostolico, plaudente rege Christianissimo, et, uti apparet, quamvis Breve apostolicum hucusque repertum non sit, approbante Summo Pontifice, ad instar vicarii generalis sese gerebat, moderans nascentem Congregationem quae e Conventibus Albiensi, Meldunensi, Rothomagensi ac etiam Parisiensi consistebat. Inter hos Parisiensis maximi momenti erat, quippe qui nulli provinciae sed universo Ordini adscriptus erat. Istum ad tramitem Congregationis Mantuanae reformavit, ibique summam iurisdictionem exercuit, unde Generalis necnon capitulum generale in suis respective iuribus laesi sunt. Generalis ut sibi Ordinique consuleret mense Decembri 1503 ad visitationem generalem se accinxit incipiendo a provincia Narbonae ubi 20 Dec. visitavit conventum Balneolarum ac deinceps alios quamplurimos. Tandem 16 Februarii 1504 « visitavimus nostrum conventum Parisiensem in quo mansimus per menses quinque pro libertatibus Ordinis defendendis, et bis adivimus R.mum D. Legatum et misimus nuntios et nihil potuimus perficere ex quo appellavimus ad SS. D. N. Julium II et ad S. Sedem apostolicam ». Revera sub die 15 Maii 1504 obtinuit Breve apostolicum ut praedictum conventum ad pristinum statum reduceret et reformatores (auctoritate Legati et regis constitutos et S. Sedis confirmatos) revocaret. « Quid postea egerimus, Terrasse prosequitur, contra fratres Ludovicum de Lira et Jacobum Dassonville tamquam contumaces et rebelles et Summo Pontifici inobedientes et de

cum istud officio nostro incumbat, et etiam sit commissum per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam nobis; et interpretatio statutorum soli Generali pertineat; et vitia saepe numero sub specie virtutum occulte subintrent.

Item ordinamus, quod hi qui ad eundem Fratrem Ludovicum accesserunt sine licentia alicuius habentis iurisdictionem et auctoritatem in Ordine, ipso facto, nisi post tertiam Canonicam monitionem, (85-r) quam primo, 2°, 3° peremptorie per praesentes monemus (1) Pastorem, ut ipsis bene provideatur, sint excommunicati.

Item ordinamus, quod Mag. Prior Parisiensis Mag. Joannes Mercatoris per nos creatus, semper cum debita cerimonia, et regulari modo vivendi teneat et regat Conventum Parisiensem usque ad adventum nostrum; qui duce Deo intra duos menses futurus

---

iure excommunicatos constat per decreta nostra... Eodem modo processimus contra D. Ludovicum Pinella, Gaillardum Duste et Joannem Clarke assistentes commissarios super conventu Parisiensi quos simili modo per processum fulminatum auctoritate pontificia excommunicavimus quando non patebat tutus accessus pro executione Parisius ». De istis tribus nihil invenimus dicendum, attamen Jacobus Dissonville seu etiam Dessonville aliunde notus est. Fuit Yprensis, seu iuxta alios Gandensis, magister Parisiensis, ibique prior, 28 Febr. 1504 ab ipso Terrasse « post multas requisitiones et instantias habuit licentiam eundi ad conventum Yprensem in quo habitum sumpserat, praedicare Verbum Dei cum hoc quod redeat post Pascha infra quindenam ». Insuper fuit creatus vicarius generalis quousque manserit in dicto conventu cum omnimoda potestate. Item 3 April. 1509 Petrus de Beka prior Gandensis habuit facultatem rehabilitandi Jacobum Dassonville si eius reversio fuerit vera et non ficta. Postea iterum fuit prior Parisiensis a. 1516, denique Romae confessionarius Adriani VI ubi vita defunctus est a. 1523.

Cum vero Generalis Parisiis nihil proficeret reducendo conventum ad statum pristinum absolvit lectores et studentes, mittens eos in provincias et conventus suos uti de pluribus iam notavimus. Inde vero ansam praebuit Ludovico de Lira ad complete alienandum conventum Parisiensem ab Ordine et novellae Congregationi incorporandum sicut in sequentibus videre est.

(1) Aliqua desunt, quae ex M.s Petri Terrasse sic supplenda sunt: et monitos esse declaramus, nisi redierint tamquam oves errantes ad verum.

est; ubi vero Parisiis erimus, promittimus per praesentes omnia et singula facere circa Reformationem dicti Conventus, et aliorum totius Ordinis, quae Sanctitas Domini Nostri Papae per sua Brevia nobis commisit.

Item ordinamus de studio Tholosano, quod quicquid circa decus, honestatem et utilitatem illius Universitatis tangerit Conventum nostrum sic, quod attineat ad legentes in Universitate illa sententias; id totum remittimus Provinciali illius Provinciae, super hiis onerantes suam conscientiam.

Item ordinamus, quod singuli Provinciales nostri Sacri Ordinis possint, et valeant quilibet eorum deligere sibi Conventum in Provincia eis credita; qui Conventus tenebitur providere secundum facultatem Conventus.

Item reliquae Constitutiones ordinatae in praefato Capitulo, quarum originale habet R.mus M. Ordinis sunt per omnia ut in Capitulo Nemausi scriptae.

Capitulum Generale hinc ad sex annos celebrabitur in Conventu Aquensi Provinciae Provinciae.

(85-v) Haec est Tabula ordinata per Rev.mum M. Ordinis et R. Patres Diffinitores Capituli Generalis celebrati in Conventu Neapolitano (1) Anno D.ni millesimo quingentesimo decimo in die Sancto Penthecostes decimanona Mensis Maii, Praesidente eodem R.mo R. Generali Petro Terassa.

---

(1) Chronographus conventus Neapolitani haec habet: « Non essendo capace il convento per li vocali furono essi divisi in diversi alloggiamenti, cioè li Tedeschi in uno, li Veneziani in un altro, li Francesi in un altro, e li Piemontesi, e per supplire alla quantità della famiglia e forestieri si nota che il nostro convento si fe prestare un bronzo dalla coccina del Castello de Capuana stata coccina regia e si vede per esso libro dell'esito che si faceva tavola particolare per il Generale Maestro Pietro Terrasse che era il presidente del capitolo generale qual mangiava assieme con li provinciali, e finiscono le spese del capitolo al 2 de Giugno (incipiunt vero 28 Aprilis) benchè la partenza del Generale non si veda che alla fine di detto mese ».

SEQUUNTUR DIFFINITORES

Primus Diffinitor Ven. dus Mag. Franciscus de Manghò (1) Provincialis Siciliae.

Secundus Ven. M. Bartholomeus Arolla (2) Prov. Romanus.

3. V. M. Jacobus Ananth (3) Prov. Franciae.

4. V. M. Beda Astensis Prov. Lombardiae.

5. V. M. Guglielmus de Quadrivio (4) Prov. Aquitaniae.

6. V. M. Petrus Stagno Prov. Aragoniae.

7. V. M. Salvator Causimilia (5) Prov.lis Prov. Provinciae.

8. V. M. Angelus Andreae de Florentia Prov. Tusciae.

9. V. M. Bartholomeus Campagnola Prov. Venetiarum.

10. V. M. Joannes Fortis Prov. Alemaniae superioris.

11. V. M. Bernardus de Casa maiori Prov. Vasconiae.

12. Ven.lis Lector Frat. Gregorius Soborn (6) Pro.lis Boemiae.

13. Ven.dus M. Joannes de Sanctis (7) Prov.lis Neapolitanus.

14. V. M. Jo. Matheus de Rundinelis (8) Prov.lis Marchiae Anconitanae.

15. V. M. Julianus de Mirabellis (9) Prov.lis Apuliae.

---

(2) Franciscus de Mangho. Verum nomen fuit de Marigno. 16 April. 1506 fuit confirmatus provincialis Siciliae et factus vicarius generalis non tamen exemptus a iurisdictione vic. gen. per omnes provincias Italiae et procuratoris urbis. 14 Nov. 1507 confirmatus vicarius generalis. 1524 comes Nicolai Audet in visitatione Siciliae.

(3) Bartholomaeus Arolla. 10 Mart. 1506 videtur fuisse prior Neapolitanus, at 15 Jan. 1509 iam fuit provincialis Romae.

(4) Jacobus Ananth. Hanault. Supra 1492.

(5) Guglielmus de Quadrivio. Supra 1478.

(6) Salvator Causimilia. Supra 1488.

(7) Gregorius Soborn. In reg. Terrasse Schonborn. 26 Nov. 1505 prior conventus Posnaniensis cui affiliatur et absolvitur a conventu Gedanensi. 17 Julii 1506 confirmatur provincialis Bohemiae et fit vicarius generalis.

(8) Joannes de Sanctis. Supra 1492.

(9) Joannes Mathaeus de Rundinelis. In reg. Rondinellis. 14 Oct. 1506 fuit factus magister in s. theol. et confirmatus provincialis Anconitanae.

(10) Julianus de Mirabellis. De eorum numero quos Joh. de Signo studiis vacare fecit. 1480 conventualis Neapoli, 1483 subprior

16. Socius Terrae Sanctae Fr. Nicolaus de Cypro (1) Bacchalarius.

17. V. M. Joannes Uthim (2) socius Angliae Diffinitor.

18. V. M. Joannes Gebeolis socius Prov. Narbonae.

19. V. M. Henricus Pistoris (3) socius Prov. Alemaniae inferioris

20. V. M. Guglielmus Comba (4) primus Socius Prov.lis Tolosae.

21. V. M. Petrus Bonis (5) socius Prov.lis Cathaloniae.

22. V. M. Guglielmus Frumenti (6) socius Prov.lis Turoniae.

SEQUITUR INSTITUTIO PROVINCIALIUM

Provincialis Terrae Sanctae Ven.dus Mag. Joannes de Cypro (7). — Siciliae Ven.dus M. Franciscus de Mangho (8). — Angliae V. M. Robertus Love (9). — Narbonae V. M. Joannes Laurealis. (86-**r**) — Romanus V. M. Bartholomeus Arolla. — Fran-

---

ibidem, 1 Julii 1492 prior. 24 Aug. 1507 reservatur sibi cella in eodem conventu casu quod redierit ex Apulia.

(1) Nicolaus de Cypro. I. e. Audet, postea Generalis. 5 Maii 1510 ordinatus baccal. ad legendum Sentent. usque ad magisterium inclus. in universitate Parmensi. Testamentum eius, dat. Romae 6 Oct. 1560 et executioni mandatum 15 Mart. 1563 habetur Venetiis in archiviis publicis.

(2) Joannes Uthim. In reg. Huytin. 6. Nov. 1504 erat iam prior Cantabrigiae, 18 Febr. 1505 prior Norvici. 3 April. 1509 obtinuit litteras ut possit accipere beneficium vel ecclesiam et illis inservire habita prius licentia.

(3) Henricus Pistoris. Videtur idem qui a. 1503.

(4) Guglielmus Comba. Supra 1488.

(5) Petrus Bonis. 7 Aug. 1503 habuit licentiam legendi Sentent. usque ad magisterium inclus. in universitate Perpinianensi.

(6) Gulielmus Frumenti. Supra 1498.

(7) Joannes de Cypro. Supra 1498.

(8) Franciscus de Mangho. Supra.

(9) Robertus Love. Facundus, ait Balaeus, doctus, probus sed immitis et ferox. Fuit doctor Cantabrigiensis sed universitati Oxoniensi incorporatus. 6 Nov. 1504 vicarius generalis in conventu Londinensi. 25 April. 1505 in capitulo Conventriae habito praesente Generali fuit electus provincialis, 29 April eiusdem anni vicarius ge-

ciae V. M. Jacobus Anaauth (1). — Alemaniae inferioris V. M. Joannes de Nucia (2). — Lombardiae V. M. Beda Astensis. — Aquitaniae V. M. Guglielmus de Quadrivio (3). — Aragoniae V. M. Petrus Stagno. — Hiberniae remittitur R.mo M. Ordinis. — Prov. Provinciae V. M. Salvator Causimilia (4). — Scotiae Ven.lis Fr. Andreas Pastoris (5). — Tusciae Ven.dus M. Angelus Andreae de Florentia. — Venetiarum V. M. Bartholomeus Campagnola. — Tholosae V. M. Joannes de Fabro. — Cathaloniae V. M. Guglielmus Tholosani. — Alamaniae superioris V. M. Joannes Fortis. — Vasconiae V. M. Bernardus de Casa maiori. — Turoniae V. M. Guglielmus Ghiremel (6). — Saxoniae Ven.lis Bacchalarius Fr. Joannes Campis. — Castellae Ven.lis Fr. Ferdinandus Lupi (7). — Bethicae Ven.lis Bacchalarius Fr. Luchas de S. Vincentio. — Portugalliae remittitur R.mo M. Ordinis. — Polloniae sive Bohemiae Ven.lis Bacchalarius Fr. Gregorius Schonborn (8). — Neapolitanus Ven.dus M. Joannes de Sanctis. — Marchiae Anconitanae V. M. Jo. Matheus de Rundinelis. — Apuliae V. M. Apollonius Brixiensis (9). — Daciae V. M. Andreas Christiani.

DE PROCURATORE IN CURIA ROMANA

Procurator Ordinis in Curia Romana Ven.dus Mag. Bernardinus de Senis.

---

neralis usque ad capitulum generale. Cessit officio provincialatus post novem annos, obiit Norvici 1517.

(1) Jacobus Anaauth. Terrasse habet Hannaut. Supra 1492 Hanault.

(2) Joannes de Nucia. Joh. Virici de Nussia.

(3) Guglielmus de Quadrivio. Terrasse habet Cadrivio. Supra 1478.

(4) Salvator Causimilia. Supra 1488.

(5) Andreas Pastoris. Verum nomen istius religiosi fuit Storour; fuit prior Aberdonensis a. 1498, iterum 1500 usque 1509, provincialis 1509 (22 Jan. 1510 confirmatus) usque 19 forte adhuc pluribus annis.

(6) Guglielmus Ghiremel. Terrasse habet Guinell. Supra 1478 Guisnelli et Guesnel.

(7) Ferdinandus Lupi. 31 Aug. 1509 fuit confirmatus provincialis; adhuc in eo officio a. 1530 in documentis Abulensibus ubi Hernando Lopez audit.

(8) Gregorius Schonborn. Supra.

(9) Apollonius Brixiensis. Supra 1492.

De Priore Romano providebit R.mus Pater Ordinis.

DE PRIORE PARISIENSI

Providebit R.mus Pater Ordinis; promisit tamen Patribus Diffinitoribus, et simul diffinivit cum ipsis quod non providebit de Priore nisi de Conventu reformato.

R.mus Pater Ordinis elegit sibi in socios V. M. Bartholomeum (1) Provincialem Romanum, et V. M. Stephanum de Bassignana (2).

(86-v) De Taxa ordinaria. Est taxatum pro R.mo Patre Ordinis, prout in aliis Capitulis taxari est consuetum.

SEQUITUR ORDINATIO PROMOTORUM

In Universitate Parisiensi nulli promoventur, donec terminata sit causa Conventus Parisiensis, sed illo recuperato diffinierunt Patres Diffinitores, quod promoveat Pater Ordinis singulis Provincialibus requirentibus pro Provinciis eis commissis.

IN STUDIO THOLOSANO

Pro anno millesimo quingentesimo decimo, ad legendum sententias et alios Actus scholasticos faciendos usque ad Magisterium inclusive, dispensando secum super lecturam Bibliae, Fr. Joannes Bonaldi (3) Prov. Aquitaniae.

Item eodem anno ad legendum Bibliam, sententias, et alios actus scholasticos faciendos usque ad Magisterium inclusive Fr. Joannes Martini Prov. Narbonae.

Item pro 2° anno ad legendum Bibliam, et alios actus ut supra, ordinarie Fr. Joannes Scoteti Prov. Turoniae.

Item pro 3° anno ad legendum Bibliam, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Jodochus Strellen (4) Prov. Alamaniae Superioris.

---

(1) Bartholomaeus I. e. Arollà.

(2) Stephanus de Bassignana. Supra 1478.

(3) Joannes Bonaldi. Supra 1498.

(4) Jodocus Strellen. Verum nomen fuit Stroelin, de Esslinga. A. 1510 destinatur ad studium Tolosanum, 1513 est baccalaureus et lector Esslingae, 17 item Augustae, 19 iterum Esslingae. Deinceps non memoratur,

Item pro 4° anno ad legendum Bibliam et alios actus ut supra ordinarie Fr. Robertus Bentelloni Prov. Aquitaniae.

Item pro 5° anno ad legendum Bibliam et alios actus ut supra ordinarie Fr. Petrus Boloch Prov. Tholosae.

Item pro 6° anno ad legendum Bibliam et alios actus ut supra ordinarie Fr. Patiens Astensis Prov. Lombardiae.

Item pro eodem anno extraordinarie Fr. Angelus Astensis eiusdem Provinciae.

IN EODEM STUDIO EXTRAORDINARIE.

Fr. Raymundus Godonis Prov. Aquitaniae ad legend. sententias pro 1° anno.

Item Fr. Joannis Sartoris Prov. Tolosae pro secundo anno.

PRO SIMPLICI PORMA IN EODEM STUDIO.

Fr. Vincentius Penardi Prov. Provinciae.

Fr. Claudius Gonardi eiusdem Provinciae.

Fr. Joannes Frus i. e. Rana (1) Prov. Alamaniae Superioris.

Fr. Michael Martini Prov. Narbonae.

Fr. Joannes Beltrandi eiusdem Pravinciae.

Pro conservatione studii dictae Universitatis, ordinatum fuit, quod studentes diebus ferialibus tantum interesse tenentur Missae et Completorio; diebus festivis omnibus Divinis: et ordinavimus quod dicti studentes, quando voluerint audire aliquas lectiones Juris Canonici, possint ire ad Collegia. De Regente, et Priore committimus Ven. Mag. Provinciali, suam onerando conscientiam ut saluti, honestati, et utilitati Conventus Tholosani provideat.

(87-r) BONONIAE.

Ad legendum sententias, et alios Actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad Magisterium inclusive Fr. Joannes Blasius de Placia Prov. Siciliae.

---

(1) Joannes Frus i. e. Rana. Verum nomen Jon. Frosch. Fuit studens Erfordiae a. 1505, Tolosae 1510, bacal. Erfordiae 13: sequenti anno lector Bambergae, 17 licentiatus et quartus diffin., 19 magister in theol. et prior Augustae sicut etiam 1522. Deinceps acta de eo tacent.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Augustinus de Rogoredo (1) Prov. Venetiarum.

Pro simplici forma. — Fr. Antonius Ceretana Provinciae Siciliae.

FLORENTIAE.

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Gabriel Laureli (2) Prov. Tusciae pro 1° anno.

Item ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Paulus Granghi (3) eiusdem Prov. pro 2° anno.

Pro simplici forma. — Fr. Raphael Leonardi (4).

Fr. Simon de Florentiae (5) ambo de Provincia Tusciae.

---

(1) Augustinus de Rogoredo. Vere de Roveredo. 2 Aug. 1504 translatus a conventu Parisiensi ubi studiis vacavit ad Pictaviensem.

(2) Gabriel Laureli. Scriptor videtur errasse cum nullus huiusce nominis habeatur in actis provinciae Tusciae. Agitur, in quantum iudicare licet, de Gabriele Aureli seu Aureoli de Mantua, provinciae Tusciae qui a. 1502 fuit studens Florentiae, 1504 subprior, magister novitiorum et studens ibidem, 1506 item subprior, eodem anno in visitatione Generali fuit constitutus lector in theol. 1508 lector Pistorii, 1510 sententiarius et subprior ibidem, 1513 baccalaureus, secundus diffin. 1517 subprior Senis et 1520 magister et regens Senis. Amplius non memoratur.

(3) Paulus Granghi. Ni fallor agitur hic de Paulo Francisci de quo sequentia constant: 1499 fuit studens Florentiae, 1504 item Bononiae cum taxa, 1506 item Perusii cum taxatione consueta aliis studentibus dari solita, 1508 Perusii vel Bononiae si locum habere poterit; 1511 socius prioris Florentiae, quartus diffin. iam baccalaureus factus, 1513 prior Aretii, quod officium tenuit per duodecim annos, interim bis diffinitor in capitulis, 1526 prior Florentiae atque iterum 1533 quo anno obiit 8 Sept. « vir bonae vitae ».

(4) Raphael Leonardi. De Catastanis. 1508 studens in artibus Florentiae, 1510 Pistorii, 1511 Perusiae, 1512 magister studentium Senis, 1513 Sententiarius, iam baccalaureus, 1515 regens Pisis cum stipendio 3 ducatorum ultra consuetam taxationem studentium, item praedicator, 1516 prior et regens Pisis iam magister, similiter duobus sequentibus annis, 1519 prior Florentiae, 1520 unanimiter in provincialem electus remansit in officio usque 1525. Obiit Florentiae 16 Aug. 1527 maximi encomii dignus.

(5) Simon de Florentia. Videtur is fuisse Simon Joannis de Flo-

IN UNIVERSITATE MONTIS PESSULANI.

Ven. Lector Fr. Antonius Gagnion (1), ad legendum sententias et alios actus scholasticos ordinarie faciendum, usque ad Magisterium inclusive pro 1° anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie faciendum Fr. Leo Condomina pro 2° anno.

Ad legendum sententias et alios actus ut supra ordinarie faciendum Fr. Michael de Turre pro 3° anno.

Ad legendum sententias et alios actus ut supra ordinarie faciendum Fr. Joannes Natalis (2) pro 4° anno.

Ad legendum sententias et alios actus ordinarie faciendum ut supra Fr. Stephanus Vaneri pro 5° anno (3).

Ad legendum sententias et alios actus ut supra ordinarie faciendum Fr. Antonius Andreae (4) pro 6° anno, omnes de Provincia Narbonae.

IN UNIVERSITATE AVINIONENSI

Ven.lis Bacchalarius formatus Fr. Joannes Fabri (5) Prov. Franciae, ad suscipiendum insignia Magistralia, habita prius dispensatione super iuramento praestito in alia Universitate.

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad Magisterium inclusive, pro primo anno Fr. Bernardus de Ribes Prov. Aragoniae.

---

rentia, qui a. 1508 fuit studens in artibus Florentiae, 10 item Pistorii, 11 item Perusii, deinde Florentiae et Senis, 17 subprior Pisis, 18 baccal. et prior S. Georgii, 19-22 prior Prati, 24 magister et praedicator Florentiae, 25 prior Florentiae et regens, et praedicator Montis Catini, 26 diffin. Obiit Florentiae 13 Aug. 1527 peste extinctus.

(1) Antonius Gagnion. Supra 1503 Antonius Gaignon.

(2) Joannes Natalis. Supra 1503.

(3) Stephanus Vaneri. Terrasse habet Vanneri.

(4) Antonius Andreae. 1514 prior Lunelensis.

(5) Joannes Fabri. A. 1504 lector regens Monsteroli. Eodem anno alius eiusdem nominis, lector Paris. fuit promotus ad Sentent. Bituricis pro 1507.

IN STUDIO PERPINIANENSI

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad Magisterium inclusive Fr. Franciscus Pla pro 2° anno Prov. Cathaloniae.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra faciendum ordinarie Frater Franciscus del Mort pro 2° anno Provinciae Aragoniae.

IN STUDIO COLONIENSI PRO SIMPLICI FORMA

Fr. Jacobus Nanterini. — Fr. Claudius Bernardi (1), ambo de Provincia Provinciae.

(87-v) IN STUDIO ILERDAE

Ad legendum sententias, et alios actus faciendum ordinarie usque ad Magisterium inclusive Fr. Sancius Ortis Prov. Aragoniae.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Didacus Sanches pro primo anno eiusdem Provinciae.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Burgus pro 2° anno eiusdem Provinciae.

IN UNIVERSITATE BYTHURICENSI

Ad legendum sententias, et alios actus faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Tholosanus Pupin pro primo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie faciendum Fr. Petrus Cerneri pro 2° anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie faciendum Fr. Jacobus Ghryama pro 3° anno.

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie ut supra Fr. Natalis Bugle pro quarto anno, omnes Provinciae Franciae.

Ad accipiendum insignia Magistralia in dicta Universitate

---

(1) Claudius Bernardi. A. 1537 in conventu Avinionensi, doctor theol.

Fr. Joannes Steveneth (1) Sacrae Theologiae Bacchalarius formatus Prov. eiusdem.

IN UNIVERSITATE CADOMENSI

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Fiachrius Cadomensis pro primo anno Provinciae Franciae.

IN UNIVERSITATE VIENNAE

Ad legendum Bibliam et sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Crysostomus Roxinus (2) Prov. Alamaniae superioris, pro primo anno.

IN UNIVERSITATE CATHURCI

Ad accipiendum insignia magistralia in dicta Universitate, habita prius dispensatione iuramenti super Universitate in qua legit Fr. Guglielmus Preverandi (3) Prov. Aquitaniae.

IN UNIVERSITATE BURDUGALENSI

Sunt quinque vel sex promovendi, omnes de Provincia Vasconiae. Et quia Mag. Prov. dictae provinciae ignorat nomina eorum, concessimus sibi auctoritatem nostram super promotione quinque vel sex dictorum Fratrum, suam super hoc onerando conscientiam, et reservatis iuribus nostris.

---

(1) Joannes Steveneth. Supra 1498 Estevenart.

(2) Crysostomus Roxinus. Fuit iste Chrysostomns Roeslein. A. 1502 fuit studens in gramm. logica et artibus Viennae, 1505 ibid. physicae, 1508 quartus informator Viennae qui etiam adepto magisterio (scil. in artibus) lectiones audiat theologicas. 1515 mag. studentium Viennae, 14 lector et informator Augustae sicut etiam 19, tandem 24 prior ibidem. Cum acta capitulorum desinant a. 1529, cetera de isto religioso ignorantur.

(3) Guglielmus Preverandi. Supra 1492 Pimirandi.

IN STUDIO PAPIENSI PRO SIMPLICI FORMA

Fr. Pontius de Tagliaco Provinciae Provinciae. — Fr. Philippus Iuncta Prov. Siciliae. — Fr. Angelus de Capua Prov. Neapolitanae. — Fr. Albertus de Capua (1) eiusdem Prov.

IN STUDIO NEAPOLITANO PRO SIMPLICI FORMA

Fr. Nicolaus Cavalutius Provinciae Siciliae.

(88-r) IN UNIVERSITATE NANETENSI

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Jacobus Jesecalon pro primo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus, ut supra faciendum ordinarie Fr. Franciscus Magni pro secundo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus, ut supra ordinarie Fr. Oliverius Masonis pro tertio anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Martini pro quarto anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Bonabius pro quinto anno.

Item eodem anno Fr. Guglielmus Poponens.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Oliverius Strethons pro sexto anno.

Item eodem anno Fr. Franciscus Heil. Item eodem anno Fr. Franciscus Perel omnes de Prov. Turoniae.

IN UNIVERSITATE PICTAVENSI

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Carolus Heberth pro primo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Martinus Ghilberti pro secundo anno.

---

(1) Albertus de Capua. In reg. Angelus et Albertus de Capua fuerunt ordinati studentes in logicalibus et physicalibus in conventu Papiae hinc ad tres annos.

Item eodem anno ad legendum ordinarie ut supra Frater Matheus Walrant de Prov. Franciae.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Guido Machon pro tertio anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Thomas Militis pro quarto anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Sanygean (1) pro quinto anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Vincentius Egrel pro sexto anno.

Ad legendum sententias et alios actus ut supra faciendum ordinarie Fr. Helias Bordeus pro septimo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Pretersegla pro octavo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Petrus Borbonesi. — Item Fr. Helias de Podio Prov. Aquitaniae pro primo anno.

Ad accipiendum insignia magistralia in dicta Universitate Mag. Martinus Phocenth, et Mag. Ludovicus Benedicti, omnes de Provincia Turoniae.

IN UNIVERSITATE ANDAGAVENSI

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad magisterium inclusive Fr. Andreas Foularth pro primo anno.

Ad legendum sententias et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Mescastrorum pro secundo anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Bernardus Cati pro tertio anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Sencier (2) pro quarto anno.

---

(1) Joannes Sanygean. St. Jean?

(2) Joannes Sencier. Melius Sanxier. Infra tres annos fuit novitius, professus, presbyter, doctor (nempe Pictaviensis) et prior Andegavensis. Postea episcopus Hebronensis et suffraganeus episcopi Andegavensis et archiepiscopi Lugdunensis. Varia scripsit. Ita Balaeus. Alibi tamen ait eum suffraganeum Turonensem, non vero Lugdunensem, fuisse.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Joannes Boni pro quinto anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Carolus Hacquin pro sexto anno.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Julianus Robin pro septimo anno omnes de Prov. Turoniae.

(88-v) IN UNIVERSITATE LOVANIENSI

Ad legendum sententias, et alios actus scholasticos faciendum ordinarie usque ad Magisterium inclusive Fr. Guarandus Cuculli (1) pro anno 2° Prov. Franciae.

Ad legendum sententias, et alios actus ut supra ordinarie Fr. Quintinus a Sanessema eiusdem Prov. pro 4° anno.

IN STUDIO PERUSINO PRO SIMPLICI FORMA

Fr. Zenobius Onofrii (2) Provinciae Tusciae.

Item declaramus, quod conventus Iunzassi erit amodo de Prov. Vasconiae; nec volumus Provinciam Aquitaniae habere aliquod ius in dicto conventu, propter causas assignatas in hoc Diffinitorio.

Item ordinamus, de unanimi assensu Ven.dorum Mag.rorum Diffinitorum, quod quilibet Provincialis in sua Prov. habeat ordinare, et deligere Provinciae unum Magistrum Doctorem legentem in aliqua Universitate suae Provinciae; vel si sint plures, in qualibet Universitate unum: et si non sunt Magistri, deligant Bacchalarios, vel alios Fratres doctos, vel ad hoc sufficientes; et si in dicta Provincia non fuerint reperti neque Doctores, neque Bacchalarii, neque sufficientes Religiosi ad id faciendum, deligant sibi viros aliarum Provinciarum, quibus teneantur providere de

---

(1) Guarandus Cuculli. Infra 1513 Valrandus.

(2) Zenobius Onofrii. Videtur is fuisse Zenobius Gabrielis qui a. 1511 studens fuit Perusiis, 16 iam magister regens Florentiae et praedicator, 17 socius prioris Senarum et tertius diffin. Decreverunt ei dari 3 scuta in fine anni pro suo expleto studio; 20 tertius diffin. et regens Florentiae, 22 quartus diffin. Sequenti anno 27 Iunii obiit Florentiae peste extinctus.

expensis, secundum quod videbitur Provinciali, et saniori parti expedire: et mandamus Provincialibus hoc mandari executioni, sub poena depositionis, et Diffinitorum Capitulorum Provincialium, sub poena excommunicationis.

Item ordinamus quod de Sancto Ianuario Episcopo et Martyre fiat officium IX lectionum per totum Ordinem decima nona mensis Septembris.

Item ordinamus, quod omnia suffragia consueta, hoc est de Resurrectione, de Domina, de Sancta Anna, de Angelis, et reliquis dicantur summissa voce, tam in Matutinis quam in Vesperis, post officium parvum Beatae Mariae Virginis (1); et post magnum Officium nulla fiat memoria nisi de Sancto precedente, vel sequente.

Item ordinamus, quod Fratres Vigor (2) et Robertus Tabernarii Prov. Franciae sint exules ex Decreto totius Diffinitorii a dicta Provincia Franciae perpetuo, quia fabricaverunt Monetam falsam, nisi cum ipsis fuerit ordinatum aliter per Generale Capitulum futurum.

Item declaramus Apostatam et exulem perpetuo a Prov. Turoniae Fratrem Franciscum de Boscho (3) Conventus Nanatensis, et Nicolaum Franci Conventus Andagavensis, et Matheum Arduin Conventus Turonensis, propter sua enormia scandala.

Item declaramus Apostatam Mag.rum Joannem Vectoris Provinciae Franciae, Conventus Rothomagensis, propter latrocinium quod commisit, et fugam quam fecit in Conventu Iunzassi Prov. Vasconiae.

Item ordinamus, quod Opera Bachonis, et Michaelis de Bononia super 4.or Libris Sententiarum impressa Mediolani, mandato R.mi Patris Ordinis, et impensa Mag.ri Stephani de Bassignana (4) distribuantur per totum Ordinem; quod tam Conventus omnes quam Graduati dent pretium Librorum, secundum ordinationem Rever.mi Patris Ordinis.

Diffinitores retinuerunt sibi auctoritatem per octo dies.

---

(1) Ita adhuc apud Dominicanos. Non videtur autem executioni mandatum, saltem non per longum tempus.

(2) Vigor Tabernarii. Supra 1492.

(3) Francischus de Boscho. Supra 1498 Voscho.

(4) Stephanus de Bassignana. Steph. Gorgonius de Bassignana.

Capitulum Generale hinc ad sex Annos celebrabitur in Conventu Barchinonae. *(Folium 89 - r. vacat).*

(89-v) IE MARIA SUS

Haec sunt Acta Capituli Generalis Celebrati Romae in Conventu Sancti Martini Provinciae Romanae, Praesidente R.mo ac Ill.mo D. Sigismundo de Gonzaga totius Ordinis Protectore dignissimo, Auctoritate Apostolica eidem per Breve collata Anno Domini 1513 die 22 Maii in Vigilia Sanctae Trinitatis.

In primis quantum ad electionem R.mi Generalis. R.dus Mag. Bernardinus de Senis Vicarius Generalis elegit in priorem Generalem R.dum Mag.rum Baptistam de Mantua (1). R. Prov. Terrae Sanctae elegit eundem. R. Prov. Siciliae elegit eundem. R. Prov. Lombardiae elegit eundem. R. Prov. Thusciae eundem R. Prov. Venetiarum elegit eundem. R. Prov. Alamaniae super. elegit eundem. R. Prov. Neapolitanus elegit eundem. R. Prov. Marchiae Anchonitanae elegit eundem. R. Prov. Hyberniae supervenit, et ratum ac gratum habuit quod factum erat.

Quoad Socios. — Venerabilis Socius Terrae Sanctae elegit eundem. Vener. Socius primus Siciliae elegit eundem. Vener. Socius secundus Siciliae elegit eundem. Vener. Socius, Angliae elegit eundem. Vener. Socius primus Provinciae Romanae elegit eundem. Vener. Socius secundus eiusdem Provinciae elegit eundem. Vener. Socius primus Alamaniae Inferioris elegit eundem. Vener. Socius secundus eiusdem Provinciae elegit eundem. Vener. Socius Provinciae Lombardiae elegit eundem. Vener. Socius Provinciae Tusciae elegit eundem. Vener. Socius Provinciae Venetiarum elegit eundem. Vener. Socius Provinciae Alemaniae Superioris elegit eundem. Vener. Socius primus Provinciae Saxoniae elegit eundem. Vener. Socius secundus eiusdem Provinciae elegit eundem. Vener. Socius primus Provinciae Neapolitanae elegit eundem. Vener. Socius secundus eiusdem Provinciae elegit eundem. Vener. Socius primus Provinciae Poloniae elegit R.dum Mag.rum Bernardinum de Senis. Vener. Socius secundus eiusdem Provinciae elegit eundem. Vener. Socius Provinciae Portugaliae elegit R.dum Mag.rum Baptistam de Mantua. Vener. Socius Provinciae Daciae

(1) Beatus Baptista Spagnoli.

elegit eundem. Ven. Socius Prov. Marchiae Anchonitanae elegit eundem.

Et sic remansit electus in Priorem Generalem R. M. Baptista de Mantua. (90-r.) Et quia praedictus R.dus Magister Baptista de Mantua erat absens: ideo R.mus ac Ill.mus Dominus Protector auctoritate Apostolica sibi in Brevi collata instituit Praesidentem in Capitulo R.dum Mag.rum Bernardinum de Senis, et Vicarium Generalem.

Quoad diffinitores. Primus Diffinitor R. Provincialis Terrae Sanctae. Secundus Diffinitor Socius Provinciae Siciliae. Tertius Diffinitor Socius Provinciae Angliae. Quartus Diffinitor Socius Provinciae Romanae. Quintus Diffinitor Socius Alemaniae Inferioris. Sextus Diffinitor Socius Provinciae Lombardiae. Septimus Diffinitor Socius Provinciae Thusciae. Octavus Diffinitor Socius Provinciae Venetiarum. Nonus Diffinitor Socius Provinciae Alemaniae Superioris. Decimus Diffinitor Socius Provinciae Poloniae. Undecimus Diffinitor Socius Provinciae Saxoniae. Duodecimus Diffinitor R.dus Mag. Provincialis Provinciae Neapolitanae. Tertius decimus Diffinitor Socius Provinciae Portugalliae. Quartus decimus Diffinitor Socius Provinciae Daciae. Quintus decimus Diffinitor Socius Provinciae Marchiae Anchonitanae.

Quoad Auditores Causarum. Constituerunt unanimiter et concorditer Auditores Causarum R. M. Provincialem Siciliae. R. M. Provincialem Thusciae. R. M. Provincialem Venetiarum. R. M. Provincialem Marchiae Anchonitanae.

Quoad Institutiones Provincialium. In primis instituerunt Provincialem Terrae Sanctae R. M. Joannem de Cypro (1). Provinciae Siciliae R. M. Franciscum Mangum (2). Provinciae Angliae Venerabilem Bachalarium F.rem Ricardum Feriss (3). Provinciae Narbonae (4) confirmaverunt illum. Pro.ae Romanae R. M. Bernardinum de Senis. Pro.ae Franciae (5) R. M. Joannem

(1) Joannes de Cipro. Supra 1498.

(2) Franciscus Mangus. Supra 1510.

(3) Ricardus Feriss. Ferris, a. 1504 baccal. deinde magister Oxoniensis, electus provincialis Oxoniae 1513, obiit ibidem 9 Martii 1516. Secundum Balaeum bonae figurae sed indoctus et in provincialatu iners.

(4) Narbonae. I. e. Joh. Laurealis.

(5) Franciae. In reg. habetur Jacobus Hannaut. Alemanniae infer. Viricum de Nussia.

Viricum de Nusia. Pro.ae Lombardiae R. M. Bedam Astensem. Pro.ae Aquitaniae R. M. Gulielmum de Cadrivio (1). Pro.ae Aragoniae R. M. Petrum Stagna. Pro.ae Hyberniae R. M. Gulielmum Carun (2). Pro.ae Provinciae R. M. Salvatorem Causimilia (3). (90-v.) Pro.ae Scotiae reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis. Pro.ae Thusciae R. M. Angelum Andreae de Florentia. Pro.ae Venetiarum R. M. Bartholomeum Campagnolam. Pro.ae Tholosae (4) reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis, quia nemo Diffinitorum eum novit. Pro.ae Cathaloniae R. M. Gulielmum Tholosani. Pro.ae Alamaniae Superioris R. M. Joannem Fortis. Pro.ae Vasconiae R. M. Bernardum de Casa maiori (5). Pro.ae Thuroniae R. M. Gulielmum Formentis (6). Pro.ae Saxoniae R. M. Joannem Campis. Pro.ae Castellae Ven.lem Religiosum F.rem Ferdinandum Lupi. Pro.ae Bethicae Ven.lem Bachalarium F.rem Lucam de Sancto Vincentio. Provincialis Pro.ae Portugaliae renunciavit officium in manibus Diffinitorum. Qui Patres Diffinitores acceptaverunt dictam renunciationem, et ordinaverunt quod Provincia congregetur, et eligat Provincialem, et postea mittat pro confirmatione. Pro.ae Poloniae et Boemiae Ven.lem Bachalarium Sconbron (7). Pro.ae Neapolitanae R. M. Nicolaum Trotum (8). Pro.ae Marchae Anchonitanae R. M. Jo. Mat-

(1) Gulielmus de Cadrivio. Supra 1478.

(2) Gulielmus Carun. Melius Carew: 3 Nov. 1504 habetur sequens notitia quae probabiliter ad eum spectat: Baccal. Wilhelmus Canor fuit rehabilitatus ab omni irregularitate et excommunicationis sententia si quam forte incurrerat contra mandatum provincialis Hiberniae. Deinde 10 Dec. Baccal. Wilh. Carwe prov. Hibern. fuit factus vicarius et visitator generalis in prov. Hib. Item habuit licentiam accipiendi insignia magistralia in conventu Oxoniarum. 18 Oct. 1505 W. Carew fuit absolutus a dicto vicariatu et Cornelius Conayll confirmatus provincialis et factus vicar. gen.lis usque ad prox. generale capitulum. 24 April. 1509 Carew fuit confirmatus in provincialem et vicar. gen.lem et fuit rehabilitatus ante confirmationem. Conayll absolutus ab officio.

(3) Salvator Causimilia. Supra 1488.

(4) Tolosae. Nominatus fuit Gulielmus de Cumba (Lacombe).

(5) Bernardinus de Casamaiori. Supra 1492.

(6) Gulielmus Formentis. Supra 1498 Frumenti.

(7) (Gregorius) Sconbron. Supra 1510.

(8) Nicolaus Trotus. Nicolò Trotti fuit electus a. 1511.

heum de Rondinellis. Pro.ae Apuliae R. M. Baldasarum (1) Neapolitanum. Pro.ae Daciae R. M. Andream Cristiani.

Quoad Procuratorem totius Ordinis. Ordinaverunt, et elegerunt in Procuratorem totius Ordinis in Romana Curia R. M. Bernardinum de Senis.

Quo ad Priorem Conventus Parisii. Ordinaverunt, quod Reverendissimus Pater Generalis de tali Priore provideat.

Quo ad Priorem Romanae Curiae. Ordinaverunt, quod Reverendissimus Pater Generalis etiam de tali Priore provideat.

Quo ad Taxam ordinariam. Taxaverunt omnes Provincias pro ut in aliis Capitulis taxatae fuerunt.

Quo ad ordinationes Promotorum. In Universitate Parisiensi reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis. In Studio Tolosano simili modo. In Studio Lovanensi promoverunt ad legendum Bibliam et Sententias usque ad Gradum Magisterii inclusive pro anno 1513 F.rem Joannem Robinis (2) dummodo stet sub obedientia Regentis. Item promoverunt in eadem Universitate et ad similem lecturam pro eodem anno Fratrem Luvisium Multoris. Item promoverunt pro eodem anno ad similem lecturam in eadem Universitate Fratrem Franciscum Moenem.

IN STUDIO PAPIENSI

Promoverunt ad legendas Sententias pro anno 1514 Fratrem Angelum Astensem usque ad Gradum Magisterii inclusive. (91-**r.**) Item promoverunt ad studendum in dicto Studio Fr. Marchum de Padua.

IN STUDIO BONONIENSI

Promoverunt ad studendum Bononiae Fr. Albertum Capuanum (3), et Fratrem Angelum de Caserta.

---

(1) Baldasar. Balthasar de Neapoli fuit missus studens in physicalibus et theologicalibus in conventu Papiensi usque ad nostram revocationem. 21 April. 1506.

(2) Joannes Robinis. Joannes Robyn fuit ordinatus studens pro simplici forma in studio Lovaniarum usque ad tres annos proximos. 9 Julii 1505.

(3) Albertus Capuanus. Supra 1510.

IN STUDIO BITURICENSI

Promoverunt ad legendum Bibliam et Sententias pro anno 1513 Ven.lem Lectorem Fr. Varlandum Cuculi (1). Item pro eodem anno in eadem Universitate, et ad similem lecturam promoverunt Fr. Egidium Fies. Item promoverunt in eadem Universitate pro anno 16 ad similem lecturam F.rem Adam Lancier (2).

IN UNIVERSITATE CADOMENSI

Concesserunt licentiam Venerando Bachalario formato Fratri Fraccuis Gerin, quod possit suscipere insignia Magistralia in dicta Universitate.

Item promoverunt in eadem Universitate ad lecturam Bibliae et Sententiarum pro anno 1514 F.rem Joannem Scoth (3). Item promoverunt in eadem Universitate, et ad similem lecturam pro anno 16. F.rem Joannem Cadomensem (4). Item promoverunt Ven.lem Priorem Viennensem ad suscipiendum Gradum Magisterii in unaquaque Universitate.

QUO AD STATUTA ET CONSTITUTIONES

Ordinaverunt, quod Constitutiones et Statuta facta in Capitulo praecedenti, et in aliis Capitulis Generalibus inviolabiliter observentur. Item ordinaverunt, imo verius innovaverunt illam veterem Constitutionem, quae est de recurrentibus ad Principes, seu alios quoscumque saeculares Viros. Quod si qui ex nostris Fratribus ad illos confugerint, ipsaque Ordinis secreta panderint, seu maiores suos diffamaverint, carceri mancipentur, et suis bonis omnibus priventur ipso facto; nec cum eis dispensari possit, nisi per R.dum Patrem Generalem, vel per Generale Capitulum.

Item ordinaverunt ex relatione et determinatione Auditorum Causarum, quod Prov.lis Alamaniae Superioris reddat Computum

---

(3) Varlandus Cuculi. Reg. habet Valrandus. Vide supra 1510.

(4) Adam Lancier. In reg. anni 1504 Adam Lonchier fuit promotus pro simplici forma ad studium Parisiense.

(5) Joannes Scoth. Obiit Attrebati ante 1526.

(4) Joannes Cadomensis. Reg. habet Marcus Cadomensis.

de Conventu Augustae in Congregatione proxime futura coram Diffinitoribus facienda in Conventu Neurubergensi in ostensione Reliquiarum ibidem, et quod Prior Conventus Augustae debeat interesse ad dicenda facta Conventus.

Item ordinaverunt, quod Magister Gulielmus Cornayll cogatur solvere Ducatos quadraginta, de quibus facta est mentio in Litteris olim Generalis praeteriti, et quod puniatur pro inobedientia sua, et de male factis per ipsum, et quod teneatur satisfacere pro damnis datis quibuscumque.

Item ordinaverunt, quod solutiones factae Mag.ro Generali olim Petro Terrasse per R.dum Mag. Gulielmum Carun (1) pro Provincia Hiberniae, quod dicta Provincia teneatur sibi satisfacere.

(91-v.) Item ordinaverunt, quod nulla Provincia, Conventus, et Fratres possint gravari ad emendum Libros impressos, videlicet Joh. de Bachone et Mag.rum Michaelem de Bononia. Haec tamen ordinatio, dum essemus coram R.mo D.no Protectore, voluit ipse ut haec reponeretur in pectore R.mi Patris Generalis.

Item ordinaverunt, quod R.mus Pater Generalis in Visitatione sua determinet litem de Calice relicto Conventui Venetiarum.

Item ordinaverunt, quod Fr. Antonius Jarratassa (2) Siculus sit filius Conventus Moach., et dictus Conventus teneatur sibi satisfacere de toto tempore quo fuit in studio; et quod Litterae Generalis praeteriti quo ad filiationem suam sint validae; imo illas innovaverunt et confirmaverunt.

Item ordinaverunt, quod Fr. Albertus de Garlasco sit exul a Conventu Mediolani et carceri mancipetur ad minus per mensem.

Item deposuerunt Mag.rum Apolonium de Brixia ab officio Provincialatus Provinciae Apuliae.

Item ordinaverunt, quod Fratres venientes ad Capitulum Generale portent secum Cappas albas; et hoc sub poena gravioris culpae; vel secundum quod placuerit R.mo Patri Generali.

Item hortantur R.mum Patrem Generalem, quod conformet se nobiscum in habitu nigro (3).

Item ordinaverunt, quod nullus Prior, vel Frater possit habi-

---

(1) Gulielmus Carun. Supra Carew.

(2) Antonius Jarratassa. Infra 1548 Tarasassa. 1524 Taràtasia.

(3) Congregatio Mantuana habebat tunicas *griseas*, *ferrugineas vel saltem ad nigredinem tendentes*. (Constitutiones).

tare in Camera quae habet introitum in ecclesia, propter scandala evitanda, sed teneatur pro Sacristia.

Item ordinaverunt, quod reditus Domorum, quae fuerunt erectae ex pecuniis Religionis, exigantur per Provincialem, vel per aliquem ab ipso, vel a R.mo Patre Generali deputatum, et quod exponantur pro fabrica Ecclesiae, vel Conventus, et non possint in alios usus converti; et teneatur singulis annis in Capitulo Provinciali reddere Computum Diffinitoribus de introitu et exitu.

Item ordinaverunt, quod gratiae concessae F.ri Bartholomeo Leonzle (1) in Capitulo Generali Neapolitano confirmentur.

Item ordinaverunt, quod in eodem Conventu non sit ibi diversitas habitus.

Item ordinaverunt Studia fieri in qualibet Provincia, et maxime in Conventibus qui possunt sustentare Regentem et Studentes, videlicet in Conventu Neapolitano, in Conventu Florentiae, in Conventu Papiae, et in Conventu Cataniae.

Item de expressa voluntate R.mi ac Ill.mi D.ni Protectoris, ordinaverunt, quod omnia et singula crimina, delicta, et scandala asserta facta per R.dum Provincialem Siciliae ab aliquibus Magistris et Fratribus eiusdem Provinciae pro toto tempore Officii sui Provincialatus usque ad praesentem diem, sive in scriptis, sive in voce proposita, et quae olim proponi potuissent, sint cassa et nulla, prout ea omnia, et singula per praesentem Constitutionem cassant et annullant, eisque perpetuum silentium imponunt; quia tam relatione Sociorum missorum a Pro.a ad Generale Capitulum, quam etiam ex Litteris patentibus omnium Vocalium et Magistrorum dictae Provinciae eis constat contrarium.

Item ordinaverunt, quod R.mus Pater Generalis non impediat quin Provinciales Officia sua exerceant, nec in illis se intromittat per se, vel per alium, directe vel indirecte, (92-r.) nisi in

(1) Bartholomaeus Leonzle. Verius Leale seu Lealis. 21 April. 1506 cum quibusdam aliis factus fuit conventualis Cataniae revocatis litteris olim a Terrasse tunc vicario generali concessis manendi extra Ordinem. 27 Junii 1508 Barth. Lu Liali confirmatur procurator sui conventus cum 4 unciis de auro pro annuo salario, et habet licentiam exeundi cum vel sine socio et deferendi sive albam sive nigram cappam. A. 1510 confirmatur sibi capella iuxta conventum Cataniae.

his quae pertinent ad officium Generalatus, secundum Constitutiones Ordinis et Statuta Capitulorum Generalium.

Item ordinaverunt, quod R.mus Pater Generalis non possit dare Conventus Conventualium Fratribus de Observantia (1), nisi forte ipsi Fratres ius haberent; quod ius per sententias diffinitivas et ultimatas constare videatur.

Item ordinaverunt, quod Provinciales non se intromittant in Officiis Priorum Localium, nisi in quantum eis permissum est in Constitutionibus.

Item statuerunt, quod Officium Provincialatus in quacumque Pro.a non extendatur ultra sexennium, et maxime in Italia; sed in Provinciis Ultramontanis sit ad libitum R.mi Patris Generalis; Declarantes, quod finito dicto sexennio, officium cuiuscumque Pro.alis vacet; dantes auctoritatem vocalibus cuiuscumque Provinciae, quatenus congregato Capitulo, secundum tenorem Constitutionum, deveniant ad electionem novi Pro.alis; qui cum Sociis recte et canonice electis confirmandus per Magistrum Ordinis, veniet ad Capitulum Generale.

Item ordinaverunt, quod quilibet Pro.alis suo functus Officio per sexennium, non possit eligi in Provincialem, nisi elapsis sex annis.

Item ordinaverunt, quod quilibet Pro.alis Ordinis veniat personaliter ad Capitulum Generale, nisi urgentibus et legitimis causis detineatur; quod si non fecerit, dederunt auctoritatem Provinciae deveniendi ad electionem novi Provincialis, iudicantes ex nunc prout ex tunc, illum esse depositum, et privatum.

Item ordinaverunt, quod omnes Pro.ales per praesens Capitulum electi, vel confirmati, permaneant in suis Officiis per sex annos proxime futuros, nisi forte propter eorum demerita per Patrem Ordinis, vel per eius Visitatorem merito privandi essent.

Item ordinaverunt, quod quilibet Pro.alis Ordinis, sub poena rebellionis, et privationis Officii, veniens ad Capitulum ducat secum saltem unum Studentem doctum, vel Bachalarium, vel Magistrum, qui pro decore Religionis, aut respondere, aut Cathedram tenere valeat, etiamsi intellexerint Pro.ales habere Socios doctos; quod si non duxerint, contra illos tanquam contra re-

(1) *Registrum addit:* Congregationis Mantuanae.

belles Ordinis, et contemptores Religionis procedatur; dummodo Provincia habeat Studentes doctos, et possit sufferre expensas.

Item statuerunt, quod nulla Provincia possit eligere in socium sui Provincialis aliquem fratrem carnalem, vel consanguineum.

Item ordinaverunt, quod Priores Locales non excedant auctoritatem suam in exercendis Officiis suis, sed bene pertractent Fratres suos; et ut in pace et caritate vivatur, mandaverunt sub poena depositionis ab eorum Officiis, quatenus infra octo dies postquam redierint a Capitulo Provinciali, quod eligantur Patres Clavarii, ubi fieri poterit, et erit sufficiens numerus scil. quatuor Vocalium Priore non computato; et in praesenti anno hoc fiat per mensem vel duos post reditum a Capitulo Generali.

Item statuerunt sub eadem poena, quod in Conventibus habentibus eundem numerum Vocalium, quod nullus Prior possit esse Expenditor, sed eligatur unus Fratrum ad tale Officium a Conventu, qui habeat reddere rationem singulis mensibus ad plus coram Priore, et Clavariis.

Item statuerunt, quod Priores Locales in Prioratibus suis durent per duos annos tantum, nisi ex legitimis causis, puta qui Monasteria nova acquisierint, aut eorum opera vel industria Ecclesiarum aut Monasteriorum amplificaverint, aut labentium restauraverint; ita et taliter quod iudicetur a suo Superiore, quod non debeant amoveri.

Item ordinaverunt, quod in Conventibus in quibus sunt quatuor Sacerdotes, vel Diaconi quotidie publice dicantur, vel cantentur Divina Officia.

(92-**v**.) Item ordinaverunt, quod nullus Praelatus ordinis cuiuscumque Gradus aut conditionis existat sub poena privationis Officii, audeat petere pecunias aut pactum facere pro officiis vel Ordinibus Sacris dandis vel pro Diffinitoribus in Capitulis Provincialibus creandis. Et si quis contra hoc fecerit, habita debita probatione coram Superiore, privatum ab officio tamquam infamem haberi voluerunt et ex nunc prout ex tunc privatum esse declamaverunt. Statuentes quod Accusatoribus venientibus ad Superiores contra huiusmodi Simoniacos provideatur de expensis ad arbitrium Superioris, et si sint Personae qualificatae, per R.dum Patrem Generalem deputentur ad ipsorum officia.

Item ordinaverunt, quod non promoveantur ad Praelaturas Ordinis, nisi Personae bonae conscientiae et honestae Litteraturae,

expertae et discretae. Item quod nullus promoveatur ad Sacerdotium nisi sciat bene legere et sit convenientis aetatis.

Item ordinaverunt, quod in omni Provincia Ordinis erigantur Studia, et deputentur Regentes, cum debito salario; qui continue legant in Monasteriis, in quibus salubrius fieri poterit; quod discretioni Provincialium reliquerunt. Mandantes Venerandis Provincialibus, sub poena rebellionis, et depositionis ab eorum Officiis ipso praetermisso, quatenus in primo Capitulo Provinciali et Studia reforment et deputent Studentes et Regentem.

Item ordinaverunt in Regentem in Conventu Cathaniae Reverendum M. Jo. Blasium (1) cum debito salario.

In Conventu Papiae R. M. Augustinum Astensem. In Conventu Patavino R. M. Janesium. In Conventu Neapolitano Reverendum M. Stephanum de Brixia (2). Et Provincia Romandiolae et Provincia Apuliae carent studiis Generalibus, ordinaverunt, quod Studentes Apuliae recipiantur in Conventu Neapolitano: et Studentes Provinciae Romandiolae mittantur ad Studium Bononiae seu Ferrariae et quod conforment se eorum moribus et vitae (3).

Item ordinaverunt quod in qualibet Provincia fiat discretio redituum Conventuum ; et qui erunt ditiores solvant pro salario Regentium secundum proportionem redituum.

Item quoniam Religio nostra in Urbe totius Orbis primaria caret studio Generali, in qua caeteri Ordines Mendicantium florent eruditissimis viris et magna studentium copia, ne aliis inferior videatur, ordinaverunt quod in primo Capitulo Provinciali celebrando constituatur Studium in Conventu Sancti Martini in Montibus, in quo ponantur saltem sex studentes et Regens, qui continue legat et teneat disputationes in Domo, et extra Domum. Et quoniam Conventus Sancti Martini non sufficeret pro expensis, statuerunt quod in Conventu Sanctae Mariae Transpontinae sint duo studentes, et in Conventu Sancti Martini stet

---

(1) Joannes Blasius. In registro habetur Blasius Creveca. Agitur verisimiliter de Joanne Michaele de Blaxio, magistro, qui anno 1503 fuerat prior et vicarius generalis Panormi, 15 Iunii 1506 regens ibidem, 27 Nov. vicarius generalis in conventu Petroliae, 1510 prior Panormi.

(2) Stephanus de Brixia. Stephanus de Confortis. Supra 1492.

(3) Hi Conventus pertinebant ad Congregationem Mantuanam.

regens cum duobus studentibus; et in Conventu Sancti Juliani constituatur unus Prior studens. Omnia tamen haec secundum voluntatem R.mi Patris Generalis.

Item ordinaverunt, quod in quolibet conventu, maxime ex maioribus, habeantur magistri Grammaticae, Cantus, et etiam Morum; qui Novitios instruant. Et hoc reliquerunt solertiae Priorum, quod tamen sine mora Provinciales supplere debeant.

Item revocaverunt omnes licentias Fratrum existentium extra ordinem, iubente et volente R.mo et Ill.mo D.no Protectore, etiamsi essent per R.mam D. Suam datae et (93-**r.**) concessae, vel per alios R.mos D.nos Cardinales, ad instantiam cuiuscumque etiam Principis, sub quibuscumque verborum formis, etiam praetextu familiaritatis; et quod de caetero Litterae huiusmodi standi extra Ordinem non concedantur nisi habita urgentissima occasione, de qua in Litteris fiat expressa mentio. Prohibentes insuper omnibus Fratribus, sub poena excommunicationis latae sententiae, quod nullus per se, vel per alium audeat, vel praesumat impetrare aliquas Litteras familiaritatis, seu impetratis uti; nisi realiter et cum effectu essent veri et continui familiares aliquorum R.rum Cardinalium.

Item ordinaverunt, quod omnes Magistri facti de gratia, qui non studuerunt, et qui nesciunt aut publice disputare, aut per totam Quadragesimam mediocriter praedicare, aut sint convenientis Litteraturae, immediate post harum promulgationem, sint privati nomine et dignitate Magisterii; cum hoc cedat in grave praeiudicium, et maximum dedecus Ordinis. Volentes tamen, et relinquentes arbitrio R.mi Patris Generalis, quod si quis illorum sit aut magnus Confessor aut Benefactor Ordinis, quod cum illo dispenset ad libitum. R.dos etiam Provinciales, propter Officii dignitatem, et Religionis honestatem a superiori Constitutione exemptos esse voluerunt; etiamsi Provincialatus Officio privarentur, aut sponte renunciarent, Magisterii nomine, loco, et dignitate potiri voluerunt.

Item ordinaverunt quod omnes Bachalarii et Lectores facti de gratia, qui non studuerunt sed sine onere gaudere voluerunt, honore declarentur privati nomine et dignitate; quos per presentes privatos et annullatos esse declarant. Sed si aliqui essent boni Confessores aut multum utiles; quorum privatio esset scan-

dalosa, R.mus Pater Generalis possit eos confirmare secundum suam conscientiam.

Item quod nemo de caetero ad aliquem Gradum Magisterii aut Bachalariatus assumatur, nisi servata debita forma Constitutionum.

Item annullaverunt omnes Litteras concessas per D.num Generalem defunctum Mag.rum Petrum Terrasse.

Item annullaverunt omnes Jubileos, qui non sunt facti secundum tenorem Constitutionum.

Item ordinaverunt quod Sacristae et Organistae, et Campanarii et Procuratores eligantur a Conventu, et electi per Priorem confirmentur.

Item annullaverunt omnes Litteras praecedentiae concessas: Declarantes, quod omnes teneant loca sua secundum suos debitos Gradus, et secundum antiquitatem in Ordine iuxta Constitutiones, nisi sint Graduati.

Item annullaverunt omnes Litteras eorum, qui habent licentiam eundi extra Domum absque licentia suorum Prelatorum, aut comedendi in cameris. Dantes tamen facultatem Venerandis Provincialibus quod senibus et venerandis Patribus huiusmodi licentiam impartiri possint et valeant.

Item quod in bonis fratrum defunctorum deinceps non succedant alii Fratres, nec (93-**v.**) aliquis possit in testamentis suis legare, donare, vel huiusmodi facere nisi pro ut volunt, et dictant Ordinis Constitutiones, nec ipse R.mus Pater Generalis alio modo det licentiam testandi, legandi, et donandi, nisi servata forma Constitutionum.

Item ordinaverunt, quod Visitatores, seu Commissarii mittendi a R.mo D.no Generali aut Provincialibus, non possint stare in Conventibus qui sunt in itinere, nisi per tres dies; et cum venerint ad Conventum, ad quem fuerint missi, vel vocati, quam citissime causas expediant, condemnantes et astringentes illos qui fuerint causa itineris et adventus eorum, ut expensas solvant ne Conventus graventur.

Omnia autem haec Capitula praedicta sint, et erunt secundum beneplacitum R.mi Patris Generalis.

Ad laudem Omnipotentis Dei et Suae Genitricis.

(94-**r.**) Haec sunt Acta Capituli Generalis celebrati Senis in

Provincia Tusciae: Praesidente R. Mag. Bernardino de Senis Vicario Generali Apostolico totius Ordinis. Anno Domini 1517. Die 31 Maii in Festo Penthecostes.

In primis quantum ad electionem R.mi Patris Generalis. R.dus Mag. Bernardinus de Senis Vicarius Generalis elegit Reverendum Provincialem Siciliae. R. M. Nicolaus Audet Provincialis Terrae Sanctae elegit R.dum Mag.rum Bernardinum de Senis Vicarium Generalem. R. M. Franciscus Mango (1) Provincialis Siciliae elegit eundem. R. M. Prov. Angliae elegit eundem. R. M. Prov. Narbonae elegit eundem. R. M. Prov. Romanus.... R. M. Prov. Lombardiae elegit eundem. R. M. Prov. Aragoniae elegit eundem. R. M. Prov. Provinciae Provinciae elegit eundem. R. M. Prov. Tusciae elegit eundem. R. M. Prov. Venetiarum elegit eundem. R. M. Prov. Tholosae elegit eundem. R. Magister Prov. Cathaloniae elegit eundem. R. M. Prov. Vaschoniae elegit eundem. R. M. Prov. Turoniae elegit eundem. R. M. Provincialis Thuroniae pro divisione Britanica elegit eundem. R. Magister electus Vicarius et Diffinitor Provinciae Neapolitanae elegit eundem. R. M. Prov. Provinciae Apuliae elegit eundem.

Socii Provincialium Praefatorum.

R. Socii R.mi Vicarii Generalis elegerunt eundem Magistrum Bernardinum de Senis. R. Socii Provinciae Terrae Sanctae elegerunt eundem. R. Socii Siciliae elegerunt eundem. R. Socii Angliae elegerunt eundem. R. Socii Narbonae elegerunt eundem. R. Socii Romae elegerunt eundem. R. Socii Franciae elegerunt eundem. R. Socius Alamaniae Inferioris elegit eundem. R. Socii Lombardiae elegerunt eundem. R. Socii Aquitaniae elegerunt eundem. R. Socius Provinciae Aragoniae elegit R.dum Provincialem Aragoniae. R. secundus Socius Aragoniae elegit Reverendum Mag. Bernardinum de Senis. R. Socius Provinciae Provinciae elegit eundem. Rev. Socii Tusciae elegerunt eundem. (94-**v**.) R. Socii Venetiarum elegerunt eundem. R. Socius Tholosae elegit eundem. R. Socius Alemaniae Superioris elegit eundem. R. Socii Vaschoniae elegerunt eundem. R. Socii Turoniae pro divisione Franciae elegerunt eundem. R. Socii Turoniae pro divisione Britaniae elegerunt eundem. R. Socii Castellae elegerunt eundem. R. Socii Neapolitanae Provinciae elegerunt eundem.

---

(1) Vide supra 1510.

R. Socii Marchiae Anchonitanae elegerunt eundem. R. Socii Apuliae elegerunt eundem.

QUOAD DIFFINITORES.

Primus Diffinitor R. Mag. Provincialis Terrae Sanctae. II Diffinitor R. M. Prov. Siciliae. III Diffinitor R. M. Prov. Angliae. IV Diffinitor R. M. Prov. Narbonae. V Diffinitor R. M. Provincialis Lombardiae. VI Diffinitor R. M. Prov. Aragoniae. VII Diffinitor R. M. Prov. Provinciae Provinciae. VIII Diffinitor R. Magister Prov. Venetiarum. IX Diffinitor R. M. Provincialis Tusciae. X Diffinitor R. M. Prov. Vaschoniae. XI Diffinitor R. M. Provincialis Turoniae pro divisione Gallica. XII Diffinitor R. Magister Provinc. Turoniae pro divisione Britanica. XIII Diffinitor R. Mag. Prov. Marchiae Anconitanae. XIIII Diffinitor R. Provincialis Apuliae. XV Diffinitor Socius Provinciae Franciae. XVI Diffinitor Socius Alemaniae Superioris. XVII Diffinitor Socius Provinciae Aquitaniae. XVIII Diffinitor Socius Provinciae Romanae. XIX Diffinitor Socius Alemaniae Inferioris. XX Diffinitor Socius Turoniae pro distinctione Britanica. XXI Diffinitor Socius Provinciae Tholosanae. XXII Diffinitor Socius et Vicarius electus Neapolitanus. XXIII Socius Provinciae Castellae.

QUOAD AUDITORES CAUSARUM

Instituerunt R. Mag. Provincialem Tholosanum: Magistrum Ludovicum de Regio (1); R. Priorem Papilonis; et R. Magistrum Augustinum Astensium.

(95-r.) QUOAD INSTITUTIONEM PROVINCIALIUM

In primis in Provincialem Terrae Sanctae instituerunt Reverendum Mag. Nicolaum Audet de Cypro. Provinciae Siciliae R. M. Albertum Puiades Siculum. Provinciae Angliae R. Magi-

---

(1) Ludovicus de Regio. 27 Nov. 1508 fuit magister regens Cremonae et persona eius et bona sua fuerunt posita immediate sub protectione generalis; 1510 electus prior Florentiae necnon regens et praedicator Quadragesimae ibidem si venire possit et velit.

strum Joannem Beetj (1). Provinciae Narbonae R. M. Stephanum Jovensi (2). Provinciae Romanae R. M. Albertum de Padua. Provinciae Franciae R. M. Arturum Gerundi. Provinciae Alemaniae Inferioris R. M. Wolterum Stay (3). Provinciae Lombardiae R.m M. Antonium de Candia (4). Provinciae Aquitaniae R.m M. Guilermum de Quadrivio. Provinciae Aragoniae R.m M. Petrum Stagnum (5). Provinciae Hyberniae reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis. Provinciae Provinciae R.m M. Ludovicum de Canea (6). Provinciae Venetiarum R.m M. Bartholomeum Campagnolam. Provinciae Scotiae R.m Lectorem F.rem Andream Pastoris (7). Provinciae Tusciae R.m M. Angelum de Catastinis (8). Provinciae Tolosae R.m M. Gulielmum de Cumba. Provinciae Cathaloniae R.m M. reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis. Provinciae Alemaniae Superioris R.m Patrem Bachalarium F.rem Georgium Mus (9). Provinciae Vaschoniae R.m M. Paschasium de Insula (10). Provinciae Turoniae pro distin-

(1) Joannes Beetj. Infra 1532 Grieth. Verum nomen fuit Bird seu Byrde, e Coventria oriundus, Oxoniae lauream suscepit a. 1505-6; provincialis Angliae 1516, eodem anno visitator generalis, et iterum 1522-24, et ab a. 1535 usque ad omnimodam suppressionem Ordinis in Anglia prior generalis auctoritate regia. Eadem auctoritate regia fit episcopus Pendrethensis (utpote suffraganeus Landavensis), item Bangorensis 26 Aug. 1539, deinde primus episcopus Cestrensis 4 Augusti 1541 quo episcopatu privatus est a regina Maria Tudor 16 Martii 1554. Ultimo haeresi abiurata et repudiata quam duxerat uxore parochus apud Great Dunmow in comitatu Essexiae constitutus in unione Ecclesiae Catholicae defunctus est 15 Oct. 1558.

(2) Stephanus Jovensis. Vide infra in fine capituli 1524.

(3) Wolterus Stay. De Geldria. Supra 1498.

(4) Antonius de Candia. Supra 1478.

(5) Petrus Stagnus. Supra 1472.

(6) Ludovicus de Canea. 13 Dec. 1503 factus lector et promotus ad legendum Sententias Avinione.

(7) Andreas Pastoris. Storour. Supra 1510.

(8) Angelus de Catastinis. Angelus Andreae. Supra 1498.

(9) Georgius Mus. Verius Muffel, de conventu Bambergae ubi prior erat ab a. 1505 usque 1513 incl. Electus provincialis dominica post Epiphaniam 1514 remansit in officio cum titulo baccalaurei usque 1526 exclus. Cetera nos latent.

(10) Paschasius de Insula. Supra 1498.

ctione Gallicana R.m M. Antonium Bennem (1). Provinciae Turoniae pro distinctione Britanica R.m M. Joannem Joci (2). Provinciae Saxoniae reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis. Provinciae Castellae R.m M. Ferdinandum Lupi (3). Provinciae Portus Galliae Ven. Patrem Bachalarium Fr. Joannem de Sancta Anna (4). Provinciae Neapolitanae R.m M. Franciscum Mangum. Provinciae Marchiae Anchonitanae R.m M. Matheum de Rondellis. Provinciae Apuliae R.m Patrem Bachalarium Fr. Joannem de Novaria (5). Provinciae Bethicae R.m M. Fr. Joannem de Sancto Rincodio. Omnia alia Officia Provincialatuum reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis.

QUOAD PROCURATOREM TOTIUS ORDINIS IN ROMANA CURIA.

Ordinaverunt, quod nullus sit Procurator Ordinis, nisi R.mus Pater Generalis : et statuerunt, quod ipse non habeat providere, nec aliquid dare pro taxatione dicti Procuratoris.

---

(1) Antonius Bennem. Verius Chevreux. Supra 1503.

(2) Joannes Joci. Verius Josse. 21 Maii 1504 habuit licentiam quod possit moram trahere cum nobili viro milite D.no de Gormys domino De La Mare ; quod possit visitare amicos et parentes quandocumque sibi placuerit, item quod possit inservire alicui ecclesiae cum vel sine cura, seu capellae sive oratorio si sibi canonice conferatur, quod habeat ad vitam usum bonorum acquisitorum, quod possit confiteri cuicumque sacerdoti si non habeat copiam sacerdotis sui Ordinis, et absolvi toties quoties a casibus reservatis priori locali, et ter in anno a casibus reservatis generali, et quod possit esse confessor dominarum monasterii Villaris si eum habere voluerint. Eo tempore erat iam magister.

(3) Ferdinandus Lupi. Supra 1510.

(4) Joannes de S. Anna. Confirmatus provincialis 9 Maii 1508. Item 25 Julii 1509 fuit factus perpetuus administrator loci S. Annae in provincia Portugaliae cum facultatibus sibi quondam a Mag. Pontio Raynaudo tributis. Item ipse cum bonis suis fuit positus sub protectione immediata Generalis, et habuit licentiam confitendi, deferendi camisias lineas, absolvere fratres qui celebrarunt ante tempus (canonicum) et cum illis dispensare. Locus S. Annae habuit centum mensuras frumenti pro quibus fratres tenebantur celebrare 25 missas.

(5) Joannes de Novaria. 1539 primus clavarius conventus Neapolitani. Tunc mag.

Quoad Priores Parisiensem et Romanum. Reliquerunt in pectore R.mi Patris Generalis quo ad Priorem Parisiensem, quo vero ad Priorem Romanum instituerunt Ven.lem Bachalarium Fr. Jacobum Calchum de Laude (1).

(95 v) Quoad Taxam ordinariam. Taxaverunt omnes et singulas Provincias prout taxatae fuerunt in praecedentibus Capitulis.

Quoad ordinationes Promotorum. In Universitate Parisiensi pro Anno Domini MDXIX Fr. Joannem Fabri (2) Conventus Panis Sodomarijs Lectorem Theologiae. Item pro anno MDXXI Fr. Joannem de Cruce (3) Conventus Remensis Lectorem Theologiae. Pro Anno XXII Fr. Nicolaum Barisum Conventus Nanetensis in Turonia Lectorem Theologiae. Pro Anno XXIIII Fr. Guilielmum Forbiti, approbaverunt promotionem factam per R.dum M.rum Stephanum de Bassignana (4) Fri. Salvato de Quercu (5). Pro Anno XXV Fr. Laurentium de Palantia.

In Studio Tolosano. Pro Anno MDXVIII promoverunt Fr. Arnaldum de Campo.

In Studio Lovanensi. Commiserunt promotiones R. Provinciali Alamaniae Inferioris.

---

(1) Jacobus Calchus. Balaeus (et ipse haereticus) sequentia de Jacobo Calco tradit: « De Papia oriundus, ante religionis ingressum Joannes Baptista vocatus, quondam prior Romae apud S. Martinum in Montibus, doctor Parisiensis. Post probatum regis Angliae a priori uxore divortium regio stipendio per Angliae gymnasia theologiam gloriose docuit et multos auditores probe erudivit. Scripsit ad illustrissimum regem: De secundo eius matrimonio. Contra primatum Romani Pontificis. De Purgatorii loco incerto. Claruit apud Anglorum regem Henricum VIII plurimum aestimatus, ita ut si modicum plus supervixisset episcopus Salisburiensis illius decreto fuisset ordinatus. Peste demum extinctus est Londini 19 Aug. 1533 apud Carmelitas illic sepultus ». Longe aliter de ipso iudicavit capitulum generale a. 1532 uti infra videbitur.

(2) Joannes Fabri. Infra 1548. Diversus a iam enumeratis eiusdem nominis.

(3) Joannes de Cruce. Idem dicendum.

(4) Stephanus de Bassignana. Supra 1478.

(5) Salvatus de Quercu, Alias Salvator. Conventus Aquensis in Vasconia, baccal. Parisiensis, doctor Burdigalensis, eiusdemque conventus prior necnon quondam totius universitatis cancellarius, vir doctissimus et maximus religionis zelator. Ita Balaeus.

In Studio Papiensi. Pro anno XVIII Fr. Marchum de Padua (1) pro tribus annis sequentibus. Pro anno isto Fr. Nicolaum Neapolitanum pro annis tribus. Pro annis tribus Fr. Philipum Siculum. Pro tribus annis Fr. Alexandrum Blasii (2). Item Fratrem Marc. de Francofordia.

In Studio Bituricensi. Pro anno MDXIX Fr. Jacobum Pontuasi Conventus Remensis ordinaverunt Lectorem Theologiae. Pro anno MDXX Fr. Joannem de Mansia.

(96-r.) In Universitate Avinionensi. Pro anno XVII Fratrem Claudium Laquinas. Pro secundo loco Fr. Bartholomeum Portalonga (3). Pro tertio loco Fr. Joannem Antonium Fabri.

In Universitate Nanetensi. Pro anno XX Fr. Dionisium Dobras. Pro anno XXI Fr. Joannem Grani. Pro anno XXII Fratrem Joannem Suterni. Pro anno XXIII Fr. Franciscum Magri.

In Universitate Andegavensi. Pro anno XVIII Fr. Oliverium Soreth. Pro anno XXI Fr. Guilielmum Ignum.

In Studio Caturci. Pro anno XXVII Fr. Deodatum Montenti. Item Fr. Robertum Menteloni pro anno sequenti. Item Fratrem Jacobum de Corda pro anno XX.

In Universitate Burdegalensi. Pro anno XXVIII *(sic)* Fratrem Petrum Gualdero. Pro anno XIX Fr. Bernardum de Campagnado. Pro anno XX Fr. Joannem de Tremoleto. Pro simplici forma Fr. Rodericum de Ornelis.

In Universitate Pictaviensi. Decreverunt quod talis Universitas ponatur in Libro, et quod in ea promoveantur, sicuti in

---

(1) Marchus de Padua. Supra 1513.

(2) Alexander Blasii. De Saccis. 1513 studens Florentiae, 14 ibidem in artibus, 15 promotus ad lectoratum dummodo legat bibliam et quae spectant ad gradum; 16 studens Pisis, 19 Papiae, 20 Pisis, 21 non habeat amplius provisionem de conventu cum finierit sex annos studii. 25 socius Pisarum, secundus diffin. prior, regens (sine salario) et praedicator Pisis; similiter sequenti anno; 28 secundus diffinitor. 33 camerarius et praedicator Pisis, 34 vestiarius (acta incompleta sunt), 36-40 provincialis. Deinde deficiunt acta.

(3) Bartholomaeus Portalunga. Alias Portenlinquius, Lucensis, Doctor et decanus Avenionensis, « facundus ut Cicero », quondam socius Blasii Lorini et maecenas amantissimus Jo. Diophylaxis cuius opera collegit. Deinde episc. Troianensis et suffraganeus archiep. Lugdunensis et Viennensis.

aliis Universitatibus. Item pro anno XXI Fr. Joannem Torpienti. Item pro anno XXII Fr. Simonem Rufreni. Pro anno XXIII Fr. Renatum de Bara. Pro anno XX Fr. Petrum Gaia.

In Studio Paduano. Ordinaverunt pro annis tribus Fratrem Philippum (1) de Mirabellis. Pro tribus annis Fr. Stephanum Storesiani (2) de Padua.

In Studio Pisano. Fr. Matheum Stamina pro annis tribus. Item Fr. Philippum Junta (3).

(69 **v.**) In Studio Neapolitano. Ven. Lectorem Fr. Vincentium de Monte.

In Studio Senensi. Ordinaverunt Fr. Joannem Venetum (4). Item Fr. Cristophorum similiter Venetum pro tribus annis.

QUOAD CONSTITUTIONES ET REFORMATIONES

Acceptaverunt ordinationes missas a R.mo D.no Protectore, exceptis illa de triennio; et de privatione duorum Provincialium; de quibus volunt consulere R.mam suam Dominationem.

Item confirmaverunt omnes constitutiones factas in Capitulo Generali Romae celebrato proxime praeterito, ac etiam in aliis Capitulis praecedentibus.

QUOAD CAPITULUM GENERALE FUTURUM

Ordinaverunt Capitulum Generale futurum celebrandum Lugduni hinc ad sex annos.

Patres Diffinitores reservaverunt sibi auctoritatem per unum mensem. Diffinitores autem abeuntes ex nunc relinquunt auctoritatem suam Diffinitoribus euntibus ad R.mum Cardinalem Protectorem. Item ordinaverunt quod postquam locuti fuerint cum D.no Protectore, omnis auctoritas tractandi negotia Ordinis remaneat R.mo Patri Generali et Assistentibus.

---

(1) Philippus de Mirabellis. 27 Martii 1508 fit lector et habeat confirmationem cellae sibi concessae in conventu Sicli.

(2) Stephanus Storesiani de Padua. Alias Storarii, patruus Nicolai, de quibus multa in sequentibus capitulis.

(3) Philippus Junta. Supra 1510.

(4) Joannes Venetus. Idemne qui 20 Jan. 1507 fuit factus magister novitiorum in conventu Venetiarum usque ad capit. generale?

Item commiserunt R.mo Patri Generali, quod taxet Religionem pro expedienda Bulla, pro die Sabbati et aliis indulgentiis, secundum quod erit conveniens.

Item ordinaverunt, ob multas causas adductas et consideratas, ut Provincialis Terrae Sanctae possit constituere Vicarium sufficientem super Provincia sibi credita, et ipse manere in Italia.

Item quia Pro.alis Terrae Sanctae ante eius Provincialatum tenuerat et rexerat Conventum Burbigi Provinciae Venetiarum; ipsumque sua industria construxerat, et reparaverat, qui modo ex eius absentia collabitur in peius; volentes eidem Conventui providere, concesserunt, et consenserunt, ut dictus Pro.alis eundem Conventum habeat, et habere possit, et debita illius solvet ad complementum.

Ordinaverunt, quod de Provincia Terrae Sanctae teneantur duo Novitii in Conventu Paduae, ut possit illa provincia manuteneri.

Ordinaverunt, quod omnes expensae factae causa eundi Mantuam, et consulendi super quibusdam negotiis R.m Protectorem, a Provinciis solvantur.

Et ego Fr. N. Audet Pro.alis Terrae Sanctae praescripta omnia aliena manu scribi feci, exceptis duabus ultimis lineis, quas scripsi propria manu, de Mandato Diffinitorii ipsius superius expressi Capituli Generalis.

(97-r.) IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Amen.

Ad laudem Omnipotentis Dei hic inferius scribuntur per ordinem Acta Capituli Generalis celebrati in Conventu Venetiarum, anno Domini 1524. Praesidente R.mo M. Nicolao Audet totius Religionis Carmelitarum Generali Vicario Apostolico.

Et primo, servatis servandis, secundum Statuta nostri Sacri Ordinis, tandem deventum est ad electionem R.mi Patris Generalis; et admissis iure admittendis.

In primis R.mus M. Nicolaus Audet Vicarius Generalis elegit R. M. Franciscum Mangum Provincialem Siciliae. R. M. Franciscus Mangus Prov. Siciliae elegit R.mum M. Nicolaum

Audet. R. M. Albertus Vicentinus (1) Prov.lis Romanus elegit eundem.

R. Prov.lis Lombardiae M. Octavianus (2) elegit eundem.

R. Prov.lis Tusciae M. Raphael Leonardi (3) elegit eundem.

R. Prov.lis Cathaloniae M. Franciscus Pla elegit eundem.

R. Prov.lis Neapolitanus M. Aloizius Sanzonis (4) elegit eundem.

R. Prov.lis Venetiarum M. Baptista Venetus (5) elegit eundem.

R. Prov.lis Romandiolae Fr. Cassianus Imolensis (6) elegit eundem.

R. Prov. Apuliae M. Joannes de Navaria (7) elegit eundem.

R. M. Petrus de Judaica, primus Socius R. Patris Vicarii Generalis, elegit eundem. R. M. Franciscus Pilatus (8), secundus Socius R. Patris Vicarii Generalis, elegit eundem. R. M. Simon, Procurator Ordinis, elegit eundem.

R. M. Prior Transpontinae Dominicus Maximi (9) elegit eundem.

---

(1) Albertus Vincentinus. Die 6 Oct. 1505 ven. fr. Albertus de Vincentia de Gratusia factus fuit mag. in theol. auctoritate apostolica; 4 Nov. 1510 nominatus fuit prior in conventu Vicentino et habuit confirmationem licentiae condendi testamentum sibi concessae a quondam Fr. Jacobo Vincentino.

(2) Octavianus. Scil. de Soncinis, Is a. 1510 baccalaureus factus fuerat cum licentia accipiendi insignia magistralia studio expleto.

(3) Raphael Leonardi. De Catastanis. Supra 1510.

(4) Aloizius Sanzonis. Alias perperam Sanfong. A. 1518 fuit prior Neapolitanus et a. 1526 provincialis.

(5) Baptista Venetus. 17 Nov. 1506 factus prior seu rector sororum seu mantellatarum Venetiis.

(6) Cassianus Imolensis. « Orator et poeta maximus, prior Romae in conventu S. Mariae Transpont., saepius oravit coram Summo Pont. Clemente VII, ex quo factus est provincialis Romanus adhuc iuvenis et procurator in curia Romana ». Ita Balaeus.

(7) Joannes de Navaria. Supra 1517 de Novaria.

(8) Franciscus Pilatus. Alias de Pilatis. 6 Oct. 1505 in conventu Veronensi factus est mag. in theol. auctoritate pontificia.

(9) Dominicus Maximi. Melius Maximini. A. 1515 fuit studens Florentiae, 16 studens in artibus Pisis, 17 ibidem promotus conditionibus consuetis, 19 baccalaureus et subprior Pisis, 20 adhuc sub-

R. M. Petrus de Fortiis (1), primus Socius Terrae Sanctae, elegit eundem.

R. M. Aloizius de Paulino, secundus Socius, elegit eundem.

R. M. Philippus Mirabella (2), primus Socius Siciliae, elegit eundem.

Ven. Fr. Franciscus Tropia (3), secundus Socius, elegit eundem.

R. Fr. Vincentius Florentinus primus Socius Romae elegit eundem.

R. Fr. Felix de Mediolano elegit eundem, qui est secundus socius.

R. M. Chrysostomus Vercellensis (4) 2.us Socius Lumbardiae elegit eundem.

R. M. Stephanus de Brixia (5) primus Socius Lumbardiae elegit eundem.

R. M. Anthonsus Tarratasia (6) primus Socius Tusciae elegit eundem.

R. M. Dominicus Pratensis secundus Socius elegit eundem.

---

prior et studens, 21 regens Pisis et praedicator Florentiae, 22 prior Pisis ibidemque regens, 24 magister, regens Florentiae, et debeat legere unam lecturam de scriptura sacra quam debent audire omnes fratres conventus exceptis magistris, et habeat ultra vestiarium tres ducatos. Simul fuit regens Pisis cum stipendio ducatorum sex solvendis in modum quod conventus Pisarum solvat eos et exigat deinde ducatos duos a conventu Florentiae. 1528 fuit quartus diff. et prior Florentiae ob resignationem mag. Salvatoris Bartholomaei propter infirmitatem et senectutem. 1530 aggregatus fuit mag. theol. universitati Florentiae. Obiit peste extinctus 7 Oct. 1530.

(1) Petrus de Fortiis. Conventus (Venetiarum?) 8 Jan. 1509 factus baccalaureus.

(2) Philippus Mirabella. Supra 1517 de Mirabellis.

(3) Franciscus Tropia. Verius de Turpia. 14 Nov. 1507 habuit licentiam procedendi ad ordinem subdiaconatus,

(4) Chrysostomus Vercellensis. 17 Jan. 1507 cum nonnullis aliis factus lector ad instantiam mag. Heliodori Cremonensis provincialis Lombardiae. Postea doctor Papiensis, prior Vercellensis, famosus praedicator.

(5) Stephanus de Brixia. Supra 1492 de Confortis.

(6) Anthonius Tarratasia. Supra 1513, infra 1548 ubi verum nomen apparet.

R. M. Rodulphus primus Socius Venetiarum elegit eundem.

R. M. Angelus de Marco (1) primus Socius Neapolis elegit eundem.

R. M. Cyrillus Massensis primus Socius Romandiolae elegit eundem.

R. secundus Socius Romandiolae. Primus Socius Cathaloniae.

Primus Socius Apuliae Ven. Fr. Franciscus de Ostuno elegit eundem.

(97-v.) Secundus Socius Apuliae Fr. Heliseus de Apulia elegit eundem.

Pro R. Prov.li Angliae R. M. Marchus Antonius Iustinopo (2) elegit eundem.

Pro R. Prov. Narbonae R. M. Angelus de Mediolano (3) elegit eundem.

Pro R. Prov. Franciae R. M. Aloizius Capello elegit eundem.

Pro R. Prov. Alemaniae inferioris R. M. Paulus Patavus elegit eundem.

Pro R. Prov. Aquitaniae R. M. Angelus de Castetinis (4) elegit eundem.

Pro R. Prov. Hispaniae R. M. Salvator Florentinus elegit eundem.

Pro R. Prov. Hiberniae R. M. Christophorus Venetus (5) elegit eundem.

Pro R. Prov.li Prov.ae Provinciae R. M. Jo. M. de Bassignana (6) elegit eundem.

Pro R. Prov. Scotiae R. M. Cyrillus elegit eundem.

Pro R. Prov. Tholosae R. M. Sylvester Bergomas elegit eundem.

---

(1) Angelus de Marco. Fuit provincialis Neapolitanus a. 1525.

(2) Marchus Antonius Justinopo. Sic. Nonnisi titularis, sicut etiam plurimi e sequentibus.

(3) Angelus de Mediolano. Balaeus videtur confudisse cum Angelo de Barbanariis de quo infra. Iste enim potius quam alter videtur fuisse prior Mediolanensis.

(4) Angelus de Castetinis. Verius Catastinis. Supra 1517.

(5) Christophorus Venetus. 11 Oct. 1506 habuit licentiam praedicandi Verbum Dei ubicumque requisitus fuerit et vacandi sacris litteris.

(6) Joannes Maria de Bassignana. 17 Jan. 1507 factus lector in theol.

Pro R. Prov. Alemaniae superioris R. M. Paulus elegit eundem.

Pro R. Prov. Vasconiae R. M. Petrus de Vincentia (1) elegit eundem.

Pro R. Prov. Turoniae R. M. Angelus Barbanaira (2) elegit eundem.

Pro R. Prov. Saxoniae R. M. Baptista Marinonus elegit eundem.

Pro R. Prov. Aragoniae R. M. Calcerandus Cassanhac (3) elegit eundem.

Pro R. Prov. Castellae R. M. Hieronimus Calidonius (4) elegit eundem.

Pro R. Prov. Portugalliae R. M. Angelus de Brendulis elegit eundem.

Pro R. Prov. Bethicae R. Licentiatus Fr. Petrus Hispanus (5) elegit eundem.

Pro R. Provinciali Daciae R. Mag. Hercules Siculus (6) elegit eundem.

---

(1) Petrus de Vincentia. 16 Sept. 1510 factus lector et hinc ad duos annos habuit licentiam legendi in universitate Paduae usque ad magisterium inclusive. 4 Nov. eiusdem anni obtinuit confirmationem licentiae condendi testamentum sibi olim a mag. Jacobo Vincentino concessae.

(2) Angelus Barbanaira. Alias de Barbanariis. 7 Dec. 1506 fuit missus conventualis in conventum Florentiae usque ad nostram revocationem. Balaeus notat eum priorem Mediolanensem fuisse sed in hoc, uti supra dictum est, videtur errasse. Fuit tamen provincialis Romandiolae, procurator Ordinis, et composuit sermones quodlibetales per totum annum qui (quod dolendum est, ait Balaeus) a. 1527 igne per armigeras .perierunt.

(3) Calcerandus Cassanhac. Supra 1488.

(4) Hieronymus Calidonius. Vincentinus, 8 Nov. 1506 factus lector et baccalaureus.

(5) Petrus Hispanus. Conventus Valentiae, obiit Parisiis, epitaphium eius composuit Joannes Diophylax. Videtur idem ac Petrus Chaves infra.

(6) Hercules Siculus, A. 1496 baccalaureus existens fuit vicarius conventus Pisarum, ibidemque prior annis 1498 , 1500, 1502. Anno vero 1506 « prioratus remittatur Generali propter contumaciam magistri Herculi ». Eodem anno sub die 21 Sept. mag. Hercules Siculus prior Pisarum fuit citatus ad comparendum iu conventu Imolae infra octo dies a praesentatione litterarum ». At 7 April. 1507 idem fuit

Pro 1. Socio Angliae Fr. Paschalis de Ravenna elegit eundem.

Pro 2. Socio Angliae Fr. Paschalis Ravennas elegit eundem.

Pro 1. Socio Narbonae Fr. Angelus de Lugo elegit eundem.

Pro 2. Socio Narbonae Fr. Bernardinus Patavus (1) elegit eundem.

Pro 1. Socio Franciae Fr. Marinus Venetus elegit eundem.

Pro 2. Socio Franciae Fr. Joannes Patavus elegit eundem.

Pro 1. Socio Alemaniae Inferioris Fr. Valerius Landensis elegit eundem.

Pro 2. Socio eiusdem Fr. Stephanus Senior elegit eundem.

Pro 1. Socio Aquitaniae Fr. Paulus Ver.us elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Thomas Cremonensis elegit eundem.

Pro 1. Socio Hispaniae Fr. Gaspar Brixiensis elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Baptista Patavus elegit eundem.

Pro 1. Socio Hiberniae Fr. Pacificus Mediolanensis elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Bernardinus Vercellensis elegit eundem.

Pro 1. Socio Provinciae Provinciae Fr. Angelus de Soncino elegit eundem.

---

ordinatus prior conventus Pisarum usque ad beneplacitum nostrum instante communitate Pisarum. 19 Jan. 1510 habuit praeceptum reddendi aliquod depositum sibi factum ad utilitatem conventus una cum annua responsione decem saccorum frumenti mensurae florentinae. 10 Febr. eiusdem anni factus est vicarius generalis in conventu Pisarum. His non obstantibus capitulum provinciale eiusdem anni ordinavit nihil innovandum in conventu Pisano sed commisit provinciali quod scribat generali de litteris concessis magistro Herculi de prioratu et quod visitet conventum cum in temporalibus tum in spiritualibus et quod de regimine eius scribat Generali. A. 1511 fuit tertius diffinitor, 1513 quartus diff. et iterum prior Pisanus, 1514 regens Florentiae, 1515 tertius diff. et prior Pisis, 1521 secundus diff. et prior Florentiae, 1524 tertius definitor ct prior Florentiae pro dando principio reformationi inceptae; tandem 1525 prior Prati. Amplius non memoratur. Magisterium suscepit ante annum 1506 sed non constat de temporis momento.

(1) Bernardinus Patavus, seu de Padua. 17 Oct. 1506 habuit licentiam inserviendi alicui ecclesiae cum vel sine cura animarum in toto dominio Venetiarum. 8 Jan. 1509 fuit prior Paduae usque ad proximum capitulum provinciale. A. 1510 prior conventus Cittadellae.

Pro 2. Socio Fr. Albertus Venetus (1) elegit eundem.

Pro 1. Socio Scotiae Fr. Stephanus Patavus elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Joannes de Leontino Siculus elegit eundem.

(98-r.) Pro 1. Socio Tholosae Fr. Jo. Maria Prior Cursus elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Hieronymus Venetus elegit eundem.

Pro 1. Socio Cathaloniae Fr. Albertus Papiensis elegit eundem.

Pro 1. Socio Alemaniae Superioris Fr. Ludovicus Papiensis elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Sebastianus de Revero elegit eundem.

Pro 1. Socio Vasconiae Fr. Sixtus de Mantua elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Alexander Florentinus (2) bacc. elegit eundem.

Pro 1. Socio Saxoniae Fr. Angelus Siculus Baccalarius elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Stephanus Cremonensis elegit eundem.

Pro 1. Socio Aragoniae Fr. Hieronymus Prior Sancti Quirici elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Alexander Venetus elegit eundem.

Pro 1. Socio Daciae Fr. Bernardinus Roboretus (3) Baccalarius elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Joannes Baptista Prior (4) Senarum elegit eundem.

Pro 1. Socio Bethicae Fr. Aloizius Elvetus elegit eundem.

Pro 2. Socio Fr. Thomas (5) Prior Montis Catini elegit eundem.

---

(1) Albertus Venetus. Idemne ac baccal. Albertus de Venetiis qui 24 Oct. 1506 factus fuit mag. in theol. auctoritate apostolica?

(2) Alexander Florentinus, baccalaureus. Supra 1517 Alexander Blasii.

(3) Bernardinus Roboretus baccalaureus. Inter conventuales Roboreti a. 1549 nominatur Bernardinus baccal. Idemne?

(4) Joannes Baptistae, prior Senarum. Fuit is Jo. Baptista Petri qui a. 1511 erat socius sacristae Senarum, 1512 sacrista ibidem, 14 prior Prati, item 1515 ac etiam quartus diff. tandem 1524 prior Senarum.

(5) Thomas, prior Montis Catini. Fuit is Thomas Lucae qui a. 1494 fuerat conventualis Montis Catini ac deinde paucis annis exceptis fere semper prior eiusdem conventus qui tamen paucis religiosis, (tribus vel quatuor) consistebat. Insuper pluries fuit diffinitor provincialis.

Pro 1. Socio Castellae Fr. Joannes Brixana elegit eundem.

Pro 2. Socio Baptista de Marignano elegit eundem.

Pro 1. Socio Portugalliae Fr. Baptista Vincentinus elegit euudem.

Pro 2. Socio Fr. Anthonius Venetus elegit eundem.

Et quia R.mus Mag. Nicolaus Audet habuit omnes voces nemine discrepante, ideo remansit, et fuit, ac est Prior Generalis dicti Ordinis; ac post eius acceptationem, praesente toto Capitulo, fuit confirmatus, ad Laudem Dei, et honorem Virginis gloriosae, ac profectum antedictae Religionis.

Et statim dictus R.mus M. Nicolaus Audet sic electus et confirmatus Generalis dicti Ordinis, electionem et confirmationem, ut supra de sua Persona factam, humiliter acceptavit, vigore Litterarum Apostolicarum Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Clementis Divina providentia Papae VII, in forma Brevis Annulo Piscatoris signatarum, et sibi directarum sub Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 25ª Aprilis 1524, Pontificatus sui Anno primo, prius auctoritate Apostolica supplendo, interponendo, et exequendo in suprascripta Capituli celebratione voces, seu numerum vocum Vicariorum Provincialium, Priorum, vel aliorum sociorum nuncupatorum in suprascripta electione vocem habentium, et ad dictum Generale Capitulum, ut moris est vocandorum, illius celebrationi et electioni suprascriptae interesse contemnentium, aut negligentium, seu non valentium, prout, tenore praesentium, supplet, interponit, et exequitur; ad Laudem Omnipotentis Dei, et gloriosae Matris eius Virginis Mariae.

Quo ad electionem Reverendorum Provincialium.

In primis in Provincia Terrae Sanctae ordinamus Ven. Lectorem Fratrem Joannem Audet (1). In Prov. Siciliae ordinamus R. M. Franciscum Mangum. In Prov. Romae ordinamus R. Magistrum Angelum de Marco. In Prov. Lombardiae ordinamus R. M. Octavianum de Soncino. In Prov. Tusciae ordinamus Reverendum M. Angelum de Catestinis. (98-**v.**) In Prov. Venetiarum ordinamus R. M. Albertum Vincentinum. In Prov. Cathaloniae ordinamus R. M. Franciscum Pla. In Prov. Neapolitana

---

(1) Joannes Audet. Illustris sacrarum litterarum professor, ait Balaeus.

confirmaverunt R. M. Aloizium Sansonum. In Prov. Romandiolae ordinamus R. Raphaelem Leonardi (1). In Prov. Apuliae ordinamus R. Joannem de Navaria (2). In Prov. Bethicae ordinamus V. Fratrem Petrum de Chaves (3) Baccalarium.

Institutionem vero aliorum R.dorum Provincialium, quia Provinciae non miserunt Socios debitos, ac Diffinitores ad Generale Capitulum, remiserunt Patres Diffinitores in pectore R.mi Patris Generalis.

Quo ad Priores immediate subiectos R.mo Patri Generali et quo ad Procuratorem Ordinis.

In primis ordinaverunt Priorem in Conventu Transpontinae Ven. Fratrem Cassianum Imolensem. In Conventu Parisiensi ordinaverunt ad voluntatem R.mi Patris Generalis. Procuratorem Ordinis ordinaverunt R.mum Mag. Stephanum de Brixia (4). In Conventu nostro Neapolitano ordinaverunt ad voluntatem Reverendissimi Patris Generalis. Item ordinaverunt in Socios Reverendissimi Patris Generalis: in primum R. Mag. Petrum de Judaica, et in secundum R. Mag. Franciscum Pilatum.

Quo ad Studia generalia, et Regentes.

In Conventibus ultramontanis, scilicet Parisiensi etc. secundum quod disposuerit R.mus Pater Generalis in sua visitatione. In Conventu Bononiae ordinaverunt ad votum R.mi Patris Generalis. In Conventu Paduae similiter ad votum ipsius. In Conventu Papiae ordinaverunt R. M. Archangelum Papiensem (5).

---

(1) Raphael Leonardi. De Catastanis.

(2) Joannes de Novaria. Seu Navaria.

(3) Petrus de Chaves. Probabiliter idem qui supra Petrus Hispanus vocatur.

(4) Stephanus de Brixia. De Confortis.

(5) Archangelus Papiensis. In visitatione conventus Papiensis, 26 Oct. 1567 Joh. Baptista Rubeo « confessus coram omnibus ipse R.mus pater se fore debitorem R.o quondam mag.ro Archangelo in summam 99 scutorum quae ab ipso mutuo acceperat pro celebrandis comitiis generalibus Romae. Et dixit se velle eam summam restituere, non quidem conventui ut illa pecunia gauderet, sed de ea pecunia velle fieri sepulchrum seu monumentum super corpus ipsius defuncti R. mag. Archangeli ; et vas argenteum ad reponendum Sanctissimum Corpus Domini N. Jhu. Xpi, et alia ad divinum cultum necessaria pro ecclesiae decore et ornamento. . . . Die prima Nov. in medium

In Conventum Pisarum ordinaverunt R. M. Dominicum (1) Florentinum.

In Conventu Senarum ordinaverunt R. M. Julianum (2) Pratensem.

In Conventu Romano ad voluntatem R.mi Patris Generalis.

In Conventu Perusii R. M. Franciscum Bongium.

In Conventu Neapolitano ad voluntatem R. Patris Generalis.

In Conventu Palermi R. M. Philippum de Mirabellis.

In Conventu Catinae (3) ad electionem Provinciae vel Provincialis Siciliae. In Conv. Cremonae ad voluntatem R.mi P. Generalis, vel Provincialis.

Quo ad Promotiones ad Gradus.

---

produxit 28 scuta auri de pecuniis mutuo acceptis a quondam mag.ro Archangelo, scil. 22 scuta pro sepultura super ipsius defuncti corpus facienda, et alia sex pro reparatione calicum sacristiae quam pecuniae summam accepit prior conservandam pro satisfaciendis sculptoribus et aurificibus ».

(1) Dominicus Florentinus. Dominicus Maximini.

(2) Julianus Pratensis. Fuit is Julianus de Ristorio. A. 1512 cum aliis promotus fuit Julianus Pratensis (in marg. additur manu saec. XVII, « insignis ille mathematicus et astrologus ») ad studium Senense quamprimum conventus ille possit eos recipere, cum provisione trium florenorum pro rata praesentiae suae accipiendorum. 1513 fuit studens Florentiae, 1516 Romae cum 3 ducatis ; 17 promotus in studio Pisano ibidemque praedicator, 18 ibidem subprior et confirmatur in studio, 19 baccalaureus, prior Pisis, regens studii, 1520 quartus diff., prior ibidem et regens, 21 privatur provisione cum iam sex annos studii compleverit, 22 Magister, primus diff., prior Florentiae et praedicator Montis Catini, 24 praedicator Pisarum, regens Senis cum duobus ducatis, debeat legere secundum qualitatem studentium ; 25 quartus diff. regens Senis, praedicator Florentiae. Cum annis 1530 et sequentibus capitulum provinciale celebrari nequiverit ob bella et calamitates Julianus noster nominatus fuit vicarius provincialis, vacante officio provincialis, sed tandem 1533 usque 36 provincialem agebat ; 36 primus diff. et primus socius pro capitulo generali, 38 secundus diff. Obiit 7 Dec. 1557 aetatis 64. Natus fuerat iuxta Francisci Junctini Commentarium in Ptolemaeum, Lugduni. 1581, t. I, 172, 25 Junii 1492, 19 h. 44 min. p. m. Multa de ipso in praecitato opere cum Junctinus Ristorii discipulus fuerit.

(3) Catinae. Legas Cataniae.

Promoverunt in primis ad Gradum Magisterii inclusive Venerabilem Baccallarium Fratrem Vincentium de Bellissimo.

Item promoverunt ad eundem Gradum Magisterii Venerabilem Baccallarium Fratrem Jo. Andream de Bassignana.

Item promoverunt ad eundem Gradum Magisterii Venerabilem Baccallarium Fratrem Angelum de Modica.

Quo ad alios gradus.

Ordinaverunt ad Gradum Baccalarii Venerabilem Fratrem Joannem Gambinum Siculum, ad legendum Sententias et alios Actus Scholasticos faciendum, usque ad Gradum Magisterii exclusive.

(99-r.) Quo ad Promotiones Studentium.

In primis quoad Studium Patavinum promoverunt ad studendum per tres annos Fr. Paulum Soncinum. Item Fr. Stephanum Cremonensem. Item Fr. Pontium Cremonensem. Item Fr. Bartholomeum Siculum de Almerigo. Promoverunt etiam Fr. Alphonsum Monoz (1) Provinciae Castellae.

Quo ad Studium Senarum.

Promoverunt ad studendum per tres annos Fr. Hipolitum de Sirucina. Item Fr. Joannem Baptistam Ravennatem (2). Item Fr. Albertum (3) et Fr. Jo. Maria Venetos. Item Fr. Leandrum (4), et Fr. Pacificum Patavinum.

---

(1) Alfonsus Monoz. A Balaeo qui schedam male scriptam prae oculis habuisse videtur Ollethonius Nunquam nuncupatus. Quamvis praeter provincias italas et Cataloniensem nulla in isto capitulo comparuerit ac perinde illarum negotia nequaquam pertractata fuerint religiosus iste e provincia Castellae oriundus iam ante capitulum Paduae studiis operam navaverat et propterea in illo studio confirmatus fuit; videtur ibidem magisterium suscepisse, probabiliter circa annum 1530, quamvis in quodam documento anni 1548 tantummodo « bachiller » vocetur, alias tamen ab a. 1532 semper magister. Fuit provincialis Castiliae ab a. 1531 usque 1536, postea, saltem a. 1543, probabiliter tamen per plures annos, prior Abulensis; secundo provincialis 1543 usque 46, ac denuo 1556 et 57, et tanden 1567. Cetera nos latent.

(2) Joannes Baptista Ravennates. Cave ne confundas cum Joanne Baptista Ravennate, Rossi seu Rubeo dicto, qui tempore capituli istius vix novitius erat.

(3) Albertus (Venetus?).

(4) Leander (Patavinus?).

Quo ad Studium Papiense.

Ordinaverunt per tres annos ad studendum Fr. Felicem. Item Fr. Clementem de Rominengo. Item Fr. Bedam Astensem. Item Fr. Angelum Salernitanum.

Quo ad Studium Neapolitanum.

Promoverunt studentes per tres annos Fr. Joannem Barolitanum, et Fr. Anthonium Gritaliensem. Item Fr. Anthoninum de Xichilo Siculum. Item Fr. Angelum de Paulo Siculum. Item Ven. Fr. Vincentium de Leone Siculum. Item Fr. Jacobum Dominici, et Fr. Jacobum de Parma.

Quo ad Reformationem totius Religionis.

In primis ordinamus, quod tota et universa Religio reformetur; quia et urget necessitas quod omnino reformetur; et ita placet Sanctissimo D.no N.ro Papae; qui per Litteras suas in forma Brevis hortatur nos ad universam Reformationem, et praecepit. Modum autem Reformationis expressimus in uno capite addito octo capitulis editis per R.mum Patrem Generalem, dum esset Vicarius Generalis.

Quia post Capitulum Generale celebratum Senis, aliqui ex Diffinitoribus Capituli Generalis accesserunt Mantuam ad Reverendum et Ill.mum D. Protectorem, pro tractando negotio Officii Provincialatus ad triennium dumtaxat determinati per fel. record. Leonem X, et ibi seorsum sine R.mo et Ill.mo Domino Protectore, sine etiam agente eius vices in Conventu Mantuae, ex profectis minor quidem pars decrevit et tractavit quaedam impertinentia; quae indebite et iniuste fuisse decreta; tum multis rationibus, ex hoc manifeste constat, quod fere nusquam fuere servata; ordinamus atque decernimus, quod quaecumque in dicto Conventu Mantuae per eosdem fuere determinata, tanquam a minori parte, et inconsiderate, sint irrita, cassa et abolita, quae nos Ordinis et Apostolica nobis auctoritate concessa irritamus, cassamus, abolemus et annullamus, et perinde ac infecta esse declaramus.

(99-v.) In primis autem volumus et ordinamus quod Reverendissimus Pater Ordinis iuxta antiquas consuetudines et Constitutiones Nostrae Sacrae Religionis, confirmet et confirmare debeat Provinciales electos; et omnes et singuli Provinciales electi et eligendi, nullo modo debeant exercere Officium Provincialatus, nisi obtenta prius confirmatione ab eodem R.mo Patre Ordinis, iuxta antiquissima Ordinis Statuta.

Item ordinamus atque decernimus, quod R.mus Mag. Ordinis habeat pro taxa in sua visitatione totam taxam Provinciae cum caeteris Provinciali dari solitam, quam visitabit, non obstante quacumque Constitutione facta Mantuae.

Item ordinamus, sic iubente Sanctissimo D.no Nostro, quod pro aedificatione, et nova constructione Templi, et Conventus Romani, totus Ordo contribuat in hunc modum; videlicet, quod quaelibet Provincia in quattuor annis solvat ad summam duarum taxarum; solvatur partim a Conventibus, partim a Fratribus taxandis, iuxta arbitrium R.di Provincialis et Diffinitorum Capituli Provincialis, vel per personam ab eisdem deputatam.

CAPUT UNUM
CONTINENS MODUM REFORMATIONIS EDITUM (1).

Cum Sanctitas D.ni Nostri D. divina clementia et providentia Clementis Papae VII, per Litteras suas in forma Brevis, paterna quadam Charitate permota, nos in hac Christianissima Venetiarum Urbe ad celebrandum Capitulum Generale congregatos, Anno Domini 1524, die 8 mensis Maii, hortata fuerit, ut radicitus evulsis sentibus, Sacrae Religionis agrum fructiferis conseramus plantis, et universalem Reformationem in Ordinem reducamus, piis et paternis hortationibus accensi, unanimiter et concorditer, eidem Sanctissimo Domino Nostro obtemperare pro ut debemus pie volentes; decernimus, quod vita Fratrum nostrorum et nostra in universo Ordine reformetur, ad honorem Dei et Virginis, et ad conservationem et augmentum nostri Sacri Ordinis.

In primis autem et ante omnia, Dei cultum prae oculis habentes, ordinamus, quod prima et praecipua Ordinis Reformatio consistat, et consistere debeat circa Divinum Officium celebrandum gravius et severius, more Reformatorum et Observantiae Fratrum, et compellantur Fratres quibuscumque modis, quod Officium de caetero celebrent, et celebrare debeant in toto Ordine nostro, iuxta emendationem et correctionem per nos factam; et nullus, cuiuscumque gradus aut conditionis existat, praesumat corrigere, seu corrigi facere, seu imprimere aut imprimi facere Breviaria secun-

---

(1) In Constitutionibus 1573 plura mutata sunt iuxta temporis opportunitatem.

dum Ordinem nostrum, sive Missalia, seu alia similia ad Divinum Officium expectantia, nisi petita prius et obtenta facultate a Priore Generali; et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae, et depositionis ab Officio, Gradu et Dignitate ipso facto.

Item, quod non sine verecundia fateri cogimur, Fratres Ordinis nostri ceremonias Divini cultus oblivioni fere penitus tradiderunt; et nonnulli, seu ob animi elationem, seu ob malam consuetudinem, etiam in oculis Dei, intra Sancta Sanctorum, debitas prostrationes exequi dedignantur; imo, quod peius est, relicto veteri Religionis et Patrum Ordinario suo pro libitu proprios sensus sequentes, saepe necessaria supprimunt, et saepius superflua proferunt in Divinis; Ordinamus, et praecipiendo districte mandamus Prioribus Localibus in toto Ordine nostro, sub poena depositionis ab eorum Officiis, ut diligenter avertant, et curent ut Fratres sub eorum cura constituti, sint ceremoniales iuxta formam Ordinarii, et observatores uniformitatis, nec aliquo modo appareat difformitas seu discrepantia Fratrum in celebrandis Missis, et dicendis Officiis seu in ceremoniis peragendis. Decernentes, quod Priores Provinciales teneantur in Visitationibus suis examinare singulos Fratres circa Ordinarium, et circa ceremonias Missarum, atque Officiorum, et compellere eos ad uniformitatem.

Item, cum primis et ante omnia ordinamus quod omnes et singuli Fratres nostri recipiant, et observent Constitutiones nuper editas per Reverendissimum tunc Vicarium Generalem Magistrum Nicolaum Audet, approbatas a Sanctitate Domini Nostri (100-**r.**) et confirmatas, et similiter Constitutiones antiquas Ordinis per quondam piae memoriae M. Generalem Joannem Soreth compilatas, eo modo quo per nos Apostolica nobis auctoritate concessa, fuerunt correctae, et emendatae, atque ad meliorem et approbatiorem formam redactae.

Item. quia fundamentum Reformationis est communis vita, nec ullo modo regulariter et vere religiose vivere iudicari poterunt, qui minus ablato proprietatis usu, communiter vivere negligunt, volentes gradatim etiam minus assuetos religiosis moribus ad Regulae observationem reducere. Ordinamus, quod in qualibet Provincia constituantur aliqui Conventus pro totaliter Reformatis; in quibus sint bene Reformati Fratres, habeant omnia necessaria, iuxta Regulam, et nihil proprietatis, et nullius proventus usufructum possideant, sed in omnibus communiter vi-

vant; omnia tam ex Missis quam ex Confessionibus, et aliis erogata communibus usibus Conventuum applicando. Aliqui vero Conventus sint pro illis, qui nunc primum inducuntur ad Reformationem; in quibus quidem Conventibus, de licentia Prioris Generalis, poterunt aliqui possidere usumfructum eorum, quae voluntate, seu haereditario iure ad ipsos pervenerunt; et quae Lectionum, Praedicationum, et similium Studiorum laboribus conquiruntur: Reliqua vero omnia, tam certa quam incerta emolumenta, convertantur ad usus communes Conventuum; nec amplius in aliquo Conventu nostri Ordinis sit, aut esse debeat capsa communis Missarum seu quorumcumque aliorum emolumentorum, ex certo vel incerto provenientium proventu; sed omnia talia et singula, prout expressum est, convertantur ad usus communes; et ipsi Conventus faciant expensas convenientes Fratribus, quoad victum, secundum facultates suas, omnes tamen aequaliter tractando: quo vero ad vestitum, pro vestuario dent sacerdotibus secundum quod per Capitulum Provinciale fuerit taxatum, iuxta facultatem Conventuum, si non fuerint Confessores; si vero Confessores extiterint, nihil eis exhibeatur pro vestuario; imò, secundum quod ipsi Confessores iudicati fuerint per saniorem partem Conventus, teneantur partem eleemosynarum, quas habent, convertere ad beneficium universitatis communis. Declarantes quod Fratribus nondum ad Sacerdotium provectis semper teneantur Conventus de vestiario providere.

Item ordinamus, quod in Conventibus superius expressis, in quibus concedi poterit ususfructus de acquisitis (ut iam expressum est) teneantur Procuratores Conventuum servire omnibus et singulis Fratribus in emendis seu expectantibus ad vestitum, seu quaecumque ad victum. Ita quod nullo modo liceat alicui ex Fratribus modo aliquo, seu casu aliquo, emere aliquid de praedictis. Et si aliqui cuperent praesentes intueri emptionem per se faciendam, Priores, data opportunitate, dent eos in sócios Procuratoribus, quibuscum sic accedant, ut nullo modo deprehendi valeat privata emptio, sed publica; nihil est enim quod magis sit cavendum, quam ne saeculares scandalizentur; nec est aliud cum primis magis curandum, quam ut mundus bene aedificetur, et discat semper honestatis exempla atque imitetur Religiosorum vestigia.

Item ordinamus, quod in omnibus Conventibus nostri sacri

Ordinis constituatur forma vestimentorum, et habitus iuxta mores Fratrum nostrorum regularis observantiae, et in hoc non differant totaliter Reformati a minus Reformatis, sed omnes deferant honestum habitum in omnibus similem Fratribus Reformatis, quo ad quantitatem, et omnimodam similitudinem; non autem quo ad colorem; hoc est portent tunicam usque ad talos cum manicis non multum amplis, et sit caputium breve, et ángustum, et patientia seu scapulare brevius tunica, more Observantum. Cum primis autem statuimus, et decernímus, quod tunicis, capis et habitibus redactis ad formam superius expressam, et consumptis in praesentiarum possessis, et habitis, de caetero non portentur nisi de panno mediocri, vel de rassia, seu de staminea, quae in Italia dicitur simplex sargia, vulgo Hispani stamineam appellant. Ita quod in singulis Conventibus et Provinciis sit uniformitas et quo ad pretium et quo ad colorem; ita et taliter quod Fratres nostri videantur alii, et ex manifesta correctione, et reformatione habitus appareant, ut cognoscatur correctio, et emendatio vitae. Declarantes quod si post possessas et modo habitas vestes aliquis, cuiuscumque Gradus, dignitatis, aut conditionis (100-v.) extiterit, ausus fuerit de panno pretioso, seu de duplici sargia, quae ab Italis saia rasa dicitur, difformiter sibi vestes fieri curaverit; ultro quod volumus ei anathema esse, maledictionem Omnipotentis Dei incursurum, eundem excommunicationis latae sententiae poena plectendum iudicamus, et iudicatum praesenti nostro Decreto pronuntiamus. Praecipientes omnibus et singulis nostrae professionis Fratribus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, et Gradus, ut amodo nullas omnino vestes fieri curent, nisi astante et vidente Priore, vel substituto per Priorem; et nemo audeat de Apotecis aliis, nisi per Conventum deputatis, vocari facere Magistros ad faciendas et consuendas vestes. Statuentes insuper quod non solum tunicae, Caputia, Scapularia et Capae fiant ut superius expressum est, sub poena etiam rebellionis commissae in personam Generalis et Diffinitorum; sed etiam omnia indumenta, quae sub tunicis ad arcendum frigus deferuntur, sint honesta, et eiusdem coloris, albi vel nigri, seu grisei. Inhibentes omnibus nobis inferioribus, cuiuscumque Gradus et conditionis extiterint, caligas, diploides deferendas more saecularium, sed habeatur forma honesta, ad necessitatem senum, infirmorum et debilium. In praemissis excipimus autem R.m Re-

ligionis Patrem, qui propter Officii sui excellentiam, ne Dignitas vilescat apud R.mos D.nos Cardinales, uti possit vestibus quibus utuntur R.mi Generales Religionum Reformatarum, et cum simili gravitate, iuxta prudentiam et sapientiam suam. Et similiter deferant calceos religiosos altitudinis ultra quattuor digitos per transversum semper extra domum; in Domibus vero, more Religiosorum possint deferre socularia honesta, seu sandalia. Decernentes quod nullus ex Fratribus, cuiuscumque Gradus aut conditionis existat, possit aut valeat ordinare sibi fieri vestimenta, seu caligas, seu socularia, nisi per Procuratorem Conventus in Apotecis per Conventum deputatis.

Item ordinamus quod in omnibus Conventibus Fratres nostri a modo non portent bursas, marsupia seu crumenas, vulgo scarsellas pendentes de zona, vel cingulo tunicae, et apparentes, nec cultros, seu aliud pertinens minus ad vitam reformatam: argenteos vero cultros, et zonas argenteas fibras habentes, et marsupia serica, et chirothecas, exceptis equitantibus, extra Urbem, quibus conceduntur honestae chirothecae; exceptis etiam senibus, quibus tempore frigoris conceduntur de lana ad necessitatem; et omnibus aliis sic inhibemus, ut si qui inventi fuerint transgressores praemissorum, carceri mancipentur per mensem in abstinentia pro arbitrio Priorum decernenda.

Item ordinamus, quod in omnibus Conventibus sint ordinatae tonstrinae, ut fratres nullo modo accedere possint ad tonstrinas extra Monasteria; sed in ipsis Monasteriis habeantur tonstrinae, in quibus fratres a tonsoribus per ipsos Conventus deputatis tonderi debeant et possint. Advertant autem Priores, quod capillaturae Fratrum non excedant duos digitos per transversum, et sint tam in coronis quam in aliis uniformes; et quod nullus Conversus seu Fratrer Laicus possit portare coronam. Çassantes et annullantes omnes abusiones per quorumcumque Superiorum gratias introductas.

Item ordinamus, quod nemo de caetero audeat nutrire barbam, et eam hactenus deferentes, sine dilatione deponant, sub poena rebellionis, nisi forte aliquis haberet ulcera deformia in facie, qui humiliter petierit de gratia speciali a Superioribus, videlicet Provincialibus, vel eorum Vicariis. Praecipientes, ipsis Mag. Provincialibus, ut ob nullam aliam causam permittant a quovis barbam nutriri; et hoc sub poena suspensionis ab eorum Officiis

per sex menses. Excipitur R.mus Mag. Ordinis, tum quia est ex partibus orientalibus, et Praelati orientales deferunt barbam propter amissionem Terrae Sanctae, tum quia fuit saepe Romae eodem modo, et visus est pluries a Sanctissimo D.no N.ro, et propter multas alias rationes.

(101-r.) Item ordinamus, quod in quolibet Conventu nostri sacri Ordinis, quia plus vident oculi quam oculus, quo ad effectum ordinentur Coadiutores Prioris, et non solum in expressis, sed etiam in omnibus et singulis contentis in Constitutionibus nuper editis per R.mum Vicarium Generalem; et similiter in antiquis Constitutionibus Ordinis, tam Priores quam dicti Coadiutores, seu Magistri Reformationum faciant, quod Fratres assuescant tenere manus sub patientia, seu scapulari, et discere tam gestus quam mores, tam in Monasteriis quam extra Monasteria, et tam sedendo quam incedendo spectantes ad Fratres Regularis Observantiae, et Reformatos.

Item ordinamus, quod amodo tam equitantes quam quomodolibet aliter, nullo modo utantur palliis nigris, seu pileis nigris, sed amodo omnes per universum Ordinem utantur albis pileis et palliis albis.

Item ordinamus cum primis similiter et ante omnia, quod claudantur omnes et singuli Conventus nostri ita et taliter quod quoad clausuram in nullo differant magis Reformati a minus Reformatis, sed omnes quoad portas clausas videantur eiusdem conditionis, atque perfectionis. In hoc certe minime tolerari debent qui infirmitate excusationem proferunt; cum nemo sit tam incompositis moribus, qui claustralem non possit et non debeat vitam servare, cum multa inde commoda, et nulla proveniant incommoda; et sit certissimum, quod, licet principio videatur minus assuetis valde difficilis, tamen, brevi temporis momento cum caeperint assuescere, non modo videbitur facilis, sed sponte suscipietur.

Item ordinamus, quod in qualibet Provincia ordinentur et instituantur Novitiatus in Conventibus, in quibus commodius ordinari et institui poterunt; et nullo modo suscipiantur Novitii de caetero, nisi secundum ordinationes R.mi M. Nicolai Audet tunc Vicarii Generalis.

Item ordinamus, quod, iuxta Statutum R.mi M. Nicolai Audet tunc Vicarii Generalis, nuper editum, a modo non recipiantur Fratres in Ordine, nisi excesserint quartum decimum an-

num, sed detineri poterunt in clausuris Novitiatuum; si autem non poterunt retineri in clausuris, pro ut in Conventibus Villarum, non recipiantur aut recipi possint, nisi excesserint annum decimum octavum. In primis autem, ob multos respectus et rationabiles causas, constituimus, ac decernimus, quod usque ad triennium in Italia nullo modo recipiantur, aut recipi possint Fratres in Ordine nostro, nisi data prius notitia R.mo Patri Generali et obtenta ab eo facultate.

Item, ad hoc ut Religio decoretur, et illustretur suis luminibus, ordinamus quod R.mus Mag. Ordinis in visitatione procuret ut habeantur solemniores Doctores, qui scripserunt in Sententias, et qui Opera alia ediderunt; et habito maturo consilio, imprimi faciat meliora; praecipue vero informari, et in melius reduci procuret Joannem Bachonis, et Michaelem Bononiensem, cum eorum Tabulis.

Item ordinamus, quod revocentur omnes studentes, qui ultra triennium permanserunt in studiis inutiliter, et sine aliquo profectu, et remittantur ad Conventus suos, ne ulterius occupent locum aliorum. Et de caetero nemo promoveatur ad Studium, nisi prius per Capitulum Provinciale recognoscatur eius futurus profectus.

Item, quia R.mi Religionis Patres usque adeo relaxarunt habenas in concedendis Gradibus, quod nonnulli sine aliquibus meritis, nedum sine Litteris existunt in Gradibus constituti; qui propter ignorantiam, quae est errorum mater, proterviunt supra modum, et confundunt Religionem, imo dehonestant: Ordinamus, quod omnes et singuli Graduati post Capitulum Romanum, a quibuscumque in Gradibus constituti, non gaudeant, neque gaudere possint emolumentis Magistrorum, neque commodis expressis in Rubrica Graduatorum, neque sint aequales illis qui diuturnis laboribus et vigiliis, et secundum merita ordinis, ac legitime ad Gradus pervenerint: sint tamen, de gratia Religionis, alias honorati in Gradibus sibi concessis: declarantes illo legitime intelligi provectos ad Gradus, qui aut legerunt aut publice disputaverunt vel per tres Quadragesimas in Urbibus praedicaverunt; vel etiam qui sunt, aut fuerunt Magistri Provinciales in Ordine: Et hoc intelligi potest de iam admissis. De caetero autem nemo promoveatur ad Gradum Magisterii, nisi debite, secundum statuta Ordinis promoveri possit per Cursum.

(101-v.) Item ordinamus, quod Mag.ri Prov.les nullo modo possint promovere ad Lectoratum, nec valeant Jubileos in Provinciis eis creditis, nisi secundum formam Constitutionum nostrarum, et hoc fieri debeat a R.mo Patre Generali.

Item quia sunt multi Patres in Ordine nostro aetate et moribus Venerabiles, et Religionis Benefactores; qui non valentes Gradus assequi legitime, eo quod non fuerint in Studiis; ne remaneant abiecti, ordinamus quod de caetero sit quidam honorabilis Gradus inter Graduatos actu legentes, et simplices Fratres, qui concernat Paternitatem; et sit distinctio inter Patres et Filios Ordinis; quo Gradu decorati praecedant omnes simplices sacerdotes, et habeant locum semper in decernendis rebus Conventus, cum Discretis Conventus. Declarantes quoad tales Venerabiles Patres instituantur a solo Priore Generali; et non nisi quatuor, et de melioribus in quolibet Conventu. Decernentes quod tales Venerabiles Patres habeant locum et vocem immediate post Magistros.

Item ordinamus, quod omnes Conventus totius Ordinis, qui possunt nutrire decem Sacerdotes, debeant tenere unum Regentem, qui obligetur quotidie legere unam lectionem in Scripturis Sacris, et illam tam aperte declarare, quod etiam simplices intelligant; ad quam audiendam compellantur quotidie omnes Fratres. Et advertendum est quod dicti Regentes sint sufficientes ad comparendum in locis publicis, ad decorandum Ordinem.

Item ordinamus, quod omnes et singuli Conventus Ordinis nostri, qui possunt nutrire octo Fratres, teneantur, et debeant semper manutenere unum Studentem in Artibus, et ei subsidium dare; et hoc ut in Sacro Ordine crescant virtutes quibus illustratur Religio.

Item ordinamus, pro pace et concordia Ordinis, quod Fratres Congregationum et Fratres de Observantia nuncupatorum nostri Ordinis, etsi cum dimissoriis suorum Superiorum ad Provincias aliquas transierint, nullo modo recipiantur, sine licentia expressa Prioris Generalis.

Item, quia Conventus Neapolitanus inter caeteros in Italia obtinet Principatum, iustum est et expediens, ut eius curam habeant speciales Religionis Patres; ordinamus quod R.mus Magister Ordinis aperiat semper oculos, et mentem intendat, ut dictus Conventus bene et rationabiliter gubernetur, et in eo de-

putentur capita immediate per ipsum, quae sint digna regimine tantae Domus, et crescat devotionis celebritas, et augeatur in dies Christi-fidelium concursus, Conventum Neapolitanum posuerunt in pectore R.mi Patris Generalis, qui post completum annum Ven.di Prioris nunc existentis Fratris Francisci (1) Neapolitani ordinabit in Priorem Mag.rum Franciscum de Rovoreto Provinciae Venetae.

Item ordinamus quod R.mus M. Generalis manens in Curia habeat provisiones panis et vini, seu tritici et vini, pro se et familia, videlicet duobus sociis et famulo, a Conventibus sub suo regimine immediate constitutis. Et si Conventus Romanus, propter debita multa quibus gravatur, non possit eis talia ministrare, teneatur alter Conventuum ei providere in praedictis ; quia iustum est et rationi consonum, quod Religionis Patri non desint in Curia pro Ordine manenti et laboranti, quae etiam simplicibus Fratribus in qualibet Domo nostrae Religionis affluenter suppetunt.

Item ordinamus, quod quia tempore opportuno non fuit allatum Sigillum Generalis Capituli, quod de caetero sigillum universitatis et ipsius Generalis Capituli sit nuper ordinatum rotundum, scilicet cum Imagine Beatae Virginis sedentis in throno, et habentis Salvatorem in sinu a sinistris, et duas Sanctorum Imagines throno astantes, videlicet Praecursorem Sanctissimum a dextris, et Sancti Patris nostri Alberti a sinistris : inferius vero Imagines sex Fratrum Ordinis genuflectentium, et Virgini supplicantium; in cuius sigilli orbita, sive circumferentia, exprimuntur haec verba : Sigillum Capituli Generalis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmeli.

Item ordinamus, quod si quis Frater emiserit professionem in aliquo Conventu, et deinde se transtulerit ad manendum per longum tempus in alio Conventu, et ibi moram traxerit per decennium et ultra, quod in morte illius Fratris bonorum remanentium duae partes sint illius Conventus ubi traxit longam moram, ut supra, et tertia pars illorum bonorum sit Conventus ubi Professionem emisit. Si vero talis Frater non compleverit in alio Conventu decennium, sed per longum tempus, et ibi mortuus fuerit ante decennium, tunc duae partes bonorum relicto-

(1) I. e. de Mango.

rum erunt Conventus cuius est filius, et tertia pars erit illius Conventus ubi ille Frater mortuus fuerit.

(102-r.) Item, quia solet esse contentio inter Fratres Ordinis de tempore praesidentiae; Declaramus quod praesidentia incipiat a die emissae professionis, non autem ab ingressu Religionis, et suscepti habitus; et hoc in simplicibus, non autem in Patribus Conventus declaratur per R.mum Patrem Generalem, et aliis Graduatis; quorum illi praecedant qui priores ad Gradum fuerint assumpti.

Quo ad Condemnationes.

Condemnamus M. Stephanum Jovensi (1) Narbonensem, tanquam contumacem et rebellem, et tanquam conspiratorem et perturbatorem pacis nostri Sacri Ordinis; Volentes et declarantes eundem subiici poenis per R.mum Patrem Ordinis, iuxta Ordinis

---

(1) Stephanus Jovensi. Supra 1517. E conventu Miniatensi oriundus, doctor Montis Pessulani, provincialis Narbonae post Michaelem Parini, i. e. ab a. 1517. Juxta decretum capituli 1517 proximum celebrandum erat Lugduni a. 1523. At mense Martio illius anni Bernardinus Senensis prior generalis morte extinctus est, unde secundum Ordinis statuta provincialis Narbonae ipso facto vicarius generalis evasit in cuius manibus liber Ordinis necnon sigillum capituli generalis erant, cum onere convocandi capitulum eique praesidendi usque ad electionem novi generalis. At vero Adrianus VI motu proprio Heliodorum Senensem, nepotem generalis defuncti et procuratorem Ordinis in curia romana Vicarium generalem nominavit, et cum is paulo post obiisset in eius locum Nicolaum Audet substituit; post mortem vero Adriani Clemens VII idipsum confirmavit (23 Julii 1523, 1 Dec. 1523, cf. Bullar. t. II, XIX, et 1). Quamobrem Nicol. Audet capitulum pro festo Pentecostis Venetias convocavit, quibus non obstantibus, Stephanus Jovensis sese tamquam vicarium generalem gerens capitulum a Lugduno ubi pestis grassabatur in Montem Pessulanum movit ibique celebravit, in quo ipse generalis electus fuit, ita ut eodem tempore duo capitula generalia celebrarentur, et schisma in Ordinem invectum fuerit quod duobus annis et amplius perduravit. Jam antea Clemens VII declaraverat Stephanum nullatenus vicarium generalem esse (26 Jan. 1524), capitulum Venetum confirmavit per anticipationem (2 Apr. 1524), Montispessulanum cassavit (23 Julii 1524), electionem Stephani irritam pronuntiavit (10 Junii 1525), controversiam inter ipsum ac Nicolaum diremit (12 Jan. 1526), Nicolaum pro visitatione gallica contra Stephanum munivit (4 Sept. 1526), et appellationem Stephani frivolam declaravit (29 Maji 1529).

Statuta ei infligendas; quem ab Officio Provincialatus absolvimus, et absolutum declaramus; atque usque ad futurum Capitulum Generale ad Officia Ordinis inhabilitamus, et inhabilem esse volumus. Et similiter ad easdem poenas condemnamus omnes et singulos dicto Mag.ro Stephano adhaerentes. Declarantes quod quidquid per ipsum et ipsos factum fuerit, sit irritum et inane, quod omne cassamus, et annullamus, atque pro nihilo haberi volumus.

Quo ad Capitulum Generale.

Capitulum Generale futurum, quia propter bella praesens Capitulum Generale celebrari non potuit cum magno Fratrum numero, et ea cum celebritate qua constare potuisset huic Urbi celeberrimae magnitudo, et splendor nostrae Sacrae Religionis, ad hoc ut innotescat et appareat, ordinamus quod celebretur in Conventu Patavino, Anno D mini M.D.XXX, in die Penthecostes. Volentes tamen quod R.mus Pater Generalis possit illud mutare quo ad locum et tempus, pro ut sibi melius videbitur expedire.

Item ordinamus quod Definitores retineant auctoritatem definiendi etiam per octo dies immediate sequentes, hoc est, usque ad diem XXII instantis mensis, ac omnia in melius commutandi.

Quo ad Determinationes factas per Auditores Causarum.

Inprimis condemnaverunt Conventum Neapolitanum, auditis Sociis et Provinciali dictae Provinciae Neapolitanae, et citatis, ad petitionem R.di M. Francisci de Mango, olim Prov.lis dictae Provinciae ordinati per Capitulum Generale Senis, Anno Domini 1517, propter rebellionem iniuste et indebite factam per Fratres dicti Conventus contra dictum R. M. Franciscum, quia noluerunt illum ex malignitate acceptare, qui mittebatur a Capitulo Generali ad reformandum dictum Conventum; propter quam rebellionem dictus M. Franciscus habuit exbursare, et exponere ad nutriendum se, et Socios, cum equitaturis, et famulo, et lite facta contra eos Neapoli, et Romae, et alibi, ad summam Ducatorum ducentorum sexaginta, et ultra. Ut dictus Conventus Neapolitanus de praedicta summa nobis oblata, et per dictum Mag.rum Franciscum exposita, ut nobis de omnibus praedictis plane constat, solvat tantum dicto Mag.ro Mango Ducatos auri largiter centum in tribus solutionibus infra unum annum; tertiam partem in ultimo Mensis Augusti, anni praesentis 1524, et aliam tertiam partem per totum Mensem Januarii 1525. Et ultimam

tertiam partem immediate per totum Mensem Maii 1525. Quae condemnatio delata ad Diffinitorium; tamquam iusta, per dictos R.dos Magistros Diffinitores fuit approbata, et laudata, reservata tamen actione Conventus volentis agere contra Fratres, qui se rebellaverunt, et noluerunt intromittere et recipere in Conventu dictum R. M. Franciscum, tunc Prov.lem Neapolis, ut super bonis dictorum Fratrum satisfaciat Conventus de dictis Ducatis auri in auro centum solvendis per Conventum, ut supra.

Et ego Fr. Petrus Vareriis (1) Sacrae Theologiae Doctor immeritus Prov.lis Provinciae, fideliter transumpsi de verbo ad verbum praescripta omnia Acta Capituli praedicti Generalis celebrati Venetiis ex libro qui fuit praesentatus, clausus et sigillatus in Diffinitorio huius Capituli quod celebratur Paduae, per R.dos Magistros Prov.lem Venetiarum et Priorem ac Patres Conventus Paduae; in quo Libro fuerant notata omnia suprascripta, propter defectum huius libri Ordinis; qui hora opportuna non potuit deferri ex Narbona ad Capitulum praedictum Generale celebratum Venetiis. Die XIX Maii 1532.

(102 v.) IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Amen.

Haec sunt ordinata et Acta Capituli Generalis in nostro Conventu Paduae Provinciae Venetiarum celebrati, Praesidente Rev.mo Magistro nostro Nicolao Audet ac vitae regularis zelatore ardentissimo, Anno Domini M.D.XXXII in Festo Pentecostes XVIIII Mensis Maii, et praesentibus decem et novem Provincialibus, cum Sociis eorum, et Discretis aliarum Provinciarum, una cum Discreto nostrae Congregationis Albiensis: existente Priore Locali dicti Conventus Paduae Ven.do Patre F.re Stephano Storario.

In primis cum Rev.mus Pater Ordinis praefatus, iuxta tenorem Statuorum nostrorum, humiliter et benignissime posuisset Sigillum Officii cum privilegio etc. Nemo nostrum in minimo eundem incusavit, sed omnes concorditer super genua humillime rogavimus eius R.am P.tem quatenus onus animarum nostrarum cum Sigillo Officii dignaretur acceptare, et reassumere; quod

(1) Apud Balaeum: de Verariis.

tandem ad plurimas nostras preces, in singularem decorem, et profectum nostri Sacri Ordinis reassumpsit.

SEQUUNTUR DIFFINITORES PRAESENTIS CAPITULI GENERALIS.

Primus Diffinitor Prov.alis Siciliae M. Blasius Cervera (1). — 2. Prov.lis Provinciae Narbonae M. Laurentius Crucifixi (2). — 3. Prov.lis Franciae M. Jacobus Pontoise. — 4. Prov.lis Alemaniae Inferioris M. Theodoricus de Gouda (3). — 5. Prov.lis Lombardiae M. Stephanus de Brixia (4). — 6. Prov.lis Aquitaniae M. Petrus Texonnier (5). — 7. Prov.lis Aragoniae M. Jacobus Cassanat. — 8. Prov.lis Provinciae M. Petrus Varerijs. — 9. Socius Prov.lis Scotiae Fr. Alexander Thompson (6). — 10. Prov.lis Tusciae M. Julianus de Prato (7). — 11. Vicarius Prov.lis Provinciae Venetiarum M. Petrus de Forcijs. — 12. Prov.lis Tho-

---

(1) Blasius Cervera. Mag. in s. theol. Apud Balaeum Crovea.

(2) Laurentius Crucifixi. Normannus, doctor Parisiensis, prior Rothomagensis, provincialis Narbonae, vicar. generalis per totam Galliam, disputator acutus et praedicator egregius. Sopito schismate electus 1531; obiit 1537.

(3) Theodoricus de Gouda. Alias Theodoricus Gisberti, seu de Hollandia. Multa de isto praestantissimo religioso apud Koch. l. c., Postina (Eberhard Billick) et auctores Ordinis. Pauca hic addenda. 2 Aug. 1504 habuit licentiam eundi ad magistrum generalem Ordinis (tunc in visitatione in conventu Valentianarum) ex conventu Parisiensi. 29 Junii 1505 fuit factus filius conventus Gandensis de unanimi assensu prioris et fratrum. 16 Julii 1505 habuit licentiam deligendi sibi confessorem quater in anno cum plena potestate absolutionis a reservatis. 26 Julii eiusdem anni ordinatus lector logicae Gandavi per annum, post duos annos lecturus sententias Parisiis vel Lovanii. 10 Dec. 1510 ad instantiam provincialis et diffinitorum absolutus a filiatione conventus Gandensis factus filius conventus Traiectensis cum omnibus facultatibus. Electus provincialis 26 April 1528 remansit in officio usque ad mortem, 1 Sept. 1539 Harlemii.

(4) Stephanus de Brixia. De Confortis.

(5) Petrus Texonnier. Apud Balaeum Texonita.

(6) Alexander Thompson. Secundum Balacum fuit provincialis Scotiae ante Joh. Malconson, i. e. circa a. 1530.

(7) Julianus de Prato. Julianus de Ristorio.

losae M. Salvatus de Quercu. — 13. Prov.lis Cataloniae M. Petrus Bos. — 14. Socius Prov.lis Alemaniae Superioris Fr. Brocardus Zerrer. — 15. Prov.lis Vasconiae M. Vitalis de Luperia. — 16. Prov.lis Turoniae M. Joannes de Cruce (1). — 17. Prov.lis Castellae M. Alphonsus Moñoz. — 18. Socius Provinciae, Neapolitanae Pr. Nicolaus Ambrosius. — 19. Socius Prov.lis Romandiolae M. Cyrillus Legatius (2) — 20. Vicarius Prov.lis Apuliae Fr. Franciscus Alianus (3) de Astono. — 21. Prov.lis Bethices M. Joannes de Leone (4).

Auditores Causarum R.di Magistri nostri Provinciales Provinciarum Lombardiae, Pedemontanae et Neapolitanae, et R.di Magistri nostri Ludovicus Benedicti (5), Calcerandus Cassanhac, et Renatus Bougent.

Director Capituli in temporalibus R.dus Magister Cassianus Imolensis.

(103-r) INSTITUTIO PROVINCIALIUM

In primis Provincialis Provinciae Terrae Sanctae M. Joannes Audet. Siciliae M. Blasius Cervera. Angliae M. Joannes Grieth (6). Narbonae M. Laurentius Crucifixi. Romanae in pectore R.mi Patris Generalis. Franciae M. Jacobus Pontoise usque ad Capitulum futurum Franciae. Alemaniae inferioris M. Theodoricus de Gouda. Lombardiae Magister Stephanus de Brixia. Vicarius Lombardiae, Pedemontanae M. Gaspar Bernerius (7). Aquitaniae M. Petrus Texonnier usque ad Capitulum Pro.ale Dominica Quarta post Pascha celebrandum 1533. Aragoniae M. Jacobus Cassanat usque ad terminum triennii. Provinciae M. Petrus Va-

(1) Joannes de Cruce. Idem qui a. 1517.

(2) Cirillus Legatius. Apud Balaeum Gibrellus Liguorius.

(3) Franciscus Alianus de Astono. 11 Nov. 1507 Franciscus de Alyano fuit factus prior in conventu Murtiane provinciae Appuliae usque ad capitulum generale proximum, item hinc ad quatuor annos.

(4) Joannes de Leone. A. 1528 invenitur in conventu Abulensi Juan de Leon, baccalaureus, sed cum provincia non congruat, agitur sane de diversis eiusdem nominis.

(5) Ludovicus Benedicti. Provinciae Turoniae, supra 1510.

(6) Joannes Grieth. Vere Bird. Supra 1517.

(7) In sequentibus Bernesius.

rerijs. Hiberniae M. Joannes de Hibernia. Scotiae Joannes Malconson (1) Tusciae M. Julianus de Prato (2). Venetiarum M. Petrus de Forcijs. Tholosae M. Salvatus de Quercu usque ad aliam determinationem R.mi Patris Generalis. Cathaloniae M. Petrus Bos. Alemaniae superioris M. Andreas de Ratisbona (3). Vasconiae M. Vitalis de Luperia. Turoniae M. Joannes de Cruce. Castellae M. Alphonsus Moñoz. Saxoniae . . . . Portugaliae in pectore R.mi Patris Generalis. Bohemiae . . . . Neapolitanae M. Aloizius Sansonis. Romandiolae M. Cassianus de Imola. Daciae M. Paulus Dacus (4). Apuliae Ven. Pater Franciscus Alianus. Bethicae M. Joannes de Leone. Procurator Ordinis R.dus M. Egidius Richardi Gandensis. Prior Parisiensis R.dus M. Marchus Probus (5). Prior Romanus in pectore R.mi Patris Generalis. Prior Neapolitanus in pectore R.mi P. Generalis. Similiter Regentia eiusdem Conventus. Regens Parisiensis ex parte Ordinis R.dus M. Marchus Probus. Regens Romanus in pectore R.mi Patris Generalis.

---

(1) Joannes Malconson. 10 Martii 1509 Joh. Malconsomine (sic) habuit confirmationem cuiusdam concessionis sibi concessae per provincialem et diffinitores capituli provincialis Scotiae de conventu Portus Reginae (Queensferry, super flumen Forth prope Edinburgh) usque ad vitam.

(2) Julianus de Prato. De Ristorio.

(3) Andreas de Ratisbona. Fuit is Andreas Stooss qui a. 1502 Cracoviam missus fuit pro studio artium, 1508 fuit tertius informator Viennae, 1510 lector ibidem, 13 usque 19 incl. prior Budensis, et hoc ultimo anno designatur SS. Canonum professor, 22 tertius diff., 24 prior Norimbergensis, 26 vicarius Voitsbergensis et secundus diff. 1529 eligitur in provincialem in quo officio permansit usque ad mortem, in fine anni 1539 vel principio sequentis.

(4) Paulus Dacus. Pawel Heliae, seu Helgesen. Natus circa 1480, a teneris annis Carmelita, primus rector collegii Carmelitarum et Cisterciensium prope Kopenhagam, strenuus defensor catholicae veritatis contra Lutherum eiusque sequaces, provincialis ab a. 1522 usque 1534. Tempus, locus et modus obitus non satis constant, at non immerito autumant nonnulli eum martyrii palmam adeptum fuisse. Cf. Der Karmelit Paulus Heliae, auctore Ludovico Schmitt, S. J. (Friburgi, 1893) et Analecta vol. II.

(5) Marchus Probus. Hannonensis, conventus Valencenarum, pietatis et humilitatis exemplar.

(103-v.) Ordinatio Taxarum pro Statu R.mi Patris, et expensis Ordinis; et hoc ad tempus, donec Provinciae depauperatae propter haeresim Lutheranam redeant ad pristinum statum.

TAXAE ORDINARIAE OMNIUM PROVINCIARUM.

Provincia Terrae Sanctae II Ducat., Siciliae XXVI, Angliae XXXVIII, Narbonae XVI, Romana III, Franciae XV, Alemaniae Inferioris XXIIII, Lombardiae XIIII, Aquitaniae X, Aragoniae V, Hiberniae VI, Provinciae XII, Venetiarum XIIII, Scotiae V, Tusciae XII, Tolosae X propter quatuor Conventus super additos, Cathaloniae VI, Alemaniae Superioris XX, Vasconiae XIIII, Turoniae XVI, Saxoniae III, Castellae III, Portugalliae V, Bohemiae III, Neapolitana VII, Romandiolae II, Apuliae III, Bethices III.

Quia plures Provinciae propter Haeresim Lutheranam nihil contribuunt, hinc ut Status Ordinis sublevetur et integer salvetur, ordinatum est, quod extraordinarie sequentes Provinciae contribuant, iuxta ut sequitur, donec aliae Provinciae ad pinguiorem fortunam pervenerint.

(104-r.) Prov. Lombardiae IIII Ducat., Franciae II, Aragoniae I, Provinciae I, Venetiarum IIII, Tholosae I, Cathaloniae II, Vasconiae II, Turoniae III, Castellae I, Neapolitana IIII, Romandiolae III, Apuliae III, Bethices I.

Divisio Taxarum extraordinariarum pro auxilio fabricae Conventus Sanctae Mariae Transpontinae, solvendarum singulo anno per quinque annos dumtaxat. Prov. Terrae Sanctae II ducat., Siciliae XV, Angliae VI, Narbonae IIII, Franciae V, Alemaniae Inferioris VI, Lombardiae VIIII, Aquitaniae IIII, Aragoniae II, Provinciae II, Hiberniae II, Scotiae II, Tusciae IIII, Venetiarum VIIII, Tholosae II, Cathaloniae III, Vasconiae IIII, Turoniae VI, Castellae I, Portugalliae I, Neapolitana VI, Romandiolae III, Apuliae III, Bethices I.

(104-v.) ORDO STUDENTIUM IN ALMA UNIVERSITATE PARISIENSI.

Fr. Petrus Hortis de Prov. Aragoniae. Fr. Petrus Joannes Colomier de Prov. Cathaloniae. Fr. Petrus de Villa nova de

Prov. eadem. Fr. Antiquus Romen de Prov. eadem. Fr. Salvatus de Luco (1) ad legendum Sententias pro Anno Domini 1533, de Prov. Vasconiae. Venerabilis Bachalarius Fr. Daniel Cucurbita de eadem Prov. Fr. Philippus de Ecclesia de eadem Provincia. Fr. Menaldus de Cosseo de eadem Prov. Fr. Franciscus Liart de eadem Prov. Fr. Antonius Bola de eadem Prov. Fr. Joannes Guyn de eadem Prov. Fr. Petrus de Gardegio de eadem Prov. Fr. Arnaldus de Quercu de eadem Prov. Fr. Menaldus Tricensis de eadem Prov. Fr. Joannes Tarniensis de eadem Prov. Frater Vitalis de Lavetano de eadem Prov. Fr. Bernardus Scorin (2) ad Actus Scholasticos Parisiis pro Anno Domini 1537 de Provincia Turoniae. Fr. Petrus Blancart de Prov. Franciae. Fr. Petrus Gillert Provinciae Franciae. Fr. Petrus Coraert pro Anno Domini 1535.

AD UNIVERSITATEM COLONIENSEM.

Fr. Jacobus de Antuerpia ad Lecturam Bibliae pro anno 34. Fr. Jacobus de Geldria ad Lecturam Bibliae pro anno 32. Frater Gaspar Barasteyn (3) ad Lecturam Bibliae pro anno 35. Item Studens pro sex annis in Universitate Coloniensi Fr. de Conventu Machilinien.

AD STUDIUM PAPIENSE.

Fr. Laurentus de Janua. Fr. Petrus de Nicia.

AD UNIVERSITATEM SALAMANTINAM.

Fr. Joannes Aprilis de Conventu Valentiae. Fr. Joannes Huesca de Conventu Caesaraugustae. Fr. Adamus Leon de Con-

---

(1) Salvatus de Luco. Burgundus.

(2) Bernardus Scorin. Idemne qui 1548 Barnardus a Sereno nuncupatur?

(3) Gaspar Barasteyn. Barrenstein, de quo multoties in epistolis Everardi Billick. Anno 1544 fuit baccalaureus et lector theol. Coloniae; sub die 17 Februar. a. c. mittitur Francfordiam ad tuendum conventum qui in periculo versabatur. 2 Julii 1546 est iam prior Crucenacensis in quo officio permansit saltem usque ad a. 1556. Cetera nos latent.

ventu Caesaraugustae. (105-r.) Fr. Petrus de Conventu Hispalensi. Fr. Alphonsus Romero de Conventu S. Pauli. Fr. Franciscus Paredes (1) de Conventu S. Pauli. Fr. Angelus de Torquemada de Conventu Abulae.

AD UNIVERSITATEM TREVERENSEM.

Fr. Cornelius de Herlem ad Lecturam Bibliae pro Anno 1533. Fr. Alexander Blankaert (2) de Gandavo ad Lecturam Bibliae pro Anno 1533. Fr. Michael Treverensis ad Lecturam Bibliae pro Anno 1535, ad Treverensem vel ad Maguntiniensem.

AD STUDIUM SENENSE.

Fr. Brocardus Patavus. Fr. Antonius de Marsalia. Fr. Ludovicus Cremonensis. Fr. Angelus Venetus.

AD STUDIUM PATAVINUM.

Fr. Albertus Vincentinus (3). Fr. Cernadeus de Barbarano (4 Fr. Sebastianus de Xacca. Fr. Nicolaus de Placentia. Fr. Cyrillus de Messana. Fr. Robertus de Rovereto.

AD STUDIUM PICTAVIENSE.

Fr. Karolus Corman ad legendum Sententias pro Anno 1535

AD UNIVERSITATEM CAESARAUGUSTANAM.

Fr. Guilhermus Ilissarbe (5) de Conventu Pampillonae.

---

(1) Franciscus Paredes. Anno 1531 conventualis Abulae.

(2) Alexander Blankaert. vide *Billick* sub voce *Candidus*.

(3) Albertus Vincentinus. Anno 1568 proponitur a generali Rubeo unus ex quinque, e quorum numero provincialis Venetiarum in comitiis provincialibus eligendus esset.

(4) Cernadeus de Barbarano. Infra 1548 Servadiem; videtur legendum Servadeum.

(5) Guillermus de Ilissarbe. A. 1539 Ilzarbe.

AD UNIVERSITATEM NEAPOLITANAM.

Fr. Joseph Panormita, Fr. Theophilus Messanensis (1). Fr. Bartholomeus Mazariensis.

AD UNIVERSITATEM BURDEGALENSEM.

Fr. Guilhermus de Malhosio de Conventu Salvaeterrae. Fr. Bernardus de Seranhio de Conventu Salvaeterrae. Fr. Ramondus de Ayla-franca.

(105-v.) SEQUUNTUR STATUTA HUIUS CAPITULI GENERALIS.

In primis et ante omnia, praecipimus omnibus et singulis, Prioribus, Provincialibus et Localibus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena depositionis ab eorum officiis, ut plantatam Reformationem per R.mum Patrem Ordinis, nutriant et foveant, et ubi nondum introducta est, studeant omnibus modis prima nacta oportunitate introducere realiter et de facto, postposita quacumque simulatione.

Unde secundo ordinamus, quod Priores Locales proprietarii, aut proprietatem permittentes, sive violenter suspecti de huiusmodi, ipso facto sint excommunicati, et absoluti ab eorum officiis, nec possint reabilitari nisi per gravissimum Patrem Ordinis, prius debita peracta poenitentia. Et similiter volumus, quod Fratres proprietarii, vel violenter suspecti de proprietate, post trinam monitionem statim eiiciantur a Conventibus suis. Quare etiam cassamus et anullamus Statuta illa bonae mem. R.mi Patris Ordinis Magistri Joannis Soreth, ac quaecumque alia statuta per praecedentia Capitula Generalia facta; per quae directe vel indirecte videtur tolerari aliqua proprietas in Fratribus nostris.

Item ordinamus, et simpliciter volumus, conformiter ad mentem Sanctissimi Domini Nostri Papae Clementis VII quod nulli praeficiantur Provinciis et Conventibus nisi sint reformati.

Item decernimus, quod Conventus noviter Reformati instante Capitulo Provinciali non poterunt eligere, sed solum postulare

---

(1) Theophilus Messanensis. Theophilus Viperarius. Vide infra 1548.

Priorem aliquem Reformatum; et auctoritate Diffinitorii taliter postulatus, vel alius bene reformatus instituatur Prior, et confirmetur.

Item ne Provinciae Reformatae redeant ad vomitum, videlicet ad priorem modum vivendi, ordinamus et constituimus quod cum institerit electio novi Provincialis facienda, statim, tempore opportuno intimetur R.mo Patri Ordinis, qui immediate rescribat, praesentando duas, aut tres, aut quatuor dignas Personas qualificatas et Reformatas, ex quibus sic praesentatis debet eligi; quod si secus factum fuerit, non tenebitur R.mus Pater Ordinis electum confirmare, sed alium in eius locum instituere; nec poterunt procedere ad electionem, nisi accepto responso R.mi Patris Ordinis; alias electio habebitur nulla, et irrita. Et haec nostra ordinatio stabit usque ad aliud Capitulum Generale in favorem novae Reformationis. Insuper et huic novae electioni novi Provincialis praesidebit Vicarius Provinciae, secundum tenorem Statutorum nostrorum nisi gravissimus Pater Ordinis aliud determinaverit.

Item propter multas considerationes ordinamus, quod Reverendi Magistri Provinciales poterunt quando videbitur eis expedire, dispensare super biennio Prioratus, pro causa multum rationabili.

Item pro bono Reformationis Conventuum Reformatorum et Reformandorum, ordinamus, quod liceat Prioribus Provincialibus, sine consensu Prioris Localis et Conventus mutare Fratres etiam Reformatos de Conventu ad Conventum in duobus casibus, scilicet pro Reformatione Conventuum, et correctione Fratrum delinquentium, non obstantibus privilegiis Reformatorum.

Item decernimus, quod posthac Capitula Provincialia celebrentur solum in Conventibus potissimis, et bene Reformatis, ut omnes Gremiales hospitentur in tali Conventu, ad vitandos discursos extraordinarios.

(106-r.) Item pro continuatione Reformationis statuimus, quod libere liceat Prioribus Provincialibus, etiam extra tempus visitationis transire de Conventu ad Conventum pro solidatione Reformationis et ibidem quamdiu libeat manere, contenti tamen honesta portione Conventuali, ne Conventus graventur in expensis.

Item ut clara appareat distinctio inter Reformatos et non Reformatos, etiam apud Saeculares, ordinamus, quod iuxta Indultum Sanctae Sedis Apostolicae, Conventus et Provinciae totaliter Reformatae, et qui a multis annis tenuerint observantiam

regularem Ordinis nostri, nuncupentur Fratres, sive Conventus de Observantia. Declarantes Conventus Provinciae Alemaniae Inferioris, Provinciae Franciae, et aliarum Provinciarum totaliter Reformatarum esse, et fore nuncupatos, et nuncupandos de Observantia. Et sicut re ipsa sunt de Observantia Ordinis, ita etiam habeant gaudere titulo verae Reformationis, et Observantiae nostri Sacri Ordinis.

Item praecipimus, et mandamus in virtute Sanctae Obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae, quod nullus Prior Localis vel Provincialis audeat tolerare aliquem Fratrem, vel Fratres, qui fuerint, aut pro tempore extiterint rebelles mandatis et Litteris R.mi Patris Ordinis.

Item sub eadem poena praecipimus omnibus et singulis Prioribus Localibus et Provincialibus ne praesumant interpretari secundum proprium sensum Litteras, aut Statuta R.mi Patris Ordinis. Et similiter quod Priores Locales non audeant interpretari Litteras aut Statuta suorum Provincialium. Unde etiam confirmamus, et approbamus, omnia et singula Acta et Statuta R.mi Patris Ordinis per totam suam visitationem.

Item statuimus, et decernimus quod Fratres, qui propter haeresim Lutheranam vel Reformationem dimiserunt habitum Ordinis, vel cum habitu recesserunt non possint recipi ad Ordinem, nisi de consensu gravissimi Patris Ordinis. Et hoc tunc ut Novitii Fratres solum, in Conventu alieno, non proprio, seu nativo durantibus quatuor annis.

Item pro uniformitate habitus in Ordine sic conclusum et determinatum est, scilicet quod tota Italia erit uniformis in habitu griseo; omnes autem caeteri Fratres extra Italiam erunt uniformes in habitu nigro, decenti, non pretioso.

Item decernimus, quod non liceat de caetero Prioribus Localibus mittere Fratres etiam professos ad Sacros Ordines, sine expressa licentia Prioris Provincialis vel Capituli Provincialis.

Item mandamus omnibus Prioribus Localibus, quatenus investiant Novitios Fratres, illosque nutriant, et foveant in Caerimoniis Ordinis, in cantu, et cultu Divino; et deinde instruantur in bonis Litteris, et solida Theologia.

Item ordinamus, quod nullus Prior Localis, sub poena depositionis ab Officio praesumat recipere ultra tres dies aliquem

Fratrem ad se declinantem, sine Litteris obedientialibus Prioris Provincialis.

Item mandamus omnibus Prioribus Provincialibus sub poena rebellionis, quod transcribant statum suae Provinciae, ad minus binies in anno, ad gravissimum Patrem Ordinis, et praesertim de concordia et discordia, et de Fratribus Apostatis, ut possit R.mus Pater Ordinis scire quomodo se debeat gerere erga Fratres ad suam R.m Pat.em confluentes.

(106-v) Item omnes R. Patres Provinciales, et Diffinitores unanimiter et concorditer consenserunt, et concluserunt quod iuxta piam intentionem Sanctissimi Domini Nostri Papae debeat aedificari in Urbe Roma honestus Conventus, ubi R.mus Pater Ordinis, et Procurator, cum quibusdam aliis Patribus et Fratribus ex qualibet Provincia convenientes decenter possint residere, Quare etiam ordinamus, quod quaelibet Provincia debeat esse parata ad mittendum unum Fratrem honestum, discretum et morigeratum ad Conventum Transpontinum, vel alios Conventus Provinciae Romanae, cum primum R.mus Pater Ordinis hoc requisierit; et quod pro nunc statim Provincia Franciae mittat duos Fratres; Provincia Alamaniae Inferioris mittat duos, Provincia Turoniae duos, Provincia Lombardiae duos, Provincia Venetiarum duos, Prov. Romandiolae duos, Prov. Siciliae mittat duos.

Item statuimus et decernimus, quod posthac gravissimus Pater Ordinis ordinabit in Procuratorem Ordinis Virum doctum, industrium, et probum cum stipendio XL Ducatorum, et quod de sua benigna gratia alternabitur talis ordinatio de biennio in biennium ex natione ad nationem; sic quod pro prima vice ordinabit unum ex Transmontanis, et deinde transacto biennio alium Fratrem ex natione alia, et sic consequenter per vices. Manebit tamen semper R.mo Patri Ordinis integra facultas, iuxta Statuta Ordinis, destituendi tempore intermedio Procuratorem Ordinis, et alium constituendi, secundum quod fideliter servierit Ordini et Personae R.mi Patris.

Insuper pro decore Conventus Transpontini cupimus quod R.mus Pater Ordinis instituat unum Regentem cum stipendio decem Ducatorum in praefato Conventu Transpontino.

Item ordinamus, quod Procuratores Ordinis, mortuo vel assumpto Priore Generali, non possint acceptare aliquam superio-

ritatem in Ordine usque ad Capitulum Generale, sed teneantur defendere Statuta et libertates Ordinis; quod si secus fecerint, sint ipso facto inhabilitati ad quaecumque Officia Ordinis, non obstantibus quibuscumque exceptionibus.

Item ordinamus et volumus, quod gravissimus Pater Ordinis omnibus modis et viis curet reducere Ordinem ad suam libertatem et unitatem, et procuret apud Sanctam Sedem Apostolicam, ut comprimatur audacia et temeritas illorum, qui diversis mediis impetraverunt, et impetrare nituntur privilegia, vivuntque tamquam membra ab Ordine resecata, non obediendo Ordini.

Item ordinamus, quod R.mus Pater Ordinis debeat deputare aliquem Fratrem bonum, et discretum Virum in Curia Romana, ad quem tempore debito et opportuno quilibet Provincialis taxam ordinariam vel extraordinariam suae Provinciae mittet quolibet anno, sub poena duplicis solutionis ac rebellionis; sic videlicet quod cum taxa cesserit in Festo Pentecostes, debeant mittere ante Festum Omnium Sanctorum immediate sequens.

Item mandamus et praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis latae sententiae, omnibus Prioribus Localibus ne alienent aliquid, aut perpetuo locent, quod sit infra limites Conventus, etiam accedente consensu Provincialis, sed debet desuper expressa licentia Prioris Generalis cum effectu impetrari.

Item decernimus unanimiter quod in divisione Provinciae alicuius, prima pars quae servat titulum, etiam servabit locum; reliqua vero pars cum novo titulo accipiet locum iuxta tempus divisionis. Quare consequenter decernimus, quod Provincia Aragoniae teneat locum suum, scilicet decimum, inter Provinciam Aquitaniae et Provinciam Provinciae.

(107-r.) Item ordinamus quod pro nunc Provincia Lombardiae maneat sicuti est, et ultimata determinatio, sive declaratio divisionis sit in pectore R.mi Patris Ordinis.

Item statuimus, et decernimus, quod Conventus Provinciarum Hispaniae et Apuliae non excedentes numerum quaternarium Fratrum, qui iuxta Statuta Ordinis non sunt de Gremio Capituli Provincialis, posthac stante tam aperta necessitate et raritate Fratrum, poterunt mittere Priorem vel Socium ad Capitulum Provinciale, eritque taliter missus de Gremio Capituli Pro-

vincialis cum voce et loco, donec aliud fuerit dispositum et ordinatum.

Item confirmamus, et approbamus depositum Provinciae Alemaniae Inferioris, iuxta Litteras desuper confectas, et sigillis Conventuum munitas. (1) Imo praecipimus omnibus, et singulis in virtute sanctae obedientiae et sub poena depositionis ab eorum Officiis, et Gradibus, et inhabilitationis ad eadem Officia et Gradus, ne quis directe vel indirecte, mediate vel immediate, audeat contravenire, sed quod quilibet singulos eiusdem depositi articulos studeat observare et effectualiter adimplere. Unde consequenter ordinamus, quod quaelibet Provincia prima opportunitate habita, concipiat depositum Provinciae ad instar Depositi Provinciae Alemaniae Inferioris.

Item praecipimus R.mo Magistro Provinciali Tusciae, quod provideat Conventui Florentino de opportuna Reformatione, et suppositis qualificatis in moribus et scientia, secundum dispositionem R.mi Patris Ordinis.

Item ordinamus, quod nulla Provincia praesentet aliquem Fratrem R.mo Patri Ordinis ad Gradum Magisterii, nisi fecerit, vel legerit primo Cursum Artium completum in sua Provincia, vel in Conventu alterius Provinciae, cum consensu suae Provinciae, vel saltem ter responderit in Capitulo Generali, vel Provinciali, vel in aliqua Universitate publice.

Item decernimus, et inviolabiliter observari volumus, quod quilibet Conventus mittet saltem unum studentem ad aliquod Studium Generale, ad expensas Conventuum, et hoc infra spatium quatuor mensium ab intimatione horum nostrorum Statutorum.

Item consequenter volumus, quod mittantur sex studentes ex Conventibus Italiae ad Studium Parisiense, qui iam sint perfecti in Philosophia naturali, cum primum hoc commode fieri poterit. Et e contra eodem modo ex Provinciis Ultramontanis mittantur sex ad Studia Generalia Italiae.

Item quatuor Conventus infrascriptos Provinciae Narbonae, scilicet Conventus Narbonae, Carcassonae, Biterrarum, et Montis Regalis, applicamus ex nunc Provinciae Tholosanae, et tenebitur eadem Provincia Tholosana relevare Provinciam Narbonae in duo-

---

(1) Cf. Koch, p. 123.

bus Ducatis; sic quod Provincia Narbonae solum solvet pro taxa ordinaria Ducatos XVI, et Provincia Tholosana dabit X Ducatos.

Item ordinamus, et inviolabiliter observari volumus, quod nullus habeat posthac duo officia incompatibilia, ut quod idem sit Provincialis et Procurator Ordinis, vel quod idem sit Prior Provincialis et Localis; vel quod idem sit Prior et Sub-prior, vel quod idem sit Sub-prior et Procurator.

Item ordinamus, quod iuxta tenorem Statutorum nostrorum quilibet Provincialis compareat posthac, cum duobus Sociis, tempore opportuno, et decreto, in Capitulo Generali; et quod non obstante quocumque impedimento, solis infirmitate et bello exceptis, ad minus compareant cum uno Socio, secum afferentes rationem quare alter Socius non comparuerit; et hoc sub poena pecuniaria expensarum, quae facerent in via veniendo ad Capitulum, applicanda communibus necessitatibus Ordinis, ad quam (107-v.) transgressores compelli debeant censuris, et poenis, et aliis viis consuetis in Ordine. Declarantes, quod Provinciae huiusmodi poenam teneantur solvere, et non Provincialis, si non fuerit in culpa. Et ab isto Statuto excipiuntur tres Provinciae Hispaniae, scilicet Castellae, Portugalliae, et Bethices; quarum quaelibet solum mittet unum, secundum hanc formam; scilicet quod pro prima vice veniet Provincialis Castellae, cum uno Socio ex Provincia Portugalliae, et uno Socio ex Provincia Bethices: et secunda vice veniet Provincialis Portugalliae cum Sociis Castellae et Bethices; et tertia vice veniet Provincialis Bethices cum Sociis Castellae et Portugalliae; et sic consequenter. Addentes etiam, quod solum hi tres habebunt vocem et locum, et non plures ex iisdem Provinciis, in Capitulo Generali. Addentes huic Statuto, quod si aliquis Provincialis comparuerit infra mensem a termino Capituli Generalis coram R.mo Patre Ordinis legitimam causam suae retardationis adducens, secundum eius discretionem poterit excusari.

Item ordinamus quod R.mus Pater Ordinis posthac semper instituat ex parte Ordinis unum Regentem in Conventu Parisiensi, sine cuiuscumque contradictione, ultra ordinarium Regentem eiusdem studii. Et tenebitur sic institutus Regens praesidere studio, legere, et corrigere Libros Doctorum Ordinis.

Item confirmamus, et approbamus omnia Acta per R.mum

Patrem Ordinis in Conventu nostro Parisiensi, tam quo ad Conventum, quam quoad studium, et quo ad praesentaturam.

Item ordinamus, quod Conventus qui sunt sub singulari et speciali cura R.mi Patris Ordinis, etiam singulariter sint Reformati; ut ex hoc etiam singularis vigilantia appareat circa Gregem sibi specialiter commissum.

Item approbamus Gradum Bachalaureatus Fratris Stephani Abrioti.

Item praecipimus et mandamus omnibus Prioribus Provincialibus, ne reducant Fratres eiectos propter demerita, per Reverendissimum Patrem Ordinis usque ad Capitulum Generale futurum, nisi R.mus Pater Ordinis aliud disposuerit.

Item ordinamus, quod fiat per totum Ordinem uniformitas in cantu plano et psalterio, ac in ceteris Divinum Cultum cōncernentibus.

Item ordinamus, quod R.mus Pater Ordinis assumat sibi Socios iuxta beneplacitum suum, et qualitatem Conventuum et Provinciarum.

Item reservamus nobis praesens Diffinitorium usque ad quindecim dies.

Item praecipimus et mandamus omnibus Prioribus Provincialibus, quod secum accipiant copiam Statutorum nostrorum, primaque opportunitate habita ea publicent, faciantque illa inviolabiliter observari ab omnibus, sub poena rebellionis, et praevaricationis professionis nostrae Sacrae Religionis.

Item ordinamus, quod congregentur in nostro Conventu Bruxellensi sex Ven.di Patres, circa Ordinale docti et experti, scilicet unus ex Conventu Rothomagensi, unus ex Conventu Meldunensi, unus ex Conventu Gandensi, unus ex Conventu Coloniensi, unus ex Conventu Bruxellensi, et unus ex Conventu Macliniensi,(1) sub Praesidentia Reverendi Magistri Provincialis Alemaniae Inferioris, (2) qui omnes simul, coniunctim et divisim invigilabunt, sub iuramentis eorum, seclusa omni affectione inordinata,

---

(1) Mechliniensi.

(2) Generalis Audeth 29 Augusti 1533 scribit: « Gaudemus quod Procurator noster secum perferat Ordinale concordatum per Commissarios etc. » In aliis litteris gaudet, quod Provincialis Theodoricus de Gouda semper adest commissioni correctionis Ordinalis. Mittet

ut concordata concordentur, corrigenda corrigantur, et addenda addantur; salvo tamen semper speciali fundamento antiqui Ordinalis, et quod occurrentia dubia resolvantur. Et omnia per eosdem Patres determinata et conclusa sub signis eorum manualibus, et sub sigillo R.di Magistri Provincialis praedicti, statim mittantur ad R.mum Patrem Ordinis; et quidquid expensarum ibidem Bruxellis, (108-r) quantum ad honestum victum et alias in hoc sancto negotio factum fuerit, solvet et refundet totus noster sacer Ordo, ad taxationem R.mi Patris Generalis; et Ven.lis Pater Dionisius ex parte Conventus Meldunensis deputatus, secum portabit totum quod correxit, et scripsit circa planum cantum, ut etiam revideatur.

Item ordinamus, et decernimus, quod unusquisque Provincialis fideliter et sincere laborabit circa publicationem Bullae confirmationis Privilegiorum et Indultorum de novo concessorum per Sanctissimum D.num N.rum Papam Clementem Septimum; et quidquid elemosinarum habitum fuerit, a primo die publicationis usque ad terminum unius anni completi dividetur in duas partes, quarum una cedet fabricae Conventus nostri Transpontini; reliqua vero pars cedet Conventui ubi publicabitur, et executioni demandabitur; deductis tamen prius solis expensis laborantium, a principali summa; nec aliquis publicabit, nisi iuxta formam tradendam.

QUO AD CONDEMNATIONES

In primis, quia Fr. Stephanus Jovensis annis septem perturbavit totum Ordinem, et in eo schisma seminavit, et contra Decretum Sanctae Sedis Apostolicae, etiam post impetratum beneplacitum Christianissimi R.ni nostri Regis in Regno Franciae, Officium Generalatus usurpare praesumpsit, non sine maximo totius Ordinis detrimento. Et cum propter excommunicationem,

---

Ordinale concordatum praecipuis Provinciis pro examine *(Archivium Frankfort)*.

Pauca tantum mutata sunt in Ordinali antiquo et ita editum est anno 1544 Venetiis per P. Hieronymum Gilbertum Veronensem. Praecipua adnotavimus in *Analectis II* in Articulis de Ordinali Siberti de Beka.

quam incurrerat, a qua non nisi a Romano Pontifice absolvi poterat, in conventu Lugduni positus esset per modum custodiae in quadam camera, ne ob eius praesentiam irrita essent Acta Capituli Provincialis Provinciae Narbonae, quod tunc celebrabatur: Ipse Fr. Stephanus insalutato hospite aufugit et apostatavit; et ab illo tempore huiusmodi excommunicatione Apostolica rebellionis, et apostasiae nota innodatus, contra Decretum Generalis, Officium Prioratus Conventus Montispessulani, sua solita temeritate usurpare praesumpsit. Quare cum ista sint notissima in toto nostro Ordine; condemnamus dictum Fratrem Stephanum ad perpetuum exilium a nostra Provincia Narbonae, et a Conventu Montis pessulani, ipsumque in alia Provincia incarcerandum, usque ad aliud primum Capitulum Generale. Declarantes interea eum apostatam, excommunicatum, voce, loco, officio et Gradu privatum, et inhabilem ad officia nostri Sacri Ordinis. Praecipientes R.dis Magistris Provincialibus Tholosae, Narbonae, et Provinciae, ac omnibus Prioribus Localibus, et aliis Superioribus dictarum Provinciarum, quatenus satagant habere dictum Fratrem Stephanum, et ipsum carceri mancipare; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Decernentes, quod expediantur et conficiantur Litterae super huiusmodi condemnatione, Sigillo, totius Ordinis munitae, secundum formam Ordinis in similibus fieri solitam.

Item quia Fr. Octavianus de Soncino, qui fuerat ordinatus Procurator Ordinis et Commissarius R.mi Patris Generalis in Italia, fuit accusatus de multis, praecipue de infamia periurii, de proditione facta Religioni, de furtis commissis tempore sui Commissariatus, et de multis aliis indebite factis contra totum Ordinem, in Officio Procuratoris; de quo, ut par erat, numquam reddidit rationem coram R.mo Patre Generali, nec comparuit in praesente Capitulo (108-**v**.), ut redderet rationem de officio Procurationis coram toto Ordine. Ipsum propterea Fratrum Octavianum, auditis testibus legitimis, ac lectis, visis, et examinatis informationibus, et processibus contra eumdem productis, comperientes manifeste esse, et fuisse convictum de multis, de quibus fuit accusatus; et de reliquis violenter suspectum, condemnamus, ut capiatur et incarceretur usque ad aliud primum Capitulum Generale. Reservantes nobis ultimam sententiam super suis delictis ferendam, postquam reddiderit rationem de officio Procurationis.

Quod si auctoritate huius nostri Capituli Generalis, et nostri Sacri Ordinis non potuerit capi, et incarcerari, ac ad calculum revocari infra sex menses, cum iam accepimus ipsum fugere, et praetensis privilegiis, ac diversis favoribus Saecularium Dominorum se protegere; Mandamus R.do Magistro Procuratori Ordinis, ut agat cum Sanctissimo D.no Nostro Papa et cum R.mo et Ill.mo Domino nostro Protectore, ut dictus Fr. Octavianus auctoritate Apostolica capiatur, et incarceretur vel citetur coram R.mo Patre Generali, aut quovis alio debito suo Judice, responsurus ad ea quae contra eum producta sunt in hoc nostro Generali Capitulo, et rationem redditurus de officio Procurationis totius Ordinis, et de aliis, quae ei imponuntur. Praecipientes omnibus et singulis Prioribus Localibus, et quibuscumque aliis Superioribus Ordinis, ut studiose satagant ipsum Octavianum habere, et capi facere, ac captum carceri mancipare. Declarantes eumdem privatum loco voce, et Gradu, periurum et excommunicatum, actibusque legitimis privatum, et inhabilem ad officia nostri Sacri Ordinis. Decernentes quod conficiantur Litterae super huiusmodi condemnatione sigillo totius Ordinis munitae, secundum formam Ordinis in similibus fieri solitam.

Item quia Fr. Jacobus Calchus contra Decreta Sacri Ordinis, et contra expressam voluntatem R.mi Patris Generalis, accepit causam odiosam divortii Ser.mi Regis Angliae tractandam in Alma Universitate Parisiensi, impugnando ea quae facta erant per Sanctam Sedem Apostolicam in tali materia; et in huiusmodi negotio multum vexavit nostrum Conventum Parisiensem, qui iuxta Ordinis Statuta ei visus est resistere in praefata odiosa causa. Et denique totum nostrum Sacrum Ordinem sua temeritate tunc maximis exposuit periculis. Et cum propter huiusmodi suam culpam R.mus Pater Ordinis nostrum Conventum Rothomagensem pro carcere ei assignasset, donec de ista sua culpa aliter fuisset decisum: Ipse tamen in suis consuetis malis et rebellione perseverans, a dicto Conventu recessit, et diversis modis Saecularium, ad Angliam, contra voluntatem eiusdem R.mi Patris Generalis, obtenta quadam obedientia, vi, et metu ab eodem R.mo Patre Generali extorta, medio Regis Christianissimi, et Oratoris Seren.mi Regis Angliae, redire praesumpsit. Quare cum ista sint notissima toto Ordini nostro, ac multis aliis Dominis Saecularibus et Ecclesiasticis, condemnamus dictum Fratrem Jacobum

Calchum, ut capiatur et incarceretur usque ad aliud Capitulum Generale; ubi tunc Capitulum Generale de ipso faciet prout sibi melius videbitur expedire. Declarantes interim ipsum Fratrem Jacobum Calchum apostatam, excommunicatum, rebellem, loco, voce, ac Gradu privatum, et actibus legitimis etiam privatum, et inhabilem ad officia nostri Sacri Ordinis. Quod si dictus Jacobus auctoritate nostri Ordinis non potuerit capi, et incarcerari infra duos menses, cum accepimus ipsum in Anglia se protegere favoribus Principum et Dominorum temporalium: Mandamus R.do Procuratori Ordinis, ut agat cum Sanctissimo D.no Nostro Papa, et cum R.mo et Ill.mo D.no nostro Protectore, ut idem Jacobus auctoritate Apostolica, ubicumque fuerit repertus, capiatur, et incarceretur, vel saltem citetur coram R.mo Patre Generali, aut alio suo Judice, ut debita iustitia possit ministrari. Mandantes omnibus Prioribus Provincialibus, et Localibus, et aliis Superioribus nostri Sacri Ordinis, ut studiose (109 **r.**) satagant ipsum Fratrem Jacobum Calchum habere, ac capi facere, et captum carceri mancipare usque ad praefatum primum Capitulum Generale; invocato in omnibus praedictis auxilio brachii saecularis, si opus fuerit. Decernentes quod conficiantur Litterae super huiusmodi condemnatione in forma Ordinis consueta.

Item condemnationes aliorum Apostatarum, rebellium, et praevaricatorum, et relaxationes eorum alio tempore opportuno promulgandae nobis reservamus.

Item ordinamus Capitulum Generale proxime celebrandum hinc ad sex annos in Curia Romana, nisi R.mus Pater Ordinis aliud disposuerit quoad locum, et quoad tempus.

Et ego Fr. Petrus Vareriis Doctor Theologus immeritus, Provincialis Provinciae Provinciae omnia suprascripta Acta propria manu scripsi, de mandato omnium R.dorum Magistrorum, et Patrum Diffinitorum praedicti Capituli Generalis. In cuius rei fidem signum meum manuale praesentibus apposui.

Fr. Petrus Vareriis.

(Dimidia pagina vacat).

(109 **v**). In Nomine Domini. Amen.

Haec sunt Acta et Ordinata Capituli Generalis in nostro Conventu Vincentiae Provinciae Venetiarum celebrati, Praesidente R.mo Magistro nostro Nicolao Audet, Vitae Regularis zelatore

ardentissimo, Anno Domini 1539, in Festo Pentecostes XXV Mensis Maii, Praesentibus R.dis Magistris Provincialibus cum Sociis eorum et Discretis aliarum Provinciarum, una cum Vicario nostro Congregationis Albiensis, numero viginti, existente Priore Locali dicti Conventus Vincentiae Vener.do Patre Fratre Vincentio Vincentino. In primis cum R.mus Pater Ordinis praefatus, iuxta tenorem Statutorum nostrorum, humiliter et benigne posuisset Sigillum Officii cum privilegio etc. nemo nostrum in minimo incusavit, sed omnes concorditer super genua humillime rogavimus eius R.dam Paternitatem, quatenus onus animarum nostrarum, cum sigillo Officii dignaretur acceptare et reassumere: quod tandem ad plurimas nostras preces, in singularem decorem et profectum Nostri Sacri Ordinis reassumpsit.

Diffinitores praesentis Capituli Generalis.

Primus Diffinitor, Magister Angelus de Monica (1) Socius Provincialis Siciliae: 2. M.n(oster) Antonius Charetonis (2) Provincialis Narbonae: 3. M. n. Vincentius de Leone Provincialis Romanus: 4. M. n. Matthaeus de Lauda Provincialis Franciae: 5. M. n. Desiderius Desiderii (3) Vicarius Congregationis Albiae: 6. M. n. Martinus Cuper (4) Socius Provincialis Alemaniae in-

---

(1) Angelus de Monica. Rectius Modica. Cf. 1524.

(2) Anthonius Charetonis. Analecta, II, 578.

(3) Desiderius Desiderii. De conventu Melduni, prior Albiensis et doctor Parisiensis.

(4) Martinus Cuper. De Cuyper, natus Mecliniae circa annum 1500, professus Oct. 1520, studium prosecutus Lovaniae ab a. 1524, baccalaureus renuntiatus 1529, prior Antwerpiensis 1530, Meclinensis 1532 usque 41, 1533 licentiatus in theol. 25 Aug. 1534 magisterium adeptus est. Mortuo Theodorico de Gouda electus fuit provincialis 11 April. 1540, permansit tamen secundum consuetudinem utriusque provinciae Alemaniae prior in suo conventu. Paulo post, i. e. 14 Nov. 1541 creatus episcopus Chalcedonensis et suffraganeus Cameracensis. A' Carolo V factus fuit abbas commendatarius abbatiae Crespiniensis. Obiit 26 Iulii 1572 in monasterio de Foresti ubi etiam sepulturam accepit, at postea ossa ad abbatiam Crespin. translata fuere. Cf. *Revue Bénédictine*, 1904, 145 sqq. Circa finem vitae a generali Rubeo Reformatio et restauratio conventuum Antwerpiensis et Bruxellensis ipsi commissae fuere sed morte interveniente aliis onus reliquit.

ferioris: 7. M. n. Pontius (1) Provincialis Lombardiae: 8. M. n. Joannes de Ecclesia Socius Provincialis Aquitaniae: 9. M. n. Jacobus Latiensis (2) Provincialis Aragoniae: 10. M. Anthonius Ferauldi (3) Socius Provincialis Prov. Provinciae: 11. Frater Guilielmus Lindo (4) Socius Provinciae Scotiae: 12. M. Alexander de Florentia (5) Provincialis Tusciae: 13. M. Hieronimus Calidonius (6) Provincialis Venetiarum: 14. M. Michael a Finibus Socius Provinciae Tolosanae: 15. M. Antiquus Romeau Socius Provincialis Cathaloniae: 16. M. n. Daniel Cucurbita Socius Provincialis Vasconiae: 17. M. n. Renatus Bougaut Provincialis Turoniae: 18. M. Alfonsus (7) Socius Provinciae Neapolitanae: 19. M. n. Paulus Paduanus (8) Provincialis Romandiolae: 20. M. n. Anthonius Marinarius (9) Provincialis Apuliae.

(110 **r**). Auditores Causarum:

R. M. n. Vitalis de Luperia Provincialis Vasconiae: R. M. n. Benedictus Sabater Provincialis Cathaloniae: R. M. Joannes Crisostomus (10) Prior Vercellarum: R. M. Albertus de Salvetis primus Socius Provinciae Romanae.

Directores Capituli.

Magister Gaspar Bernerius Prior Mediolani, in Spiritualibus Frater Stephanus Storarius (11) Prior Borbiaci, in temporalibus.

Ordinatio Priorum Provincialium:

Provincialis Terrae Sanctae, in pectore gravissimi Patris Ordinis. Provincialis Siciliae R. M. n. Anthonius de Larathana. Provincialis Angliae, in pectore g. P. Ordinis. Provincialis Narbonae R. M. Anthonius Charetonis. Provincialis Romanus M. n. Vincentius del Leone. Provincialis Franciae R. M. n. Mathaeus de Lauda. Vi-

---

(1) Pontius. Idem ac Pontius Cremonensis, supra a. 1524.

(2) Jacobus Latiensis. Infra de Attjença.

(3) Anthonius Ferauldi. Infra Feraudus.

(4) Gulielmus Lindo. Infra Lindsay.

(5) Alexander de Florentia. Alexander Blasii de Saccis. Supra 1524.

(6) Hieronimus Calidonius. Supre 1524.

(7) Alfonsus. Infra Alfonsus Johannis.

(8) Paulus Paduanus. Idemne ac Paulus Patavus, 1524?

(9) Antonius Marinarius. Infra Mariarius. Postea provincialis Apuliae cui officio cessit dominica 3a vel 4a post Pascha 1568.

(10) Joannes Crisostomus. Supra 1524 Chrysostomus Vercellensis.

(11) Stephanus Storarius. Supra 1517 Storesiani.

carius Congregationis Albiensis R. M. n. Desiderius Desiderii. Provincialis Alemaniae Inferioris R. M. n. Theodoricus de Gouda. Provincialis Lombardiae R. M. n. Pontius (1), cum Vicario alterius partis quae dicitur pars Januae Magistro nostro Joanne Stephano Ffarnio Cremonensi; tali adiecta conditione; quod Provincialis habeat Praesidentiam semper in Capitulo totius Provinciae, quod vicissim celebrabitur, nunc in una, hoc est Mediolani; nunc in altera, hoc est Januae distinctione. Nec poterit una distinctio absque altera congregari. Interim tamen totam taxam Provinciae recipiet R. M. Provincialis: qui Vicario providebit de honesto vestiario, iuxta dispositionem gravissimi Patris Ordinis. Vicarius etiam in Capitulo Provinciali Assistens erit Provinciali pro parte sibi credita. Provincialis Aquitaniae R. M. n. Joannes de Ecclesia. Provincialis Aragoniae M. n. Jacobus Latiensis: cum hoc, quod Vicarius Generalis opportune mittendus habeat cognoscere causam quae vertitur inter ipsum Provincialem et partem Provinciae praetendentem habere ius contra eum, cum auctoritate condemnandi, et absolvendi, iuxta dispositionem iuris et honestatem Ordinis. Provincialis Provinciae R. M. n. Gaspardus Servientis. Provincialis Hyberniae . . . Provincialis Scotiae M. Guilielmus Stobbe (2). Provincialis Tuschiae M. Alexander de Florentia (3). (110-v.) Provincialis Venetiarum M. Hieronimus Calidonius. Provincialis Tholosae R. M. n. Joannes a Vescato (4). Provincialis Cathaloniae M. Benedictus Sabbater. Provincialis Alemaniae Superioris (5). . . . Provincialis Vasconiae R. M. n. Vitalis de Luperia. Provincialis Turoniae R. M. n. Renatus Bonguaut. Provincialis Saxoniae . . . Provincialis Castellae, Frater Anthonius de Lara (6). Provincialis

---

(1) Pontius. I. e. Cremonensis.

(2) Gulielmus Stobbe. Occurrit in reg. Aberdonensi a. 1543, ad ultimum usque 1556.

(3) Alexander de Florentia. Alex. Blasii de Saccis.

(4) Joannes de Vescato. Apud Balaeum pluries Vascato. Tolosanus ibidemque doctor.

(5) Alemanniae Superioris. Defuncto Andrea Stooss in fine huius vel principio sequentis anni electus fuit Eucharius Otto in capitulo Bambergensi 1540, qui obiit circa principium anni 1547.

(6) Antonius de Lara. A. 1522 subprior Abulensis, 1525 et 28 conventualis ibidem. Electus provincialis ante 6 Febr. 1537, probabiliter a. 1535. Postea i. e. a. 1546 fuit prior Toletanus.

Portugaliae, Frater Franciscus Biteiros: cum hoc quod debeat committi Capitulo et Provinciali futuro cognoscenda causa inter ipsum Provincialem et aliquos praetendentes contra ipsum habere ius. Provincialis Bohemiae Provincialis ultimo confirmatus: cum hoc quod habeat Priorem Crachoviae Convisitatorem. Provincialis Neapolitanus R. M. n. Aloysius Sampsonis. Provincialis Romandiolae R. M. Angelus Vincentinus (1). Provincialis Daciae R. M. n. Paulus Dacus (2). Provincialis Apuliae R. M. n. Anthonius Marinarius. Provincialis Bethices, M. Petrus Grybalion (3). Procurator Ordinis R. M. n. Egidius Richardus, qui ad petitionem gravissimi Patris Ordinis (in cuius pectore Procurator Ordinis residet) per Diffinitores omnes unanimiter est continuatus in illo Officio. Prior Parisiensis R. M. n. Nicolaus Bysart. Prior Romanus Lector Andreas Gryballatus (4). Prior Neapolitanus Frater Thomas de Palmerio. Prior Borbiaci Fr. Stephanus Storarius Paduanus, ut sit perpetuus et irrevocabilis. Prior Sancti Martini Frater Joannes Maria de Godelingo, qui non possit revocari: nec de eo aliter disponatur nisi per Capitulum Generale vel R.m Patrem Ordinis. Regens Parisiensis R. M. n. Marcus Probus. Regens Romanus in pectore gravissimi Patris Ordinis. Regens Neapolitanus M. Albertus (5) donec per R.m Patrem Ordinis provisum fuerit de cetero.

(111-r.) Ordinationes Taxarum pro statu R.mi Patris et expensis Ordinis: et hoc ad tempus donec Provinciae depauperatae, propter haeresim Lutheranam, redeant ad pristinum statum.

Provincia Terrae Sanctae, Ducat. II. Siciliae, XXVI. An-

---

(1) Angelus Vicentinus. A. 1510 habuit licentiam legendi sententias.

(2) Paulus Dacus. Paulus Heliae. Supra 1532.

(3) Petrus Grybaleon. Verius de Gibraleone.

(4) Andreas Gryballatus. Patavinus. In visitatione anni 1568 constrictus fuit ad restituendum conventui Patavino 38 libras quas debebat. Eodem tempore (10 Jan. 1568) una cum mag.ro Felici Zuccolis priore constitutus fuit commissarius ad inquirendum supra quasdam accusationes contra lectorem fr. Bonum. Mense Martio cum aliis nominatus fuit ad praesidendum capitulo provinciali Venetiarum.

(5) Albertus. 24 Aug. 1507 Albertus de Neapoli (cum aliis tribus) acolytus habuit licentiam suscipiendi subdiaconatum et etiam decimo octavo anno diaconatum et postquam attigerint vigesimum tertium presbyteratum.

gliae, XXXVIII. Narbonae XVI. Romana IIII. Franciae XV. Alemaniae Inferioris XXIIII. Lombardiae XIIII. Aquitaniae X. Aragoniae V. Hyberniae VI. Provinciae XII. Venetiarum XIIII. Scotiae V. Tuschiae XII. Tholosae, X. propter quatuor Conventus superadditos; Cathaloniae VI. Alemaniae Superioris XX. Vasconiae XIIII. Turoniae XVI. Saxoniae IIII. Castellae III. Portugaliae V. Bohemiae III. Neapolitana VII. Romandiolae IIII. Apuliae III. Bethices III. Daciae . . . Poloniae . . .

(111-v.) Quia plures provinciae, propter haeresim Lutheranam, nihil contribuunt, hinc est ut status Ordinis salvetur integer ordinatum est quod extraordinarie sequentes contribuant iuxta ut sequitur donec aliae Provinciae ad pinguiorem fortunam venerint.

Provincia Siciliae Ducat. VI, Franciae V, Lombardiae VII, Aquitaniae II, Aragoniae III, Provinciae III, Venetiae VIII, Scotiae I, Tuschiae III, Tholosae II, Cathaloniae IV, Vasconiae IV, Turoniae V, Castellae II, Portugaliae I, Neapolitana VII, Romandiolae V, Apuliae IV, Bethices II.

Divisio taxarum extraordinariarum pro auxilio Fabricae Conventus Sanctae Mariae Transpontinae solvendarum singulo anno usque ad futurum Capitulum Generale.

Provincia Siciliae Ducat. X Franciae II Alemaniae Inferioris VI, Lombardiae V, Aquitaniae II, Scotiae I, Tuschiae II, (112.r) Venetiarum VI, Tholosae I, Cathaloniae I, Vasconiae II, Turoniae IV, Neapolitana IV, Romandiolae II, Apuliae II.

Ordinatio Promotorum.

R. M. n. Angelus Ambrosianus (1) promotus ad Magisterium

---

(1) Angelus Ambrosianus, provinciae Venetiarum, postea etiam provincialis. Is sub die 18 Aprilis 1556 ex concessione Audeti (quam decursu temporis Rubeus non semel confirmavit) perpetuus et inamovibilis prior conventus Barbaciani nominatus fuit, quem conventum aedificavit. Rogatu Cardinalis Farnesii praedicavit in Quadragesima 1558 apud S. Laurentium in Damaso, unde consentiente Audeto et deinceps confirmante Rubeo inter domesticos et familiares praedicti Cardinalis assumptus fuit (18 April. 1558). Sub die 28 Januarii 1565 nominatur socius Generalis. Cum vero a. 1568 senio laboraret conceditur sibi a Generali non omissis terminis Concilii Tridentini provisio e censu 400 ducatorum quos praedicationibus, studiis aliisque operibus suis acquisierat (3 Junii a. c.). Eodem anno in visitatione

Doctorale. M. Joannes Anthonius De Cursu promotus ad Licentias. V. Lector Fr. Baptista Drepanensis ad Bacchalaureatum. Ad Bacchalaureatum: V. Lector Fr. Thymeus Siculus, (1) V. Lector Fr. Anthonius de Marzalia, (2) V. Lector Fr. Ioseph Siculus. Ad Lectoratum : V. Fr. Sylvester, V. Fr. Anthonius, V. Fr. Albertus Vincentinus (3), V. Fr. Archangelus de Comitibus, V. Fr. Helizeus, V. Fr. Petrus Antonius Venetus. Ad Cursoratum: Fr. Jacobus Vincentinus (4), Fr. Pontius Neapolitanus, Fr. Franciscus Neapolitanus, Fr. Hieronimus Cremonensis, Fr. Bartolomeus de Massa (5), Fr. Nicolaus Rotomagensis.

---

conventus Patavini constringitur ad restituendum 104 libras et 18 solidos quos a dicto conventu mutuo acceperat. Simul nominatur praesidens capituli provincialis in conventu Consilii dom. II post Pascha celebrandi. Deinceps acta de eo tacent.

(1) Thymeus Siculus. Cuius cognomen erat Aydonius. Mazariensis. Fuit provincialis provinciae Siciliae circa 1560 usque 1563, iudex in quadam causa criminali iussu Rubei 6 Oct. 1573, necnon assistens in consimili causa 17 Jan. 1575 quo tempore Romae degebat.

(2) Anthonius de Marzalia. Supra 1532.

(3) Albertus Vincentinus. Supra 1532.

(4) Jacobus Vincentinus. Videtur idem esse ac Joannes Jacobus Cherecatus de quo pluries in sequentibus. Adhuc lector biblicus nominatus est procurator generalis a. 1564, et in absentia Generalis Rubei « praesit omnibus provincialibus, commissariis, vicariis et aliis in Almam urbem confluentibus ac etiam conventibus in ipsa Urbe existentibus (15 Mart. 1566), sit etiam vicarius generalis in conventu Vicentiae et habeat locum et vocem in capitulo provinciali necnon cameram et hortum ibidem » (2 April. 1566). Sub die 25 Nov. 1566 absolvitur ab officio procuratoris glis, substituiturque sibi Pompejus Ragusius. Attamen Cherecatus cui generalis testimonium bene administratae functionis exhibuerat videtur in officio permansisse unde Rubeus ei mandat ut 2 Junii 1567 deposita functione se in conventum Venetiarum recipiat (23 Martii a. c.) Interim magisterium adeptus erat et licentiam obtinet praedicandi Verbum Dei. In capitulo provinciali Venetiarum 1568 primus fuit inter eos qui a generali pro provincialatu commendabantur.

(5) Bartholomaeus de Massa. Cognomine a Thonsis, Provinciae Romandiolae. De ipso adhuc pluries sermo erit. In capit. Lugensi a. 1568 coram generali praedicavit. Eodem anno de mandato Cardinalis Alexandrini in Urbem missus fuit et aliquamdiu in carcere detinebatur eo quod pacto inito cum quaestuariis saecularibus quos habitu

Ordinatio Studentium in Alma Universitate Parisiensi

Ad Lectoratum Parisiensem: Fr. Joannes Blondel, Fr. Jacobus Walterus, Fr. Joannes Chedeville, Fr. Anthonius Rocha (1) Conventus Vallium Provinciae Cathaloniae pro simplici forma. Fr. Nicolaus Currio, Fr. Joannes Arrano, Fr. Joannes Tonsor. Item duo ex conventu Valentino eligentur per conventum.

(112-v.) In Studio Coloniensi (per quadriennium):

Fr. Gerardus Scriech, Fr. Henricus Wilhelmi de Lovania (2), Fr. Georgius de Antuerpia.

In Studio Cadomi:

Fr. Guilielmus Faucillon ad Lecturam Sententiarum usque ad Magisterium inclusive pro 1° et pro 2°.

In Studio Nanetensi.

Ad Lecturam Sententiarum, et prosecutionem Cursus Theologici: Fr. Petrus Huais, Fr. Joannes Merkade, Fr. Petrus Bouchier.

In Universitate Lovaniensi.

Mgr. Joannes Regis Gandensis Provinciae Franciae, ad Magisterium pro 1° et 2°.

In Studio Pictaviensi.

Fr. Anthonius Leiars.

Ordinis induit eleemosynam quaerere fecerat. Privatur officio praedicationis, voce activa et passiva, declaratur inhabilis ad officia, interdicuntur sibi conventus Aesinus ubi priorem egerat et Senegalliensis et relegatur in conventum Ravennatensem. Antequam ex Urbe recedat pedester visitet septem ecclesias; per unum annum ieiunet feria IV et persolvat officium de Spiritu Sancto. (13 Dec. 1568). Sed cum Summus Pontifex pro eo intercesserit conceditur ut per civitatem ambulare, ecclesiae inservire et sacramenta administrare valeat (6 Feb. 1569). Cetera nos latent.

(1) Anthonius Rocha. Ordinatus ad Ordines minores 5 April. 1538 in capella palatii episcopalis Valentiae; die insequenti quae erat Sabb. Sitientes ad subdiaconatum promotus, 21 Sept. eiusdem anni ad sacerdotium. De diaconatu non habetur memoria.

(2) Henricus Wilhelmi de Lovania. Conventus Mechlinensis. Sub die 13 Julii 1549 provincialis Everardus Billick petit a generali facultatem pro promotione eius ad magisterium sive Lovaniae sive Coloniae. Postea electus fuit prior Bruxellensis a quo officio absolvitur 16 Julii 1573 eo quod observantia regularis non sine eius culpa neglecta esset.

In Studio Patavino:

Fr. Pantaleus Botontinus ex Provincia Apuliae. Fr. Guilielmus de Ilzarbe (1) Provinciae Aragoniae, ad Lecturam, seu usque ad Magisterium, pro primo et secundo.

In studio Avinionensi:

Fr. Spiritus Gisberti, ad Lecturam Sententiarum, et Magisterium.

In Studio Aquis:

Fr. Petrus Albi Conventus Luci usque ad Magisterium. Fr. Anthonius Feraudus (2) ad Lecturam, seu usque ad Magisterium pro 1. et 2.

In Studio Senarum:

Fr. Albertus Francisci (3) de Monte Catino. Fr. Pax Francisci de Fesulis Provinciae Tuschiae. Fr. Raphael Luce de Monte Cathino. Fr. Alexander Laurentii de Brunis (4) Florentinus.

In studio Neapolitano:

Fr. Angelus de Merkatzzerzano (5) Provinciae Romandiolae. Fr. Benenutus (sic) de Massa Lombardorum.

In Studio Salamantico:

Magister Antiquus Romeau (6).

(113-r). In Studio Montis Pessulani:

Fr. Claudius de Cresco ad Lecturam, seu usque ad Magisterium inclusive. Fr. Johannes Duren, Sacerdos, ad Lecturam, seu usque ad Magisterium inclusive. Fr. Nicolaus Serbanus Conventus Sinemuri, ad Lecturam, seu usque ad Magisterium inclu-

---

(1) Guilielmus de Ilzarbe. Supra 1532 Ilissarbe.

(2) Antonius Feraudus. Supra Ferauldi.

(3) Albertus Francisci de Monte Catino. A. 1537 mittitur a capitulo provinciali ad studium Senarum. Videtur idem qui infra (1548) Albertus de Montecatino audit. Sub die 31 Martii 1564 vigore attestationis Claudii de Valle, notarii S. Romanae Inquisitionis de mandato Cardinalis Alexandrini super bona conversatione Alberti de Monte Catino post peractam poenitentiam in conventu S. Mariae Traspontinae redintegratur et absolvitur.

(4) Alexander Laurentii de Brunis. Obiit Florentiae 28 Junii 1555, tunc s. theol. doctor.

(5) Angelus de Merkatzzerzano. Infra 1548 Mer(c)ato Saraceno.

(6) Antiquus Romeau. Supra 1532.

sive. Fr. Anthonius... Conventus Cabilonensis, ad Lecturam Sent. et Magisterium inclusive.

In Studio Cathurci:

Fr. Franciscus Bascorret, Fr. Leonardus Tieullerius, Fr. Egidius Electus, Fr. Joannes de Crose: omnes provinciae Aquitaniae usque ad Magisterium.

SEQUUNTUR STATUTA HUIUS CAPITULI

Principio et ante omnia praecipimus omnibus et singulis R. Prioribus Provincialibus, et Localibus, ut totis viribus contendant inducere et fovere, sincere et non ficte, Conventus et Fratres sibi creditos ad veram Reformationem, extirpando omnem proprietatem, et scandala, conformiter ad statuta ultimi Capituli Generalis Paduae celebrati, sub poena depositionis ab eorum officiis.

Item ordinamus, et praecipimus singulis R.dis Magistris Provincialibus quod reforment tot conventus quot possunt: et nisi infra annum quilibet illorum reformaverit unum conventum suae Provinciae exacte, habeatur ut absolutus ab officio; nec tenebuntur Fratres illius Provinciae eidem obedire, sed ad alterius electionem procedere, iuxta formam Statuti sequentis. Interim tamen Fratres Reformationi resistentes reiiciendi sunt nec aliquo modo tolerandi.

Cum omni diligentia invigilandum sit ne Provinciae Reformatae ad vomitum redeant et ad priorem vivendi modum revertantur: ordinamus quod ubi novi Provincialis electio facienda sit, statim tempore opportuno intimetur R.mo Patri Ordinis; qui immediate rescribat, praesentando duos, aut tres, aut quatuor dignas Personas qualificatas et Reformatas; ex quibus sic praesentatis debet eligi: quod si secus factum fuerit, non tenebitur R.mus Pater Ordinis electum confirmare, sed alium in eius locum instituere; neque poterunt procedere ad electionem, nisi accepto responso R.mi Patris Ordinis; alias electio habebitur nulla et irrita. Et haec nostra ordinatio stabit usque ad aliud capitulum Generale, in favorem novae Reformationis. Insuper et huic novae electioni novi Provincialis praesidebit Vicarius Provinciae, secundum tenorem statutorum nostrorum nisi gravissimus Pater Ordinis aliud determinaverit.

(113-v.) Praeterea ordinamus, quod absoluto triennio Provincialatus, iuxta Breve Apl.cum (ne incurratur indignatio Sanctissimi D.ni Papae, et Sanctae Sedis Apostolicae) quod nemo deinceps, cuiuscumque gradus aut promotionis existat, audeat procedere ad reelectionem eiusdem, cuius lapsum est triennium Provincialatus, nisi prius consulto R.mo Patre Ordinis, et habito eius responso: qui iuxta urgentissimam necessitatem consulet libertati Ordinis et Religionis, secundum importantiam et necessitatem temporum; et hoc sub poena inhabilitationis et privationis ad electionem Provinciae.

Praecipimus insuper omnibus nobis inferioribus, ne deinceps eligant Priores Provinciales aut etiam Locales, nisi sint Reformati: ex nunc annullantes similes electiones. Declarantes similiter, quod nemo debeat eligi in Priorem Provincialem nisi possit intelligere statuta et eadem suis subditis et fratribus exponere et declarare.

Item praecipimus R.dis Prioribus Provincialibus et Localibus ut nullo modo admittant Fratres conversos promoveri ad Clericatum vel Sacerdotium: sed unusquisque in vocatione, qua vocatus est, maneat.

Item pro uniformitate totius nostrae Sacrae Religionis, ordinamus et praecipimus R. M. Provincialibus, quod intra annum studeant quam diligentissime introducere in suis Provinciis cantum antiquum Reformatorum, conformiter ad statuta Capituli Generalis Paduae celebrati, sub poena inobedientiae et rebellionis.

Item districtius volumus observari uniformem celebrationem Missarum secundum Ordinale correctum, iuxta statutum Capituli Generalis Paduani et nunc per istud praesens Capitulum Generale approbatum: quod de unanimi consensu Rd.um Magistrorum Provincialium, ac omnium Diffinitorum dabitur impressioni, et omnes Provinciae suscipient exemplaria impressa pro singulis conventibus.

Praeterea praecipimus R.dis Mgrs Provincialibus et Prioribus Localibus, ne posthac recipiant aut quoquo modo tolerent ultra triduum ad summum Fratres aliarum Provinciarum aut Congregationis Albiensis, absque Dimissoriis suorum Provincialium aut Vicarii dictae Congregationis, sub poena depositionis ab eorum officiis: et si videatur gravissimo Patri Ordinis, sub-

poena excommunicationis ipso facto: quia ex isto procedit omnis irreformatio et impeditur Reformatio.

(114-r) Ordinamus insuper quod Apostatae qui apostatarunt propter Reformationem non possunt recipi a quocumque nixi ex licentia gravissimi Patris Ordinis: quod si eius authoritate recepti fuerint, habebunt annum probationis, in quo si bene vixerint, et videatur clementer agi debere cum eis, dabitur illis locus, computando annos, quibus prius bene et religiose in Ordine vixerunt: Anni vero, quibus abfuerunt a Conventu in Apostasia, non annumerabuntur: nec super hoc dispensabitur cum eis. Et hoc idem intelligendum est de hiis qui privilegio aliquo habitarunt extra Ordinem, et ad illum redire cupiunt, si eadem auctoritate recipiantur.

Insuper ad tollendam multae difformitatis occasionem, rigidius praecipimus omnibus et singulis M. Provincialibus et Prioribus Localibus, sub poena privationis Provincialatus aut Prioratus, quam ipso facto incurrent, ne deinceps aliquis sit Provincialis et Prior, aut duo habeat officia incompatibilia, prout in ultimo Capitulo Paduano declaratum est.

Ordinamus praeterea quod posthac nulli Fratres Clerici ante vigesimum secundum annum completum promoveantur ad sacerdotium, in quo non attendatur ad relationem parentum vel aliorum, sed magis ad apparentiam exteriorem. Decernentes quod Priores Locales non possunt promovere suos, sed solum R. M. Provinciales. Quod si contingat, aliquem ex Provincialibus aliter facere, ex nunc declaramus eum privatum auctoritate promovendi in perpetuum. Et iuvenes ante vigesimum secundum annum completum nunc promoti ad sacerdotium suspenduntur per hoc Capitulum, donec eundem annum compleverint, aut cum eis dispensatum fuerit.

Praeterea, propter diversas considerationes, ordinatum est, quod per R.dos Magistros Provinciales in singulis Provinciis ordinetur unum studium Grammatices: et in locis ultramontanis unum studium Linguae Graecae et Latinae simul, et unum in locis cismontanis.

Item mandamus omnibus Prioribus Provincialibus, sub poena rebellionis, quod transcribant statum suae Provinciae ad minus binies in anno ad gravissimum Patrem Ordinis, et praesertim de oncordia et discordia, et de Fratribus Apostatis ut possit R.mus

Pater Ordinis (114-v) scire quomodo se debeat gerere erga Fratres ad suam R.am Paternitatem confluentes, innovando statutum quandoque factum, quod R. M. Provinciales tenebuntur quolibet anno mittere taxas omnes ordinarias et extraordinarias ante Festum omnium Sanctorum, et de missis taxis gravissimo Patri scribere.

Insuper communi voto R.drum M. Provincialium et Diffinitorum decretum est, quod Priores Provinciales et Locales cum omni reverentia et decenti modestia recipere habeant Litteras R.mi Patris Ordinis, easque executioni dare. Quod si contrarium quis attentaverit, intelligatur absolutus ab officio, et inhabilitatus ad illud.

Item pro maiori pace, concordia, et Religionis observantia, decretum est, quod exempti ab Ordine et beneficiati non habeant locum aut vocem activam aut passivam in Ordine, aut aliquo Conventu, nisi fructus beneficii ex integro cedat Conventui, et non beneficiato, ad tollendam omnem proprietatem, ac proprietatis speciem. Decernentes similiter quod absentes, vel terminarii pro maiori parte anni absentes, pro tempore quo absunt, non habeant vocem activam, nec vocem relinquere possint in scriptis, aut etiam per Procuratorem. Priores vero tenebuntur convocare Fratres ubi electiones faciendae sunt, modo tantum una vel duabus dietis absint a Conventu.

Praeterea ordinamus quod quantum concernit ordinem Venerabilium Patrum Lectorum et Suppriorum, servetur ordinatio Rubricae Decimae Septimae de praerogativis Graduatorum : ita quod in quolibet capitulo Provinciali semper declarabitur, qui sint Lectores vacantes, qui vero legentes : et secundum hoc habendus erit inter illos ordo.

Statuimus praeterea quod Lectores in Alma Universitate Parisiensi promoti, non permittantur redire ad eamdem Universitatem nisi omnino verisimiliter sit, eosdem ad ulteriores Gradus promovendos.

Item ut Provinciae et Congregationes sub Regulari Observantia, et Canonica Reformatione viventes accendantur et animentur, tam coram Deo quam hominibus, semper proficere et iustiores fieri : ordinamus quod iusto titulo Fratrum nuncupatorum de Observantia gaudeant, et tales se nominari faciant, in exemplum bonorum operum. *(Sequens folium non habet numerum).*

(114-a-r.) Item cum in Germania, propter haeresim Lutheranam confutandam, maxima sint necessaria bonarum Litterarum ac Sacrae Theologiae Studia Generalia : quatenus in illis enutriantur Viri non solum doctrina praediti, verum etiam promotionis Magistralis eminentia et auctoritate fulciti. Hinc de unanimi assensu R.drum Magistrorum Provincialium et Diffinitorum, adscribimus et annumeramus Universitates Maguntinensem et Treverensem Provinciae nostrae Alemaniae Inferioris inter cetera generalia nostri Sacri Ordinis Studia. Volentes, omnes et singulos ibidem legitime promotos frui et gaudere omnibus et singulis privilegiis, gratiis, et libertatibus, exemptionibus et praerogativis, quibus in aliis nostris studiis generalibus promoti fruuntur, et gaudent.

Insuper ad instantiam et in gratiam Dilectissimae nostrae Provinciae Alemaniae inferioris, concedimus quod de Festo Sancti Dionysii et Sociorum suorum celebretur festum duplex per totum Ordinem. Quale item Festum celebrari volumus de Sancto Vincentio Martyre in memoriam Capituli istius Generalis in Civitate Vincentina celebrati.

Ordinaverunt praeterea R.di Patres Diffinitores, quod dominicis diebus quando de Dominica agitur, summa Missa diei possit de Dominica, et Missa prima de Resurrectione, conformiter ad Ordinale, in quo declaratur, quod summa Missa debet cantar de illo, de quo servantur horae.

Item approbamus et confirmamus omnia statuta praecedentis Capituli Generalis Paduani : Decernentes ea inviolabiliter observanda, sub poenis in eis contentis.

Item ordinaverunt quod iuxta statuta nostri Sacri Ordinis, nullus audeat assumere gradum Doctoratus, nisi obtenta prius et habita licentia a Patre Ordinis : Declarantes quod clausula promotionis usque ad Magisterium inclusive, nullo modo suffragabitur nec sufficit, nisi posita sit clausula pro primo et secundo vel clarius sit expressa ipsa concessa licentia assumendi insignia Doctoralia.

Item praecipimus et mandamus omnibus Prioribus Provincialibus (114 **a. v.**) quod secum accipiant copiam statutorum nostrorum in hoc Capitulo Generali ordinatorum ; quam intra spatium sex mensium post reditum a Capitulo Generali, transmittant singulis conventibus, quibus Priores Locales subscri-

bere debebunt : qua subscriptione constet de intimatione facta, faciantque R.i Mag.ri Provinciales et Locales illa inviolabiliter observari ab omnibus, sub poena rebellionis et praevaricationis professionis nostrae Sacrae Religionis. Volentes quod similes copias praesentis ordinationis transmittant vicinioribus Provinciis, quorum Provinciales praesenti Capitulo interesse non potuerunt, sub poena excommunicationis et rebellionis.

Item reservamus nobis praesens Diffinitorium usque ad octo dies.

Item ordinamus Capitulum Generale proxime futurum celebrandum hinc ad sex annos in Conventu Forlivii, Provinciae Romandiolae nisi R.mus Pater Ordinis aliud disposuerit quoad locum et quoad tempus.

SEQUUNTUR CONDEMNATIONES.

In primis presens Diffinitorium condemnavit illos qui commiserunt furtum in conventu Neapolitano, ut sint relegati in Insula Siciliae per duos annos, privati actibus legitimis, et deinceps in perpetuum sint privati conventu Neapolitano in quo commiserunt furtum, et Provincia Neapolitana.

Condemnaverunt insuper Fratrem Joannem Moriau cum socio vel sociis, qui commiserunt furtum in Conventu Parisiensi; et privaverunt eum ut supra loco et voce: ac quibuscumque actibus legitimis usque ad Capitulum Generale futurum, relegantes eumdem in perpetuum infra terminos Provinciae (115-r.) nostrae Turoniae. Decernentes quod si extra terminos eiusdem Provinciae fuerit inventus, debeat carceri mancipari usque ad Capitulum Provinciale Provinciae Nostrae Turoniae, et tali casu dato, praefigatur ei terminus per R.um Mag.rum Provincialem dictae Provinciae et Diffinitores Capituli eiusdem, quod infra tres menses ingrediatur aliam Religionem, dimisso habitu nostrae Religionis: quod si facere neglexerit, privetur tanquam incorrigibilis Ordine et habitu nostro, et dimittatur.

Condemnaverunt quoque iuxta sententiam R.dorum Magistrorum Visitatorum de Sicilia Fratrem Lucam de Marsalia ad triremes per quadriennium privantes eum Valle Marzaliae in perpetuum, et loco et voce, donec per Capitulum Generale futurum clementer fuerit dispensatum cum eo.

Condemnaverunt etiam Fratrem Andream de Lacerva de Rovereto, ob incorrigibilitatem, ut sit exul extra Provinciam Venetiarum per decennium, et si interim deprehendatur adhuc incorrigibilis extra ipsam Provinciam, praefigatur ei terminus trium mensium, ut ingrediatur alium Ordinem: alias privetur habitu Religionis nostrae.

Condemnaverunt denique Fratrem Zachariam de Anchona ut sit exul a Provincia Romandiolae, privantes eum loco et voce usque ad capitulum Generale futurum.

Quantum ad Absolutiones.

Item absolverunt Fratrem Joannem Michaelis Neapolitanum ab exilio et ab aliis poenis et censuris quibus fuerat condemnatus; (115-v) cum eo clementer agentes: ita quod poterit in omnibus Provinciae Neapolitanae locis recipi. Decernentes tamen et declarantes quod teneatur restituere pecunias Conventui Neapolitano quas sibi detinuit, eo tempore quo fuit Procurator illius conventus, et de quibus fuit convictus, et remansit et remanet debitor.

(Infrascripti propria manu in Libro Ordinis subscripserunt).

Ego Magister Angelus de Modica Diffinitor Siciliae fateor me interfuisse, approbo et confirmo. Ego Magr. Anthonius Chanelonis Diffinitor Provinciae Narbonae fateor me interfuisse, et approbo et confirmo. A. Chanelonis. Ego Magister Vincentius Leonius Provincialis Romanus fateor me interesse et approbo et confirmo. Ego Frater Mattheus de Lauda Provincialis Franciae approbo supradicta omnia et singula, teste propria subscriptione. Fr. de Lauda. P. F. Sic sentit Vicarius Congregationis Albiensis, Fr. D. Desiderii. Interfui, approbavi confirmavi Fr. Martinus Cuper Socius Provincialis Alemaniae Inferioris. Ego M. Pontius Cremonensis Provincialis Lombardiae approbo et confirmo omnia ut supra. Ego Frater Joannes de Ecclesia Provincialis Aquitaniae fateor me interesse et approbo et confirmo. I. De Ecclesia. Ego Frater Jacobus de Attjenca Provincialis Aragoniae fateor me interesse et confirmo et approbo. J. de Attjenca. Ego Fr. Gaspar Servientis Provincialis Provinciae Provinciae consentio ad supradicta, teste meo signo hic posito anno et die ut supra. G. Servientis.

(116-r). Ego Mag. Hieronimus Calidonius Provincialis Provinciae Venetiarum fateor me interfuisse, et approbo et confirmo.

Ego Magr. Benedictus Sabater Provincialis Provinciae Cathaloniae fateor me interesse, et confirmo et approbo. Ego Fr. Alphonsus Joannes de Neapoli Diffinitor Capituli Generalis approbo et confirmo ut supra. Ego Mgr. Alexander Blaxii Diffinitor et Provincialis Tuschiae confirmo. Ego Fr. Vitalis de Luperia Provincialis Provinciae Vasconiae fateor me interesse, et approbo omnia Acta huius Capituli. Ego Magr. Anthonius Marinarius Provincialis et Diffinitor Apuliae approbo. Ego Frater Vilelmus Stob Provincialis Provinciae Scotiae omnia Acta capituli approbo, teste manu propria. Fr. Vilelmus Stob. Ego Magr. Angelus Vincentinus Provincialis Romandiolae interfui, approbo, et confirmo. Michael a Finibus Diffinitor Provinciae Tholosanae approbat. Ego Fr. Willelmus Lyndsay Vicarius Provincialis Provinciae Scotiae fateor me interesse et approbo et confirmo.

Et Ego Frater Renatus Boug(aud)us interfui praemissis et approbo eadem.

R. Boug(aud)us.

(116-v). IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Amen.

Haec sunt acta et ordinata Capituli Generalis celebrati in nostro Conventu Venetiarum, Praesidente R.mo Patre M. Nicolao Audet. Anno Domini 1548 (1) in Festo Pentecostes, vigesimo die Mensis Maii, Praesentibus R.dis Magistris nostris Provincialibus, cum sociis eorum, seu discretis numero...... Existente Priore Locali dicti Conventus Venetiarum R. M. Alberto Vincentino (2).

In primis cum R.mus Pater Ordinis praefatus Magr. Nicolaus Audet iuxta tenorem Statutorum nostrorum, humiliter, et benignissime posuisset Sigillum Officii sui cum privilegio etc. nemo nostrum in minimo eundem accusavit, sed omnes concorditer humiliter rogavimus eius R.mam Pa.tem, quatenus onus animarum nostrarum cum ipso sigillo Officii acceptaret, et reassumeret; quod tandem ad plurimas nostras preces, ad profectum nostri Sacri Ordinis reassumpsit.

---

(1) Hoc capitulum pro anno 1547 convocatum erat sed postea prorogatum. Postina, l. c. 176.

(2) Albertus Vincentinus. Supra 1532.

Auditores Causarum fuerunt in hoc Capitulo octo R.di M.ri infrascripti in duas Classes distincti.

Criminalium: R. M. Antonius Feraldus (1) Provincialis Provinciae; R. M. nr. Ivo Anglicus Prior Conventus Sancti Pauli; R. M. Andreas de Bassiniana (2); R. M. nr. Theophilus Viperarius de Conventu Messanae.

Civilium: R. M. nr. Antonius Marinarius Pro.alis Appuliae; R. M. Joannes Jacobus Chyericatus (3) Regens Padoviae; R. M. nr. Bartholomeus de Massa Regens Florentiae; R. M. nr. Antiquus Romereau (4) Prior Conventus Gerundae.

Diffinitores fuerunt: 1. R. M.nr. Antonius Garratana (5) Vicarius Siciliae; 2. M. nr. Katharinus Ponssottus Provincialis Narbonae; 3. M. Andreas Gribellatus (6) Pro.alis Romanus; 4. M. Joannes Faber (7) Socius R.di Pro.alis Franciae; 5. M. Joannes Stephanus Facinus (8) Pro.alis Lombardiae; 6. M. Damianus Leo (9) Pro.alis

---

(1) Antonius Feraldus. Supra 1539 Feraudi, Ferauldi.

(2) Andreas de Bassiniana. Joannes Andreas de Bass. 1524.

(3) Joannes Jacobus Chyericatus. Supra 1539 Jacobus Vincentinus.

(4) Antiquus Romureau. 1532 Romeu, Romeau.

(5) Antonius Garratana. 24 Dec. 1507 Anthonius Geradana fuit factus filius conventus Moack et ordinatus studens in physicalibus et theologicalibus in conventu Paduae usque ad tres annos proximos. Item fuit mandatum priori conventus Moack ut provideat sibi de una uncia (auri) singulis annis studio durante. Item dictum procuratori Marmatis; item dictum provinciali. 27 Junii 1508 Anthonius Geradana fuit absolutus a filiatione conventus Moack et remissus ad provincialem ut sibi provideat de conventu Patavo.

(6) Andreas Gribellatis. Supra 1539.

(7) Joannes Faber. Joannes Fabri supra 1517.

(8) Joannes Stephanus Facinus. De eo pluries in sequentibus. Fuerat provincialis praeter praesentem terminum etiam a. 1556, et iterum 1564 usque 67 quo auctoritate Pii V et capituli generalis terminus prolongatus fuit in favorem reformationis provinciae ita ut saltem usque finem anni 1570 eo officio fungeretur. Obiit ante 30 Junii 1572 quo bona eius conventui Cremonensi incorporata sunt deductis quibusdam legatis.

(9) Damianus Leo. Vicarius Generalis per Hispaniam circa annum 1545 et deinceps. Postea, i. e 1567 et sequentibus annis procurator Ordinis in curia regis Catholici.

Arragoniae; (117-r) 7. R. M. Benedictus de Rota Prior Avinionensis, et Socius R. Pro.alis Provinciae; 8. R. M. Martinus Vasthalla (1) Socius Prov. Thussiae; 9. R. M. Albertus Salvetus (2) Custos Prov.ae Venetiarum; 10. R. M. Joannes Collominer (3) Prov.alis Cataloniae; 11. R. M. Bernardus a Sereno (4) Prov.alis Turoniae; 12. M. Joannes Antonius Darius (5) Prov.alis Neapolis; 13. M. Joannes Antonius de Cursu (6) Prov.alis Romandiolae; 14. Mr. Baccalaureus Franciscus de Vita Socius Provinciae Apuliae; 15. P. Albertus de Sconar (7) Socius Pro.alis Beticae.

Directores Capituli: Praesidens in ipso Capitulo R. M. nr. Gaspar Bernerius (8) Cremonensis, Oeconomus ipsius Capituli R. P. Stephanus Staurarius Prior Bourbragi (9).

QUO AD PROVINCIALES.

Pro. alem Terrae Sanctae ordinamus R. M. Iaffredum Scloppa. Siciliae R. M. Antonium Iarratana (10). Cum hoc, ut ter-

---

(1) Martinus Vasthalla. Pleniori nomine Martinus Accursius de Vastalla. 1536 iam magister nuncupatus fuit secundus diff., socius prc capitulo generali, et regens Senarum. 1538 primus diff. 1540 habuit nominationem officialium conventus Senarum. Obiit 1. Dec. 1459 quo die Necrologium Flerentinum magnum elogium continet.

(2) Albertus Salvetus. 1539 de Salvetis. Infra Sulvettus.

(3) Joannes Collominer, 1532 Petrus Joannes Collomier.

(4) Bernardus a Sereno. Videtur idem qui a. 1532 Bernardus Scorin nuncupatur.

(5) Antonius Darius. Plenius Johannes Ant. Darius, de quo frequens sermo in subsequentibus. Post discessum mag. Rubei 9 Febr. 1568 constitutus fuit vicarius generalis super conventum Neapolitanum qui eo tempore tamquam peculiaris moderatoris Ordinis habebatur. 1568 fuit unus e praesidentibus capituli provincialis Neapol. in conventu Casertae celebrandi. Postea fuit prior conventus Pausilippi et obiit ante 29 April. 1569.

(6) Joannes Antonius de Cursu. Supra 1539 Antonius de Cursu.

(7) Albertus de Sconar. Infra Scobensis.

(8) Gaspar Bernerius, Supra 1532.

(9) Stephanus Staurarius prior Bourbragi. Stephanus Storarii seu Storesiani de quo supra 1517 et amplius infra. Prior Burbaci.

(10) Antonius Jarratana. Supra 1513.

minato triennio, ratio habeatur R. M. Vincentii Leonii (1): Angliae iuxta dispositionem temporis faciendum. Narbonae, R. M. Katharinum Ponsottum. Romanum R. M. nr. Albertum Suluettum (2). Franciae R. M. nr. Mattheum de Lauda. Alemaniae inferioris R. M. Everardum Bilick (3). Lombardiae R. M. Joannem Stephanum Facini. Vicarium autem distinctionis Januae R. M. Joannem Andream de Bassigniana. Aquitaniae ab ipsa Provincia legitime eligendum et per R.mum Patrem Ordinis confirmandum. Arragoniae R. M. Damianum Leonem. Iberniae iuxta dispositionem temporis faciendum. Provinciae R. M. Antonium Feraldum. Scotiae R. M. Joannem Crestesonem (4). Thussiae R. M. Angelum de Abbatia, cum hoc quod resideat Florentiae, cum instructione ei facienda per R.mum Patrem. Venetiarum R. M. Andream Grebellottum (5). Tholozae M. Joannem Grossi. Cattaloniae R. M. Joannem Collomet. Alemaniae Superioris R. P. Nicolaum Rab (6). (117-v.) Vasconiae R. M. Vilelmum de Luperia. (7) Turoniae M. Bernardum de Sereno. Saxoniae iuxta dispositionem temporis faciendum. Castellae R. M. per Provinciam rite eligendum. Neapolis R. M. Joannem Antonium Darium. Portugaliae R. P. Benedictum Bonum. Romandiolae R. M. Joannem Anto-

(1) Vincentius Leonii, 1524.

(2) Albertus Suluettus. Supra Saleti.

(3) Everardus Bilick. Vide Vitam eiusdem a D. Postina conscriptam.

(4) Joannes Cresteson. Aberdonensis, occurrit in diplomatibus a. 1541 tamquam conventualis, forte procurator (Jo. Crystesoun, Christosone etc., una vice per errorem Gulielmus Christesone), 1542-45 prior, et iterum 1556-7 et insimul provincialis (1556-65). Ad instar complurium tempore provincialatus tenuit prioratum in conventu residentiae suae.

(5) Andreas Grebellattus. Supra 1539 Gryballatus.

(6) Nicolaus Rab. Scriba capituli qui videtur fuisse Katherinus Ponsottus, hic manifeste erravit, provincialis nempe Alemanniae superioris fuit Georgius, non Nicolaus, Rab, olim prior Abensbergensis S. theol. lic. qui anno superiori, i. e. circa mensem Aprilis 1547 electus fuerat, uti e pluribus epistolis tum Generalis cum Everardi Billick et ex actibus provinciae liquet. Is Georgium Rab iudicat esse virum venerabilem, integrum, gravem, fide dignum, probum, simplicem tamen nec rerum satis peritum.

(7) Vitalis de Luperia.

nium de Cursu. Daciae iuxta dispositionem Ordinis aut temporis faciendum. Bethicae R. P. Andream de Santa Cruce. Boemiae iuxta dispositionem temporis faciendum. In Provincia Apuliae elegerunt Vicarium R. P. Vinc entium. Procuratorem Ordinis R. M. Antonium Marinarium, iuxta Constitutioncs Ordinis et Capituli Generalis Paduae celebrati. Priorem Romanum R. P. Hieronymum Gilbertum (1) Veronensem usque ad Capitulum Generale futurum, ad dispositionem R.mi Patris Prioris Generalis. Priorem Parisiensem R. M. Claudium a Monte-Martyrum. Priorem Neapolis in pectore R.mi Patris. Regentem Romanum R. M. Antonium de Caffarta. Regentem Parisiensem R. M. Marcum Probum. Regentem Neapolis in pectore R.mi Patris.

Statuerunt et ordinaverunt R. M. Diffinitores, ut triennium R. M. Prov.alium, qui praesenti Generali Capitulo interfuerunt, quo exercere debent Provincialatus Officium, debeat, et intelligatur incipere a Festo Pentecostes proxime praeterito, hoc est, a die vigesima Maii praesentis anni in quo ipsum Capitulum est celebratum.

Taxas seu collectas ordinarias et extraordinarias in Capitulo praecedente celebrato Vincentiae Anno Domini 1539 approbamus et confirmamus et quatenus opus est de novo statuimus.

(118-r.) Praeterea, cum R.mus Pater Ordinis, praecepto Summi Pontificis, se transtulerit cum aliquot R. Pro.alibus et Doctoribus, ac aliis Theologis ad Sacrum Concilium, et in eo manserit primo Tridenti per biennium; postea Bononiae, ubi pro toto Ordine opportuna et necessaria Sanctae Sedi Apostolicae et Ecclesiae Catholicae praestitit obsequia, labores quamplurimos pro defensione Catholicae veritatis, cum aliis eruditisnimis Patribus aliorum Ordinum sustinendo, ac partes totius Religionis nostrae in ipso Concilio et vices gerendo, prout in

---

(11) Hieronymus Gilbertus. Seu Gisbertus, Veronensis. A. 1563 fuit prior S. Mariae Transpontinae, et testis testamenti Nicolai Audet qui sibi et Stephano Storario Paduano reliquit insimul usuram scutorum 763 1[2 in recompensam servitiorum sibi impensorum quia multum insudaverunt in servitiis et ministeriis ipsius testatoris. Post eorum obitum summa praedicta applicetur conventibus respectivis. Praeterea reliquit Hieronymo Gilberti summam 200 scutorum in restitutionem expensarum sui gratia factarum quibus quamvis multum plus expendisset Hieronymus se contentum fore declaraverat.

aliis Conciliis Generalibus praecedentibus, iuxta dispositionem temporis, Patres nostri Ordinis Conciliis eiusmodi interfuerunt. Idcirco cum pro sumptibus per eundem R.mum Patrem infrascriptas provincias nostras taxare statuerimus: Idem solita benignitate usus, ex multo maiore quantitate expositae pecuniae fuit contentus mediocri infrascripta taxatione; quam omnino sub poenis infrascriptis ad ipsam Reverendissimam Paternitatem suam transmittendam decernimus; ut post diuturnos sudores, quos pro defensione et honore Religionis nostrae sustinuit, sed satisfaciat suis creditoribus, et gravatus nullomodo remaneat aere alieno Amicorum benevolentia accepto, et ad tam manifestum servitium et commodum totius Religionis nostrae.

Sequitur Taxatio in tribus annis solvenda, et portio pro quolibet anno. erit infrascripta:

Provincia Narbonae scuta 14.; Franciae scuta 18.; Aquitaniae 13.; Arragoniae 5.; Provincia Provinciae 11; Tholozae 13.; Cataloniae 5.; Vasconiae 16.; Turoniae 14.; Castellae 3.; Portugaliae 4.; Bethicae 3. — Tota summa in tribus annis ascendit ad scuta 357.

Provincia Siciliae scuta 67.; Neapolis 20.; Romana 2.; Lombardiae 22.; Venetiarum 22. (118 v.) Thusciae 6.; Romandiolae 6.; Appuliae 3. — Tota summa pro uno anno ascendit ad scuta 148. Tota summa in tribus annis ascendit ad scuta 443. Summa summarum ascendit ad scuta 800.

Quo ad Promotiones in Alma Universitate Parisiensi. Promoverunt: R. M. nostrum Marcum Probum Regentem; H. P. Nicolaum Arnesium, ad sententias pro anno 1549 ordinarie; H. P. Sebastianum Carpentarium ad sententias pro anno 1549 vel 1550, extraordinarie; Item omnes alios expressos in Registro Ordinis.; Item promoverunt in eadem Alma Universitate V. P. Gulielmum Clericum (1) ad artium Lectoratum.

In studio Papiensi promoverunt: H. P. Eliam Galum Licentiatum Regentem; H. P. Nicolaum Pissium, ad Sententias; H. P. Gabrielem Cremonensem, ad Sententias; V. P. Franciscum Vitam Appulum, ad Bibliam; V. P. Genesium Cremonensem (2) ad Lectoratum.

---

(1) Gulielmus Quercu (?).

(2) Genesius Cremonensis. Genesius Rosanus de quo infra 1575.

In studio Senensi ordinaverunt: R. M. Martinum Vasthallam Regentem. Item promoverunt V. P. Albertum de Monte Drepani ad legendas Sententias.

Baccalaureos: V. P. Albertum Drepanensem; V. P. Egidium Drepanensem.

Lectores: Venerabilem P. Marcum Antonium de Massa (1); Venerandum P. Alexandrum Florentinum.

(119-r.) Cursores: P. Theodorum Neapolitanum; P. Eugenium Neapolitanum.

Studentes: F.rem Thomam de Lugo; Fr. Honorium Neapolitanum; Fr. Cirillum Neapolitanum; Fr. Zachariam de Lugo; Fr. Joannem Baptistam Senensem; Fr. Nicolaum Senensem; Fr. Laurentium Senensem; Fr. Sebastianum Venetum (2); Fr. Claudium Ciprium.

In studio Paduae ordinaverunt: R. M. Vincentium Spino-

Patria Mediolanensis. In capit. sequenti una cum aliis laurea doctoratus insignitus (10 Junii 1564). 31 Oct. 1567 conceditur sibi locus et ecclesia Morcho olim ad Carmelitas pertinentes, deinde Franciscanis traditi sed nunc ab eis relicti; secum habeat duos vel tres sacerdotes vel laicos nostrae religionis; quod si infra duos annos praedictus locus nobis non fuerit unitus unione perpetua eum et qui secum sunt inde revocamus. Sequenti die in conventu Papiae in prandio Fr. Pontius Scalma habuit orationem idiomate italico in encomium Rev.mi Patris (Rubei) cum quibusdam versibus omnia phrasim et officinam mag. Genesii Rosani redolentia. 5 April. 1568 revocatur a loco de Morco et mittitur in conventum Mediolanensem loco sibi inter doctores assignato. 14 Jan. 1570 pecuniae Valerii Cremonensis e conventu Placentiae nuper defuncti applicentur pro sumptis factis pro mag. Genesio Rosano S. Inquisitionis officio. 1 Aug. 1574. Ob quaedam quae pudet Rubeum referre Rosanus prioratum Papiensem resignat et licentiam obtinet bonas artes, sacras litteras et theologiam docendi coram abbate et monachis S. Salvatoris Ticinensis; servetur tamen illi camera quam habuit in conventu Papiensi. 8 Aug. 1575 Rosanus, tunc provincialis, assistit Generali in quodam processu criminali Mediolani.

(2) Marcus Antonius de Massa. Infra Marcus Antonius Magnamis. Electus provincialis Romandiolae in Capitulo Lugensi 1 Maji 1568.

(3) Sebastianus Venetus. Memoratur Mag. Sebastianus 12 Jan. 1568 qui in visitatione conventus Patavini obstitit translationi chori super ianuam ecclesiae.

lam (1) Neapolitanum Regentem. Promoverunt ad legendum Sententias pro anno 1551 Honorandum P. Joannem Andream Venetum. Honorandum P. Bartholomeum Senensem pro eodem anno 1551. Honorandum P. Dionisium Severinum pro eodem anno 1551. Promoverunt ad legendas Sententias in dicto studio Paduae vel in alio eis commodiore Honorandos Baccalaureos Joannem Baptistam Audet et Albertum Calepinum Provinciae Terrae Sanctae.

Lectores: Venerandum P. Sebastianum Cesenatem (2); Venerandum P. Angelum de Mercato Sarraceno (3).

Cursores: V. P. Paschalem de Cathania (4).

Studentes Theologos ordinaverunt: F.rem Augustinum Senensem; Fr. Caesarem Appullum; Fr. Urbanum (5) Neapolitanum; (119-v.) Fr. Joannem Baptistam de Congregatione Mantuae; Fr. Theodorum de eadem Congregatione; Fr. Serva diem (6) de Barbarano.

In studio Neapolitano: Regentem, Baccalaureos, et Lectores ad ordinationem Gravissimi Patris.

---

(1) Vincentius Spinola. De isto pluries sequenti capitulo. 6 Junii 1568 confirmatus provincialis Terrae Laboris et Neapolis.

(2) Sebastianus Cesenatius. In capitulo provinciae Romandiolae in conventu Lugi celebrato 1 Maji 1568 habuit septem voces pro provincialatu, mag. Thomas Zanottus quinque, sed Marcus Antonius Magnani qui habuit decem electus et confirmatus fuit. Eo tempore erat prior Cesenatensis.

(3) Angelus de Mercato Sarraceno. Vide supra 1539.

(4) Paschalis de Cathania. Unus e numero magistrorum a generali propositorum ad provincialatum Siciliae dominica II post Pascha 1568.

(5) Urbanus Neapolitanus. Cum Rubeus Patavium appelleret invenit mag. Urbanum Neapolitanum qui dixit se ibi missum fuisse mandato mag. Pompeji Ragusii vice procuratoris ex decreto Cardinalis Bobba. « Ampleximus eum tamquam filium obedientiae ne quis opinaretur eum transgressum fuisse aut transgrediendi voluntatem habuisse ». (12 Dec. 1567). Jam antea (8 Nov.) Rubeus miserat mag.ro Pompeio mandatum coram notario Marco Antonio Bruto in officina Fabritti Galletti praedicto Urbano intimandum.

(6) Supra 1532 Cerva deum.

Cursores: Venerabilem Paulum Florentinum (1); Venerabilem Fratrem Hieronimum Amorosium (2); Venerabilem Fratrem Bartholomeum Ragosium; (3) Venerabilem Fratrem Bartholomeum de Ronsilione.

Studentes: Fratrem Lucam de Masareno; Fr. Mattheum de Sicculo; Fr. Modestum de Sarno (4).

In studio Florentiae ordinaverunt: R. M. Bartholomeum de Massa (5) Regentem; Promoverunt Honorandum Albertum

---

(1) Paulus Florentinus. Occasione visitationis Rubei in conventu Lugensi mense Majo 1568 tres conciones habuit, et aliam in conventu Massae in ecclesia maiori ad populum et « cunctis valde gratus fuit ». Cum vero amiserat patentes praedicationis, novas a generali recepit quibus etiam constitutus fuit praedicator magistratus Ravennae.

(2) Hieronymus Amorosius. Melius Amorchus. Fuit inter candidatos pro provincialatu Siciliae uti supra de Paschali de Catania dictum est.

(3) Bartholomaeus Ragosius. Germanus mag.ri Pompei Ragusii. Fuit socius Rubei in visitatione Hispaniae et Italiae septentrionalis, et destinatus est praesidens capituli Siculi, Casertae celebrandi (1568) in quo ipse provincialis electus est. Litteris confirmatoriis sub die 6 Junii a. c. sequens clausula addita est: Certe nostrae dilectissimae provinciae Siciliae bene consultum fuisse gaudemus cum R. Mag. Bartholomaeus Ragusius socius noster in exequenda reformatione nostra tum in Hispaniis tum in Lusitania tum in Italia nobis praesentibus integre religiose et diligentissime persolverit ».

Eodem anno constituitur visitator Romandiolae, Tusciae, Romanae (extra Urbem) et Neapolitanae provinciarum necnon et vicariae Calabriae. 14 Aug. 1571 reassumitur in socium generalis. 23 Sept. 1572 gaudet librorum supellectile gratia Ordinis cum conventus Mazariae ob nimiam paupertatem subvenire nequeat. Eodem die confirmatur in suo provincialatu cum totum triennium praecedens in visitationibus et comitatu generalis consumpserit, ac etiam ne reformatio provinciae quid detrimenti capiat. 19 Martii 1574 nominatur praesidens sequentis capituli provincialis.

(4) Modestus de Sarno. Videtur idem ac Modestus Planus de quo in sequenti capitulo. Mense Junii 1563 obtinuit licentiam procedendi ad magisterium; 1568 fuit prior Neapoli, anno sequenti commissarius ad inquirendum de dissidio inter vicarium provinciae Terrae Laboris et priorem Beneventanum quorum ille dicitur nimis acerbus fuisse in istum, iste vero lacessisse illum.

(5) Bartholomaeus de Massa. Supra 1539 de Thonsis.

de Monte Catino (1) ad legendas Sententias pro anno 1551.; Honorandum Vittum Panormitanum pro eodem anno 1551; Honorandum Desiderium Panormitanum pro eodem anno 1551. (2)

Lectores: H. P. Nicolaum Ciculum; Venerandum P. Petrum Venetum.

Cursores: Venerabilem P. Bernardinum Senensem.

Studentes: Fr. Joannem Baptistam Vincentinum; Fr. Ambrosium Patavinum; Fr. Petrum Senensem.

Studentes promovendos: Fr. Gregorium de Prato; Fr. Raphaelem de Sinigario (3) Fr. Marcum de Reclusis.

(120 - **r.**) In studio Ravennae: Regentem, Baccalaureum et Regentes et Lectores ad institutionem Rev.mi Patris Ordinis.

Cursores: Venerabilem Nicolaum Neapolitanum. (4)

Studentes: Fr. Foelicem Patavinum; Fr. Albertum Neapolitanum; Fr. Andream Florentinum (5); Fr. Michaelem Venetum (6).

---

(1) Albertus de Monte Catino. Supra 1539 Albertus Francisci.

(2) Desiderius Panormitanus. Plenius Desiderius Mazzapica de Sancto Martino. Intererat Concilio tridentino. Circa a. 1563 in capitulo Agrigentino prov. Siciliae inter candidatos pro provincialatu elapso triennio Thymei Aydonis. Anno 1565 fuit visitator generalis provinciae Bethicae quo tempore, scil. die S. Bartholomaei 1565, in conventu Astigiae (Ecija) ob quasdam controversias in provincia obortas Melchior Nieto ei in publico refectorio alapam dedit et cucullam dilaniavit (de his in sequentibus iterum sermo erit). Postea fit procurator Ordinis in curia regis Catholici Matriti, deinde, scil. 6 Sept. 1566 ad episcopatum Ugentinum in regno Neapolitano assumitur. Obiit 28 April. 1593.

(3) Raphael de Sinigario (Senegalio?).

(4) Albertus Neapolitanus. Infra 1564 Albertus Navelerius.

(5) Andreas Florentinus. De isto in registro Rubei: Andreas Florentinus olim Ordinis nostri sed apostata qui tamen in saeculo honestissime vixit et doctoratus lauream acquisivit, tempore Jubilaei in se revertens ab omnibus peccatis et censuris absolutus fuit et nunc petit iterum recipi ad Ordinem.

Assignamus ei provinciam Romandiolae, erit privatus voce et loco etc. ad nostrum beneplacitum, per annum recitet quotidie septem psalmos poenitentiales, feria II officium Defunctorum, feria IV ieiunet, singulis diebus faciat sacrum. Dat. Cremonae 29 April. 1576.

(6) Michael Venetus. Die 8 Jan. 1568 in visitatione Rubeus « monuit rev. mag. Michaelem ut cito restitueret conventui et aliis creditoribus summam 70 scutorum ».

In studio Pisarum: Regentem R. Julianum de Prato (1); Honorandum Baccalaureum Pacificum Florentinum, ad legendas Sententias.

Lectores: Venerandum P. Leonardum de Bisbaria.

Cursores: Venerandum P. Joannem Mariam Venetum (2).

Pro forma simplici: Fratrem Joannem Baptistam de Sacha.

In studio Nanetensi, vel in quocumque alio in Provincia Turoniae vel extra, promoverunt ad legendas Sententias: Honorandum P. Ludovicum Benedictum; Honorandum P. Gulielmum Godin; Honorandum P. Urbanum Conventus Turonis; Honorandum P. Mathurinum Bonnetier: Honorandum P. Petrum Morellum.

In studio Catinensi promoverunt ad legendas Sententias: Honorandum P. Albertum Marcianum de Modica (3).

In Conventu Venetiarum: Honorandum P. Salvatorem Venetum (4), ad legendas Sententias.

(120-v.) Statuta ordinata per Diffinitorium Capituli Generalis celebrati in Conventu Venetiarum Anno Domini 1548 die 20 Maii in Festo Pentecostes.

In primis et ante omnia approbamus et confirmamus et quatenus opus est, renovamus statuta duorum Capitulorum praecedentium, videlicet Capituli Generalis celebrati Paduae 1532, et Capituli Generalis celebrati Vincentiae 1539, districte praecipientes omnibus R. Prioribus Provincialibus et Localibus N.tri Ordinis, ut ea in viridi observantia habeant, et legi ac servari studeant in Provinciis et Conventibus eorum, in his praecipue quae pertinent ad reformationem Ordinis et Vitam Regularem.

---

(1) Julianus de Prato. Julianus Ristorius. Vide 1524.

(1) Joannes Maria Venetus. Supra 1524.

(2) Albertus Marcianus de Modica. Syracusanus, in capitulo 1564 laurea insignitus.

(3) Salvator Venetus. Verius Salvator Porthesius. A Rubeo 27 Oct. 1567 in visitatione Papiae cum aliis ad cursoratum promotus. In eadem visitatione Salvatorius Venetus studens Papiae exposuit quod cum Venetiis suppetias praestolasset quae ex testamento Nicolai Audeti sibi debitae erant, saepius retardabatur atque finaliter in domum patris se recepit ubi per sex menses extra Ordinis obedientiam sed retento habito degit. Declaramus ipsum apostatam non fuisse, sed orationem et ieiunia ipsi indicavimus et absolvimus eum. Papiae 2 Nov. 1567.

Item quia Capitula totius Ordinis Generalia ad hoc ab antiquis Patribus nostris Religionis nostrae Fundatoribus, instituta sunt et ordinata ut Sacra Religio nostra in suo tenore et moderamine diutius perseveret et in Sanctae Ecclesiae Catholicae militia ac disciplina perseverans de virtute in virtutem proficiat et uberiores semper fruges proferat, ac per huiusmodi Capitula Generalia provide et honeste directa, vires in bonis operibus resumat, et, prout opus fuerit, per instaurationem morum ac disciplinae Regularis augeatur et crescat: Praecipimus et mandamus ut de caetero Provinciarum Ordinis Directores, hoc est iuxta statuta Ordinis Provinciales, vel electi Vicarii posthabitis quibuscumque excusationibus, seu exceptionibus, quoties rite citatum et convocatum fuerit Capitulum Generale, ad ipsum Capitulum personaliter cum sociis canonice electis se transferre teneantur, ac debeant, nonobstantibus in oppositum facientibus quibuscumque. Declarantes, nullam ab aliquo praetendi debere, aut posse excusationem, nisi solius notabilis infirmitatis, per quam manifestissime constet ab eo qui se excusare praetendat, quod iter modo aliquo fieri non possit. Quo casu dato eiusdem socii aliquo praetextu excusari non poterunt, quin ad ipsum Capitulum accedere teneantur, sub poenis etc. Decernentes, ut si de caetero aliqui ad Generale Capitulum accedere neglexerint, ipso facto sint suspensi ab officiis quibus fungebantur, et ad alia officia Ordinis inhabilitati, etc.

QUOAD CULTUM DIVINUM.

Omnes patres nostri Sacri Ordinis teneantur habere Ordinale de novo impressum, et novissime correctum, et emendatum per R.mum Patrem totius Ordinis, et observare modum et ceremonias in ipso contentas, maxime in celebrandis Missis in quibus omnes desideramus esse uniformes. Quo circa Priores Provinciales in visitationibus suis sint vigiles, et examinent Fratres de modo recitandi preces horarias, et Missas celebrandi; et si quos repererint negligentes, corripiant, in exemplum caeterorum.

(121-r). Dolentes consideramus labem pestiferae haeresis ingrassare non satis nostro saeculo damnandae: propterea ordinamus et inviolabiliter praecipimus omnibus Prioribus Provincialibus et Localibus ut diligenter animadvertant Fratres sibi commissos in

moribus et in verbis, si quid habeant redolens haeresim quovis modo, et ubi repererint Fratrem cuiuscumque Gradus aut conditionis extiterit, privent eum loco et voce, et mittant in carcerem si videatur expedire, vocatis ad hoc Patribus Conventus. Si autem (quod absit) aliquis Prior, aut Magister praedicaverit aliquas propositiones Fidei Catholicae non conformes, aut Orthodoxae fidei contrarias de Litteris Sacris, unde exoriri possit murmur populare, aut scandalum in Ecclesia, ordinamus, et praecipimus Provincialibus tales absolvere a suis officiis, et eos absolutos declarare, inhabilesque ad aliquam Praelaturam in Ordine, donec per Capitulum Generale fuerit cum eis misericorditer dispensatum.

QUOAD STUDIA.

Approbantes et confirmantes nova studia ordinata in Italia, videlicet Florentiae, Ravennae et Veronae, statuimus et ordinamus ut Priores Provinciales teneantur erigere studia in suis Provinciis, ubi non sunt studia Generalia, et manutenere Regentes Grammatices et Logices atque etiam Sacrae Theologiae, expensis Provinciae; Priores vero Locales tenebuntur mittere ad eadem studia suae Provinciae ad minus unum studentem, cui habebunt providere de expensis secundum rationem locorum, de quo Provincialis et Diffinitores Capituli Provincialis habebunt iudicare. Quod si Priores Locales negligentes fuerint mittere suos studentes cum expensis suis, Provinciales tenebuntur eos absolvere a suis Officiis et providere de regimine illius Conventus.

Omnes Magistri Doctores in Conventu sui studii teneantur singulis diebus facere unam lectionem in Theologia, nisi fuerint impediti in praedicationibus aut aliis legitimis impedimentis pro honore Ordinis. Baccalaurei autem, Lectores et Magistri Studentium tenebuntur facere lectiones, et legere secundum dispositionem et ordinationem R. M. Regentis dicti studii.

Baccalaurei Parisienses de prima licentia observabunt pactum inter eos firmatum de praesentatura; sic quod uno Cursu praesentatus erit de Congregatione Albiensi; altero vero Cursu erit de Provinciis. Si autem (quod absit) contingeret, Praesentatum abesse per mortem vel aliquod aliud accidens, et ille sit de Congregatione, Baccalaureus de Provinciis ordinarius praesentetur loco mortui vel absentati et e contrario.

(121-v.) Similiter Magistri Artium in dicto studio Parisiensi constituantur iuxta ordinationem Gravissimi Patris Ordinis, ut unus sit de Congregatione, alter vero de Provinciis et si deficeret Regens Provinciarum, providebitur de Regente altero, qui similiter sit de Provinciis, loco deficientis. Si autem Regens Congregationis deficiat, providebitur de altero, qui sit de Congregatione.

Quoniam audivimus multos studentes Artium negligentes in studio Artium, et non minus experimento comperimus, non sine iactura dolenda: Volentes his occurrere malis, ordinamus et praecipimus R. M. nostro Priori Parisiensi, R. Regenti, ac Studentium Magistro in dicto Conventu, ut adhibitis tribus aut quatuor Magistris quos ad hoc aptiores iudicaverint, singulis annis in Festo S. Remigii examinare debeant studentes cuiuslibet classis, et iudicare de eorum sufficientia. Quod si aliquos deprehenderint non studuisse Logicalibus isto primo anno et capaces Phisicalium non esse, cogant illos ad reiterandum Cursum sub novo Regente, et nullo modo ad Phisicalia admittant. Similiter fieri volumus de Studentibus Phisicae et Moralium, antequam ad studium Theologiae admittantur.

Postquam autem studentes Artium compleverint cursum suum, et per dictos Magistros reperti fuerint idonei ad studium sacrum, recipientur ad dictum studium solemniter in praesentia eorum qui eos examinaverint, per Magistrum Studentium, sub quo in Schola Theologorum disputabuntur conclusiones, quas sustentabit primus illius Classis, et eas impugnabit secundus illius Classis, et consequenter omnes; Theologi vero antiquiores poterunt replicare in argumenta illorum novorum Theologorum, et hoc illa vice tantum. Postea disputabunt in aliis conclusionibus post antiquos Theologos in locis suis, ut moris est in dicto studio.

Tales igitur novi Theologi tenebuntur audire Theologiam Scholasticam ordinarie per duos annos. Primo anno audiant primum et secundum Sententiarum; 2. vero tertium et quartum; et nullo modo permittantur accedere ad alias Lectiones quam Magistri Sententiarum, nisi forsitan ad Lectionem Quodlibettorum, aut eiusmodi Theologiae Scholasticae.

Item ordinamus et praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub poena privationis Cursus, ut Baccalaurei dicti studii Pari-

siensis legant secundum ordinem suum quatuor Libros Sententiarum Iunioribus Theologis; qui interesse tenebuntur Lectionibus; et ad hoc eos compellet R. Prior Parisiensis.

Hortamur autem R. ac Dilectissimos Magistros nostros Vicarium Dilectissimae Congregationis Albiensis, Priorem Parisiensem et omnes R. Magistros eiusdem Congregationis, ut benigne administrent ac officiose tractent studentes tam sacerdotes quam non sacerdotes, ne habeant occasionem distrahendi se a suo studio, nec habeant locum querelae.

(122-r.) Item statuimus et ordinamus ut in omnibus Studiis totius Ordinis nostri Magistri communiter legant doctrinam Doctorum nostri Ordinis, ita ut in Italia legi habeant super Sententias Quaestiones et scripta Ioannis de Baccone. In aliis vero provinciis extra Italiam observetur Lectura Michaelis de Bononia et aliorum Doctorum nostri Ordinis. Erunt autem solliciti Doctores legentes circa corrigendos exemplorum (quae plerumque solent esse mendosa) errores, incuria impressorum depravatorum.

Ordinamus insuper, ut Conventus Sti. Andreae Civitatis seu Universitatis Salmanticae sit non solum Monasterium, sed etiam Collegium commune omnibus Provinciis Hispaniae, ut et statuta omnia per Vicarios Generales antea in dicto studio facta pro manutentione dicti studii fideliter observentur et Prior dicti Conventus teneatur recipere omnes studentes aliarum Provinciarum cum dimissoriis superiorum suorum, recipiendo ab eis decem scuta pro quolibet singulo anno. Et dictus Prior vel dictus Conventus non coerceat studentes dicere in hebdomada plures quam duas Missas; et tenebuntur dicti Prior et Conventus Salmanticae tractare studentes honeste, et copiose, sub poena arbitraria imponenda Provinciali et Priori Conventus. Magistri in Theologia non suscipiant insignia Magisterii, nisi iuxta Constitutionem Capituli Generalis celebrati Paduae.

Donationem Collegii Conimbricensis in nostra Provincia Lusitaniae quam fecit Reverendissimus ex nostro Sacro Ordine Episcopus Portuensis (1), de ipso Sacro Ordine nostro multis nominibus et modis optime meritus, qui ipsum Collegium extrui

---

(1) Episcopus Portuensis ex nostro Ordine. Scil. Baltasar Limpo 15 Nov. 1536 episcopus Portuensis, 23 Maii 1550 archiepiscopus Bracarensis, obiit 31 Mart. 1558.

magnifice ac dotari curavit, toto cordis affectu acceptantes, approbamus et confirmamus, atque Instrumentum Contractus Tridenti stipulatum ratum et gratum habentes, in omnibus observari volumus, praecipimus et mandamus, non obstantibus quibuscumque in oppositum facientibus.

QUO AD REGIMEM CONVENTUUM.

Praecipimus et mandamus R.dis Magistris Provincialibus, et Definitoribus Capitulorum Provincialium, ne recipere aut confirmare habeant electiones Priorum cuiuscumque gradus aut conditionis existant, qui fuerint debitis gravati summa notabili, donec persolverint suis creditoribus, de quo Visitatores inquirere habeant in Conventibus suae Provinciae.

Fratres nostri Sacri Ordinis qui apostatarunt a nostro Ordine apostasia maiore revertentes ad suum Conventum absoluti a quocumque suo Superiore, si exprimatur in Dimissoriis pro absolutione habitis quod debeant recipi cum voce et loco, illud tunc intelligatur post omnes qui habent vocem et locum in illo Conventu.

(122-v.) De caetero Magistri Provinciales non tolerabunt aliquo modo Fratres nostri Ordinis habentes Ecclesias solummodo in titulum in aliquo Conventu suae Provinciae, sub poena reparationis omnis damni, et inhabilitationis ad officia Ordinis.

Item ordinamus, quod Fratres qui exiverint Ordinem, et manserint vel deposito vel retento habitu extra Ordinem, si quovis modo cum eis fuerit dispensatum, et recepti fuissent, vel fuerint in ipso Ordine, privati censeantur Gradibus honoris et gratiis, quos, vel quas obtinuissent antequam relicto Ordine saeculum adiissent, et hoc censeatur indispensabiliter et ubique observandum.

Item praecipimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae, et sub poena carceris, omnibus nobis inferioribus, ut nullus nutriat barbam, exceptis Doctoribus Theologis, et eis qui sunt de societate R.mi Patris Ordinis, quia plerumque agunt in Curia Romana, ubi hoc tempore Praelati deferunt barbam, ut conformentur Curialibus.

Reverendi Provinciales non promovebunt iuvenes ad sacrum Presbiteratus Ordinem, nisi agant annum aetatis suae vigesimum secundum in apparentia, iuxta Indultum fel. record. Julii Se

cundi, et nisi sciant bene legere, scribere, cantare planum cantum, et recitare Mandata Legis latino sermone vel saltem vulgari.

QUO AD IUSTITIAM MINISTRANDAM

Priores Locales in causis iustitiae, demptis casibus correctionis Regularis a qua appellare non licet, adhibitis tribus vel saltem duobus Patribus ex senioribus Conventuum suorum, ubi plures maturioris iudicii haberi non possunt, instructa et cognita causa, administrabunt iustitiam in prima instantia. Si autem iudicatus sibi locum querelae relictum esse praetenderit, mittetur ad R. M. Provincialem cum sententia Prioris scripta, atque subscripta manu ipsius Prioris, et ei assistentium, nec non munita sigillo Conventus, ut R. M. Provinciales cognoscant ad plenum facta, de quibus fideliter iustitiam exerceant.

(123-**r.**) Renovamus veterem illam Constitutionem, et indispensabiliter eam servari praecipimus adversus quoscumque illegitimos Religionis filios; qui cum venerint ad Ordinem ad hoc ut studeant obedire, postposito Dei timore et non sine praeiudicio animarum suarum, et scandalo fidelium, variis coloribus quaerunt occasiones, ut extra obedientiam Ordinis cum nostrae professionis turbatione ac dedecore valeant litigare. Itaque committimus Reverendis M. Provincialibus ac Prioribus Localibus, ut si (quod absit) aliqui eiusmodi perditionis filii Priorem aliquem vel Conventum ad Iudicem quemcumque seu Curiam extra obedientiam Ordinis vocare praesumpserint, aliquo quaesito colore per se, vel per alium, aut alios, mediate vel immediate, omnes et singuli nostrae Religionis Professores, praesertim Priores Provinciales et Locales ad hoc requisiti, Priori vel Conventui, ut praemissum est extra Religionis obedientiam vocato modis omnibus suffragentur, et iustam eorum, qui vexationis eiusmodi causa fuerint, debeant in Ordine poenitentiam procurare.

Item ordinamus, iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem nostrae Religionis qua fieri consuetum est, ut in devotionem et gratiarum actionem Civitati, in qua celebratum est Capitulum Generale, habendam ex Patronis eiusdem Civitatis Sanctorum aliquis praecipuo in nostro Ordine habeatur honori: ordinamus, ut de Sanctissimo Marco Evangelista, cuius vexillo Inclyta Venetiarum Civitas gloriatur, et gaudet, fient et celebrentur Octavae

solemnes in toto Ordine nostro, hoc est in singulis Conventibus Provinciarum, et Congregationis Ordinis.

Praecipimus, et mandamus, sub poena privationis loci et vocis, ut quilibet R.dorum Magistrorum Diffinitorum, seu Provincialium teneatur suscipere exemplum, seu duplum ipsarum Constitutionum, antequam discedat ab hoc Capitulo, et statim mittere ad omnes Conventus suae Provinciae; curabunt autem Reverendi Provinciales in suis visitationibus, ut ista statuta observari faciant.

Postremo ordinamus, ut Ordo suo tempore visitetur per deputatos a R.mo Patre Ordinis.

R.di Diffinitores reservaverunt sibi authoritatem ad octo dies sequentes.

Capitulum Generale ordinaverunt in Conventu Veronae; remittentes tamen et locum et tempus in pectore R.mi Patris. Declarantes ut post sexennium ipse R.mus Pater disponat prout sibi melius videbitur expedire. Cum enim celebraverit iam quatuor celebria Generalia Capitula, integrum erit Suae Reverendissimae Paternitati, prout et aliis fuit, circa tempus disponere pro iusto arbitrio suo.

Finis statutorum.

(123-v.) Quoad resolutiones difficultatum et discussionum factarum in Diffinitorio.

Quod Possessio Paduana non detur alicui vivente muliere. De Possessione Mediolani commisimus R. Provinciali Lombardiae cum duobus Prioribus Provinciae, non computato Priore Mediolani, et cum duobus sociis ut in ipsa civitate Mediolani cognoscat honestatem petitionis factae de quadam possessione concedenda in commodum Clarissimi Senatoris Francisci de Casale, sine tamen praeiudicio et damno conventus, et commutatio praetensa fieri possit in evidentem utilitatem.

GRATIAE ET ABSOLUTIONES

Ordinamus Venerabilem Fratrem Benedictum Papiensem Priorem in loco Sancti Juliani de Urbe usque ad Capitulum Generale futurum, et deinceps quandiu non fuerit per R.mum Patrem Ordinis, aut per Capitula Generalia aliter ordinatum.

Similiter ordinamus Venerabilem Fratrem Albertum de Massa

Priorem in loco Sanctae Mariae de Sorbo in provincia Romana, usque ad Capitulum Generale futurum et deinceps, quandiu non fuerit per R.mum Patrem Ordinis, aut per Capitula Generalia aliter ordinatum.

Item ordinamus, quod Soror Maria de Murrales Professa in Conventu Matris Dei oppidi de Hontiveros Provinciae Castellae, gaudeat actibus legitimis, tanquam legitimata per R.mum Patrem Ordinis, et R.dos Diffinitores huius Capituli Generalis, ex speciali gratia Religionis. Habita fide dignorum relatione de honesta bonorum et Catholicorum conversatione, et de vere Catholica praedicatione Magistri Erardi Remensis (1), et praemisso rigoroso examine de gestis et factis eius, postquam repositus et constitutus in Provincia Lombardiae mansit per plures annos, et perseveraverit in obedientia salutari, catholice et honeste vivendo; persuasum habentes ex eius perseverantia in exercitiis catholicae et salutaris doctrinae, ipsum futurum officiosum vita et doctrina Religioni et Ecclesiae Catholicae, constituimus eum liberum in nostra Provincia Lombardiae cum actibus legitimis religiose in ea facturum quae sunt obedientiae salutaris, quod et ad instantiam omnium nostrorum hoc est totius Diffinitorii honestis rationibus motus R.mus Pater Ordinis votis accedens, nec recusandum censuit, nec differendum.

(124-**r.**) De Provincia Siciliae absolvimus Religiosos Fratres, qui patienter pertulerunt iniunctam sibi poenitentiam M. Petrum de Alegro et Fratrem Nicolaum Catinensem.

Item de Provincia Venetiarum Fratres Joannem et Heliam.

Item confirmamus in Priorem Pilastri usque ad annos tres immediate sequentes Fratrem Leonardum de Gotolengo; ita ut bene vivendo, et bene faciendo illi loco, ab eo amoveri non possit. Quod iustis moti causis concessimus in gratiam nobilium Virorum, qui de eius bene gestis fidelem fecerunt relationem huic nostro Diffinitorio.

---

(1) Erardus Remensis. De ipso iterum in sequentibus. Fuit prior Vercellarum, a. 1567 et tradidit conventui suo certam pecuniae summam necnon quantitatem frumenti quas accepit ab episcopo pro lectura, proviso quod conventus sibi provideat in necessitatibus et infirmitatibus; item habeat primam cameram post priorem cum contigerit eum priorem non agere (2 Nov. 1567). Postea, i. e. circa a. 1575 fuit provincialis Lombardiae,

Ob causas rationabiles et honestas, ad hoc ut Conventus Famagustae antiquissimus Curiae, et vetustate fere collapsus tandem instauretur, confirmamus Ven. P. Nicolaum Gibollet Priorem dicti Conventus Famagustae; cum hoc ut ultra omnem aliam summam quam exposuit in reparationem dicti Conventus, teneatur intra spatium annorum quatuor exponere ad iustam existimationem circa reparationem antiqui Dormitorii alios auri in auro Ducatos centum.

Item ordinamus Priorem Barbarani Fratrem Angelum de Barbarano (1) fore irrevocabilem, et vita sua durante in Officio eiusmodi permansurum, hac conditione adiecta, ut teneatur infra spatium annorum quatuor exponere scuta ducenta auri in auro ad exstruendum Claustrum in dicto Conventu Barbarani, ad existimationem deputandorum per Provinciam nostram Venetiarum.

Item concessimus Conventui nostro Placentiae nostrae Provinciae Lombardiae, quod possit et valeat permutare libras centum stabilium illius monetae cum bis mille libris mobilium, modo fiat in evidentem utilitatem Conventus.

Item memorandum, quod omnes unanimiter et concorditer requisivimus a R.mo Patre Ordinis, ut iuxta antiquam consuetudinem Religionis nostrae debeat honorari Honorandus Pater Stephanus Storarius Prior Borbiaci pro diuturnis laboribus, quos sustinuit in Ordine pro servitio et honore ipsius Ordinis; et praesertim quia singulariter laboravit, et fuit officiosus Reipublicae Ordinis in celebratione trium Capitulorum Generalium Paduae, Vincentiae et Venetiarum, demum instantissime requisivimus, ut dictus V.dus Pater donari et insigniri debeat gratiis R. Magistrorum de novo, et utraque voce in Provincia; atque ita factum est, ut idem R.mus Pater Ordinis petitionibus consensit, contestatus iam tertio a Capitulis Generalibus se fuisse requisitum, et iudicaret fore melius ut consentiat et complaceat R.do Diffinitorio huius Capituli Generalis et percelebris, cuius consilium et iudicium veneratur.

(124-v.) Restituimus locum, vocem in Conventu Neapolitano Fratribus Collenigro, Joanni, Jacobo, Matheo de Anna (2) et Fratri Heliodoro.

---

(1) Angelus de Barbarano. Supra 1524 Angelus de Barbanariis.

(2) Mathaeus de Anna. De hoc sub 13 Maii 1569. Pater honoris Mathaeus de Anna conventus Puteolorum ob cuius incuriam clausura

Item restituimus locum et vocem in Provincia Romandiolae F.tri Joanni Baptistae de Maceratis, Patri Joanni Baptistae de Batonis de Conventu Massae, et similiter F.tri Bernardino de Lugo, ac F.tri Galliaseo de Massa.

Iuxta relationem factam per R. M. Provincialem Romanum, iustificavimus F.trem Felicem Neapolitanum de his quorum fuerat accusatus et condemnatus per Iudices in Conventu Neapolitano alias deputatos.

Concessimus locum Sancti Valentini F.tri Zachariae de Lionato: quem locum dirigat tanquam membrum Conventus Veronae, vita eius durante, cum hoc, ut in eo erigat aedificium pro commodo Patrum dicti Conventus Veronae.

Similiter concessimus locum Aquilatarum Provinciae Provinciae V. P. Joanni Barbarino; simili adiecta conditione ut aedificet infra spatium quatuor annorum aedificium necessarium ad aestimationem francorum centum et quinquaginta.

Ob causas rationabiles acceptavimus dispensationem quam fecit R.mus Pater Ordinis cum M. Laurentio Paratsola (1), ad hoc ut in nostra Provincia Lombardiae suscipiatur eius Magisterium, et intelligatur Licentiatus ad illud per Ordinem, atque gaudeat immunitatibus et privilegiis Magistrorum.

Item admittimus et acceptamus filiationem Honorandi Patris Joannis Mariae Boldrini (2) in Conventu Paduae, factam in Ca-

---

non servabatur, saeculares aditum habuerunt et saecularia tractabant, vitium proprietatis irrepsit etc., et qui sicut et alii per multum tempus in cella custodiebatur iterum restituitur et ad officia habilis declaratur, imposito silentio contradicentibus.

(1) Laurentius Paratsola. Ante discessum Rubei e Janua in Hispaniam navigaturi Laurentius Parizzola constitutus fuit vicarius generalis conventus Januae, 27 April. 1566. Post reditum vero generalis, 15 Octobris 1567, multae querelae hinc inde prolatae fuerunt quarum principalis versabatur circa rectoriam et terram S. Ulcesii « fertilis quidem, sed fratres huius conventus conservationis illius fundi minime apti sunt », unde vendi vel permutari praecipitur. Quoad cetera pax et mutua concordia suadentur. Sub 26 Maii 1575 Mag. Laurentius Parizzola honoratiorem locum inter fratres conventus Januae obtinet.

(2) Joannes Maria Boldrini. Alias Borduni, Patavinus. Is olim fundum San Faenzo emerat, in meliorem statum redegerat atque a conventu in fidei commissum acceperat sub quibusdam oneribus etc.

pitulo Provinciali Provinciae Venetiarum celebrato Ceretae Dominica in Albis 1547.

Item restituimus locum et vocem in Provincia nostra Siciliae F.ri Salvo Pictari Conventus Messanensis.

Item absolvimus omnes qui praevaricati sunt in Provincia Venetiarum et reversi sunt ad Ordinem.

Item promovemus Lectorem Nicolaum Taboret ad Bibliam in conventu Venetiarum, hoc est ad Bacchalaureatum.

Similiter promovemus extra Cursum ad Sententias Honorandum Patrem Hilarium Siculum.

Confirmamus filiationem Honorandi Baccalaurei Fratris Alberti de Monte Catino (1) in Conventu Florentiae, factam in Capitulo Provinciali Provinciae Tusciae celebrato tertia Maii Anni 1548,

(125-r) CONDEMNATIONES.

Ordinamus, quod Fr. Raphael Florentinus (2) loco carceris habeat Conventum Placentiae, cum districtu eius, usque ad Capitulum Generale futurum, ita ut non possit exire districtum Conventus eiusmodi; sed quatenus disposuerit Prior debet servire commodis et honori Conventus.

Item condemnamus Fratrem Heliseum Florentinum fugitivum flagitiosum Apostatam, et Irregularem, ut adhibito studio omnis diligentiae per R. Provincialem Tusciae capiatur et reponatur in carcere nostri Conventus Florentiae, facturus ibi poenitentiam usque ad Capitulum Generale futurum.

Item condemnavimus iuxta sententiam latam in Capitulo Provinciali Provinciae Terrae Laboris ad triremes Fratrem Joannem Milonem a Sileato, ibi mansurum, donec per aliquod aliud

---

Id omne a Rubeo ad tramitem SS. Concilii Tridentini cassatum fuit ita tamen quod necessitatibus Joannis Mariae consuleretur. Eidem assignatur locus super baccalaureos formatos cum Patavii tum Venetiis. (17 et 22 Febr. 1568).

(1) Albertus de Monte Catino. Supra Albertus Francisci. 1539.

(2) Raphael Florentinus. Forte idem qui 11 Aug. 1569 cum quibusdam aliis punitur eo quod ex urbanitate male intellecta quasdam honestas mulieres per clausuram in hortum conventus Pratensis, introduxerunt.

Generale Capitulum futurum fuerit cum eo misericorditer dispensatum.

Item decrevimus, per R. Provincialem Provinciae Tusciae, vel per alium Commissarium ad hoc specialiter deputatum, vocari debeat Fr. Angelus de Burgo S.ti Laurentii ad aliquem locum idoneum Provinciae Tusciae: Quo in iudicio constituto idem Provincialis vel Commissarius studeat habere processum formatum a Magnifico Magistratu Civitatis Florentiae; atque per eiusmodi processum, et inquisitionem veritatis et facti, procedat ad sententiam, iuxta dispositionem iuris et Statutorum Ordinis; atque se habeat ita in tali iudicio, ut non remaneat locus querelae, nec restet diffamata Religio in administratione iustitiae.

Item statuimus, quod F.r Hilarius de Saprestis, quia fuit ei praeceptum ut compareret in Capitulo Generali, redditurus rationem de administratione Conventus Sancti Martini de Urbe, et de aliis quorum fuit accusatus, at non solum non paruit, sed diu vagatus per Urbem, habitum et honorem Religionis dehonestavit, in Ordine absolvi non possit, nisi coram deputatis iudicibus reddat rationem administrationis factae in dicto Conventu, et respondeat ad ea de quibus fuit insimulatus, stando iuri, et solvendo iudicatum.

Item condemnavimus Fratrem Antonium Morettum, ut sit exul per decennium ab omnibus locis Provinciae Venetiarum, ultra Atticem; quod si deprehensus fuerit post hac in commissis sceleribus pluries repetitis, tamquam incorrigibilis privetur habitu Religionis.

(125-v) Item condemnavimus Fr. Vincentium (1), qui post percussum Priorem Massae vagatur Apostata, ad carcerem usque ad Capitulum Generalem futurum.

Cum inter caeteras causarum discussiones diligenter concussa sit et discussa causa F.tris Baptistae de Monte Carralo de Giudessinis Lucensis vulgo nuncupati Barbato (2); quam ex fideli relatione nobis facta per R.dos deputatos Magistros scilicet R. M. Antonium (3) Provincialem nostrae Provinciae Apuliae,

---

(1) Vincentius (de Massa).

(2) Baptista de Monte Carralo de Giudessinis, Lucensis, vulgo nuncupatus Barbati. Infra 1564.

(3) Antonius. I. e. Marinarius.

et R. M. Andream Gribellatum Pro.alem Romanum ac R. M. Theophilum Biperanum; quam ex diligenti examinatione scripturarum authenticarum, scrutiniorum rite et recte actorum, vel processuum legaliter formatorum et sententiarum, ac diversorum scriptorum vim veritatis continentium, et certae fidei robur habentium, tandem ad hanc iudicii deliberationem, omni requisita praehabita matura consideratione, unanimiter et conformiter decernimus, visa praesertim informatione de vita et moribus dicti Fratris Joannis Baptistae Barbati. Viso mandato R.mi Patris Ordinis facto ne ipsum ad praedicationes admitteret, propterea quod praedicando multos scandalizaverit. Visa relatione de eo facta, quod sit vitae contaminatae et doctrinae scandalosae. Viso decursu incorrigibilitatis eius, ex multis quae commisit tam in Ordine quam extra. Visa denique pertinacia, et rebellione eiusdem. Visa denique Apostasia cum denuntiatione scelerum indicibilium, propter quae cum maxima habitus ignominia Florentiae tractus ad Iudicium in carcerem fori laicalis detentus, ac primo per Priorem Florentiae cum Magnificis octo de Ballia iudicatus, et condemnatus fuit ad perpetuos carceres, iuxta statuta Ordinis; ac postremo visa alia sententia per eumdem Priorem leviter et imprudenter facta, iuxta confessionem eiusdem Prioris, qui assignavit causas veritatis et manifestavit errorem quem commisit perperam et inique seductus a praedicto Ioanne Baptista Barbato, ut secundum eiusmodi sententiam indebitam et iniustam pronunciaret. — Christi nomine invocato a quo cuncta recta procedunt iudicia, secundam a praedicto Priore latam sententiam cassantes et annullantes, tamquam iniquam, ac fraude, et dolis malis formatam et pronunciatam; approbamus et confirmamus primam sententiam per praefatum Priorem, (126-r.) et Magnificos octo de Ballia Clarissimae Civitatis Florentiae, iuxta statuta Ordinis latam, et omnino conformem veritati contentae et expressae in scrutiniis iuxta statuta Ordinis factis, et in aliis scriptis authenticis, quibus continentur scelera dicti Fratris, quorum foetor ascendit usque ad sidera. Decernentes, et praecipientes ut fugitivum et incorrigibilem ac iuxta indultum Sanctae memoriae Clementis septimi, habitu nostrae Religionis privatum tanquam obedientiae et iustitiae contemptorem, ubicumque haberi poterit a Prioribus et Fratribus nostri Ordinis, iuxta praefatam sententiam, et statuta Ordinis

carceri detrudatur, ibi perpetuo mansurus, nisi in futuro Capitulo Generali de eo fuerit aliter ordinatum.

Declaramus omnes qui pervenerunt ad Gradus et ad Magisterium sine licentia et benedictione Ordinis et sine promotione optenta a Gravissimo Patre Generali, sint ipso facto privati Gradibus et Magisterio, nec modo aliquo valeant habilitari ad ea nisi per Ordinem cum tam ex antiquis, quam ex moderno Sanctae Sedis Apostolicae, et S.mi D.ni N.tri indultis, omnes eiusmodi esse privatos prout et per hoc nostrum Diffinitorium declaramus esse privatos. Praecipimus autem R. M. Provincialibus et Prioribus Localibus, atque aliis Fratribus nostris, ut tales, si qui (quod absit) reperiantur in Ordine, habeant tanquam religiosos simplices, iuxta Statuta Religionis nostrae.

Item ordinamus, ut quicumque suspectus fuerit, vel violenter notatus de haeresi, sit privatus voce et loco in toto Ordine nostro.

Item privamus loco et voce Fr. Matthaeum de Villa, et statuimus ut ordinetur alius Prior in Conventu Montis pessulani.

Ordinamus Fratrem Thomam Placoto in Priorem loci Fortamiae Provinciae Terrae Sanctae, ad aedificandum Conventum; cum deputatio F.tris Joannis Baptistae Baccalaurei non habuerit executionem circa aedificationem eiusdem loci.

Item ordinamus F.rem Joannem Roccabonnella Venetum in Priorem Concilii irrevocabilem durante vita eius. Cum hoc ut teneatur infra spatium annorum quinque exponere scuta auri ducenta in aedificium notabile et necessarium in ipso loco, hoc est anno singulo quadraginta, incipiendo ab anno primo, et successive procedendo usque ad annum quintum. Et hoc ad iustam existimationem R.di Provincialis, aut per ab eodem deputatos.

(126-**v**.) Revocavimus F.trem Matthaeum Terrasinum ab Insula Siciliae ad Provinciam Terrae Laboris.

Ordinamus debere moneri Provinciam nostram Aquitaniae de incursu Censurarum, eo quod paruerit non confirmato per Ordinem hoc officium totius Ordinis, iuxta privilegia et Decreta a Sede Apostolica confirmata, contra omnem consuetudinem, vel acceptam concessionem in oppositum; et quod debeat fieri alia electio Canonica, interim debeat Provincia regi per non innodatum laqueis Censurarum.

(Sequuntur subscriptiones manu propria).

Ego Magr. Antonius Tarrasasia (1) Prov.alis Provinciae Siciliae interfui et confirmavi omnia suprascripta. Ego Magr. Katharinus Ponsottus Prov.alis Narbonae Diffinitor secundus, fateor me his omnibus interfuisse, confirmo et approbo, teste meo nomine hic apposito. Ponssottus; Ego M. Albertus Salvettus Prov.alis Romae et Diffinitor interfui et confirmo; Ego Fr. Andreas Gribellatis Prov.alis Venetiarum et Diffinitor huius Generalissimi Capituli omnibus supra scriptis interfui, approbo et confirmo; Ego Fr. Joannes Fabri Doctor Theologus et Diffinitor Provinciae Franciae approbo praedicta. Fabri; Ego Fr. Jo. Stephanus Facinus Cremonensis Provincialis et Diffinitor Provinciae Lombardiae omnibus supradictis interfui et manu propria confirmavi. Ego Damianus Leo Prov.alis Aragoniae et Diffinitor interfui et confirmavi omnia suprascripta; Ego Fr. Anthonius Feraudus Prov.alis Provinciae Provinciae et Diffinitor interfui et confirmo omnia suprascripta. Ego Fr. Petrus Joannes Colomer Provincialis Provinciae Cathaloniae et Diffinitor in omnibus suprascriptis interfui, omniaque approbavi; Et idem Fr. Bernardus a Sereno (2) Provincialis Provinciae Turoniae et Diffinitor fatetur ut suprascripti tempore signatura propria hic apposita. Du Serani; (127-r.) Ego Fr. Joannes Anthonius Darius de Neapoli Sacre Theologiae Doctor, Provincialis Neapolis et Diffinitor omnibus huius Capituli actibus suprascriptis interfui eaque propria manu confirmo; Ego Fr. Joannes Antonius de Cursu Provincialis Romandiolae et Diffinitor in omnibus suprascriptis interfui et confirmo; Ego Fr. Albertus Scobensis et Diffinitor Provinciae Bethicae interfui omnibus suprascriptis et confirmo omnia.

Reverendissimus Pater Nicolaus Audectius Cyprius, qui rexit Ordinem annos quadraginta, vita functus est sexagesimo secundo anno supra Millesimum quingentesimum, die sexta Decembris; pro cuius foelicitate sempiterna creberrime rogandus est Deus; fuit enim omnium Pater pientissimus: Cuius diligentia, et ingenio, et Litteratorum et Sapientium Religiosorum locuples evasit haec nostra Carmelitica Religio. Illius Corpus tumulo conditur in Ecclesia Divae Mariae Transpontinae. *(deinde pagina vacat).*

---

(1) Antonius Tarrasasia. Supra 1513 Jarratasia.

(2) Bernardus a Sereno. Signatur tamen Du Serani.

(127-v.) IN ALMA URBE IN CARMELO SANCTI MARTINI IN MONTIBUS ANNI MDLXIIII (1) COMITIA GENERALIA (2).

Altissimo Christi Spiritu ducti, eiusdemque propitio inflatu, atque instinctu, R.orum Magistrorum Diffinitorum mentes concitatae moderataeque ad Religionis Carmeliticae instaurandas Litterarum exercitationes, mores, et sanctimoniam, ubi fuerat opus, iis pagellis conscribentur, prodibuntque in conspectum. Haec autem fuerunt acta et ordinata in Comitiis Generalibus in Carmelo nostro Sancti Martini in Montibus de Urbe. Assidente R.mo Patre Joanne Baptista Rubeo Ravennate, in Theologia Magistro, Vicario Generali Apostolico, atque Religionis iure. Anno Domini MDLXIIII in Festo Pentecostes 21 die Maii, R.dis Magistris nostris Provincialibus eorumque Sociis coram exsistentibus; necnon gubernante Carmelum dictum Sancti Martini R.do P. Valerio Veneto (3). Primum et omnium caput fuit electio R.mi et

(1) Acta typis impressa 1564 et iterum post Constitutiones 1573 aliquantulum differunt a Libro Ordinis in accidentalibus; ita ut ante impressionem adhuc revisa fuerint. Nova statuta etiam addita sunt.

(2) Iuxta statutum praecedentis capituli aliud debuit celebrari Veronae circiter post sexennium, facta plena potestate generali disponendi circa tempus et locum. E litteris Everardi Billick liquet Audetum mense Maio 1553 capitulum postposuisse in annum 1556. Principio anni 1555 de celebrando capitulo cogitare coepit et mense Maio pro sequenti anno in provinciam Venetiarum convocavit. Mense vero Octobri 1555 definitive celebrationi renuntiavit propter statum perturbatum mundi universi ac etiam experientia Eremitarum S. Augustini edoctus quorum capitulum Ariminense ab exteris minime frequentatum fuerat.

(3) Valerius Venetus. Plenius Valerius Montonius de quo etiam sequenti capitulo. Audetus reliquit ipsi in testamento decem scuta. Rubeo 26 Julii 1567 concessit Patri honoris Val. Veneto qui per triginta annos fideliter nobis praesto erat et in cap. g.li oeconomus fidelis ut ex hinc sit Pater benemeritus cum titulo « reverendus » et pluribus privilegiis in toto Ordine. Quae vero privilegia illa fuerint doceris e visitatione Veneta, 22 Febr. 1568 ubi in publica mensa lecta fuerunt litterae patentes quibus declaratur Pater benemeritus de religione Carmelitarum atque eo nomine vocetur, vel dicatur Pater reverendus ; item in choro, processionibus, refectorio, comitiis, con-

Gravissimi Patris Ordinis, antea celebrato Sacro de Spiritu Sancto, Mysterio seu Missa, et habito sermone, absolutaque omnium Pontificum, Imperatoris et Regum, Cardinalium, Praelatorum, Fratrum, Sanctimonialium, Litteras Confraternitatis habentium, familiarium, Benefactorum, Patronorum, ceterorumque Religioni nostrae Carmeliticae, sponte addictorum, pia commemoratione, et pro ipsis ad Deum effusis precibus.

Et quoniam Sacrosanctum Concilium Tridentinum decrevit, non posse vota seu suffragia absentium pro electione Generalium, Provincialiumve suppleri, nemo ab huiusmodi Decreto descivit, et omnino supplementum praedictum fuit dimissum: imo, omni reverentia et obsequio, decrevit universus Diffinitorum coetus, supplementum votorum non posse, nec debere in posterum obtineri, ne adeuntium labores fraudibus circumveniantur, absentes vero suis commodis intendentes, Gravissimum Patrem Ordinis eligant, ipsumque praeficiant Ordini nostro in Patrem, et Pastorem: quod quidem esset valde praeposterum et absurdum.

Statuit item Sacrosancta Synodus Tridentina, electionem faciendam per vota secreta, non publicatis nominibus eligentium: cuius Decreti vigore duxerunt omnes Diffinitores, moderationem adhibendam esse Statutis Ordinis hoc modo: ut omnia quae reluctantur S.mo Decreto, debeant immutari, et si opus fuerit, deleri. In reliquis vero, ritus, consuetudines, et antiquos usus spectantibus, nostrae Institutiones serventur, nullo iota praetermisso, ut sanctissime cavetur in Canone 7., 25ae Sessionis: praedicti igitur R.di Magistri Diffinitores Decretum Sacri Concilii amplexantes, R.um Generalem elegerunt, scribente Ordinis Cancellario sub hac forma. Nam electi tantum nomen scribebatur in parva scheda, quam scriptam eligens legit, deinde suis manibus plicatam, in capsulam quandam reposuit: et absoluta electione, R.dus Mag. Provincialis Bethicae, Gaspar Nyetho (1) sigillatim

---

gregationibus et ubique locum retineat et habeat inter magistros seu doctores theologos, etiam eos praecedat qui post has sibi concessas patentes creati fuerint magistri. Gaudeat voce activa et passiva ubique et habilis sit ad omnia in quibusvis electionibus sicut habiles sunt in theologia magistri formati. Remansit prior S. Mariae Transpontinae ab a. circiter 1573 saltem usque 1575, probabilius vero usque ad capitulum a. 1580.

(1) Gaspar Nyetho. Germanus frater Melchioris et Baltassari Nieto.

extraxit huiusmodi chirographa, et alta voce nomen electi, cunctis audientibus, pronuntiavit, et propalavit, suppressis omnino, ut dictum est, eligentium nominibus. Demum electus fuit in Generalem R.mus et Gravissimus Pater Sacrae Theologiae Doctor Magr. Joannes B. Rubeus, Ravennas, nemine penitus discrepante. Et quia nemo ex eligentibus diversum sensit, ideo non (128-**r**) potest quis ire inficias, eligentium nomina omnibus nota non fuisse: neque ob id nominatim fuerunt deprompta.

Placet et placuit universo consessui is modus eligendi, et omni animo eum firmandum esse decrevit.

Electo Gravissimo Patre, R. M. Nicolaus Robustus (1), Provincialis Terrae Sanctae, primus omnium Diffinitorum, iuxta Ordinis Statuta, non diversum faciens a Concilii Decreto dixit, Ego Fr. Nicolaus Robustus, Theologiae Professor, Provincialis Terrae Sanctae, ordine primus, pronuntio R.um Mag.rum Joannem Baptistam Rubeum Ravennatem, esse Priorem Generalem Ordinis nostri, atque virtute privilegii Ordini nostro indulti fore Generalem Priorem legitime confirmatum.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Ipso Gravissimo Patre sic confirmato, duxerunt eum R.di Mag.ri Diffinitores, et ceteri Mag.ri, omnesque Patres ad Ecclesiam, cantantes « Te Deum laudamus »: non omisso aliquo ex his quae pertinent ad ceremonias in Statutis Ordinis expressas, et in signum obedientiae (ut fieri assolet) manus R.mi Patris fuerunt exosculatae. Quibus terminatis, redeuntes ab Ecclesia, quae debebant tractari, sic incepta fuerunt, in Dei laudem, et honorem Gloriosissimae semperque Virginis Mariae de Monte Carmeli, et ad profectum Religionis Carmeliticae.

Et in primis instituti fuere Auditores Causarum Civilium et Criminalium infrascripti in duas classes distincti.

Provincialis Beticae saltem ab a. 1563, probabilius iam antea. In isto capitulo, 10 Junii laurea doctorali insignitur. In visitatione Hispalensi (24 Oct. 1566) Rubeus maximis cum encomiis extollit tum quod provinciam reformavit, tum quod non obstantibus peste et haereticorum insultibus ad capitulum generale profectus est. Tres alii Patres adsistebant Gasparo Nyetho in publicatione schedularum (Ed.) Alia etiam adduntur, sed neque omnino clara.

(1) Nicolaus Robustus. Fuit inter executores testamenti Audeti.

Auditores Causarum Criminalium.

R. M. Erardus Remensis (1) primus socius R. M. Prov.alis Lombardiae. — R. M. Prior Valentiae primus socius R. M. Prov.alis Aragoniae. — R. M. Modestus Splanus 2.us socius R. M. Prov.alis Neapolis. — R. M. Marcus Antonius de Magnanis (2) 2.us socius R. M. Prov.alis Romandiolae. — R. M. Joannes Baptista de Cypriano (3) 2.us socius R. M. Prov.lis Apuliae.

Auditores Causarum Civilium.

R. M. Desiderius Panhormita (4) primus socius R. M. Prov.alis Siciliae. — R. M. Joannes Giraurdus primus socius R. M. Prov.lis Provinciae. — R. M. Joannes Baptista Caphardus (5) 2.us socius R. M. Prov.lis Thusciae. — R. M. Bartholomaeus Lantana (6) primus socius R. M. Prov.alis Venetiarum. — R. Bacc. Antonius de Heredia (7) primus socius R. M. Prov.alis Castellae.

---

(1) Erardus Remensis. Supra 1548.

(2) Marcus Antonius de Magnanis. Supra 1548 Marcus Antonius de Massa.

(3) Joannes Baptista de Cypriano. Bituntinus, prov. Apuliae, de aliquibus accusatus a vicario generali (Rubeo) Neapoli innocens declaratus, conventui suo restitutus cui praesideat ut antea atque in eo praedicet et theologiam, philosophiam, logicam seu alia publice legat (20 Mart. 1563).

(4) Desiderius Panhormita. Supra 1548 Desiderius Mazzapica de S. Martino.

(5) Joannes Baptista Caphardus. Postea generalis. 2 Sept. 1565 regens in conventu Senarum, ac postea in illo officio confirmatus: cum aliis capitulo Tusciae (15 Maii 1568) proponitur candidatus pro provincialatu; 12 April. 1572 procurator et actor pro recuperandis bonis conventus Senarum ubi etiam priorem agebat.

(6) Bartholomaeus Lantana. A. 1572 vel provincialis vel vicarius generalis provinciae Venetiarum.

(7) Antonius de Heredia. Natus Requennae circa 1510 ibidemque professus, studiis vacabat Salmanticae, deinde prior Moraleiae, Requennae, Toleti (1561), Abulae (1565) et Metymnae-Campi (1568). A Philippo II reformator Carmelitarum per Hispaniam nominatus est. Die 28 Nov. 1568 primus omnium reformationem S. Theresiae amplexus est. A Rubeo 1569 inter defensores libertatum Ordinis recen-

Diffinitores fuerunt.

1. R. M. Prov.alis Terrae Sanctae Nicolaus Robustus. — 2. R. M. Prov.alis Siciliae Egidius Scrineus (1). — 3. R. M. Prov.alis Romae Joannes Andreas Colonna. — 4. R. M. Prov.alis Franciae Adrianus Tonelier (2). — 5. R. M. Prov.alis Lombardiae Joannes Stephanus Facinus. — (128-v.) 6. R. M. Prov.alis Aragoniae Michael Carranza (3). — 7. R. M. Prov.alis Provinciae Franciscus Rostagnus (4). — 8. R. M. Prov.alis Thusciae Vincentius Spinola. — 9. R. M. Prov.alis Venetiarum Joannes Jacobus Cherecatus. — 10. R. M. Prov.alis Tholozae Antonius Vaisieranus. — 11. R. M. Prov.alis Castellae Angelus de Salazar (5). — 12. R. M. Prov.alis Neapolis Albertus de Compa-

setur. Anno 1573 de mandato visitatoris apostolici Petri Fernandez fuit prior Calceatorum Toleti. Denique S. Theresiam in suo transitu ad gloriam coelestem sacramentis munivit. Cetera ad historiam Discalceatorum pertinent inter quos nomine Antonii a Jesu nuncupabatur.

(1) Egidius Scrineus. Drepanensis. Procurator generalis eligitur provincialis Siciliae in cap. Agrigenti dominica II post Pascha a. 1563. Triennium usque consimilem dominicam a. 1568 prolongatum fuit. 2 Oct. 1571 fit vicarius generalis in conventu Messanae. Praefuit una cum Bartholomaeo Ragusio Capitulo provinciali a. 1574.

(2) Adhuc Provincialis 1569.

(3) Michael Carranza. Post expletum officium vacare debuit per sexennium, attamen triennio Joannis Nadal elapso eligitur in capitulo Bilbilis (Calatayud) mense Aprili 1569, quam electionem Rubeus cassavit quia acta capituli non fuerunt missa Romam (13 Dec. 1569). Deinde vero quamvis Carranza non confirmatus officium suum exercuerit (14 Mart. 1570) et electio ipsa invalida fuerit (19 Mart. a. c.) eam confirmat pacis et tranquillitatis ergo (26 Sept. 1570).

(4) Franciscus Rostagnus. In capitulo Aquis celebrato 14 Nov 1568 electus provincialis.

(5) Angelus de Salazar. Hispalensis professione, sed ad provinciam Castiliae translatus, prior Toletanus 1555 et Abulensis 1559, in provincialem electus 1561, in Lusitaniam missus ob quaedam negotia mense Aprili 1563. In isto capitulo laurea doctorali insignitus, provincialatus prolongatus usque Aprilem 1567 quo prior Abulensis nominatus fuit. Defensor Ordinis 1569. Iterum provincialis 1570 usque 76; 1579 prior Vallisoletanus et vicarius generalis, a 1580 usque 83 tertio provincialis, 26 Aprilis 1586 vicarius generalis, 1592 quarto provincialis. Tempus et locus obitus non constant. De eo multoties in operibus et litteris s. Theresiae.

rato (1). — 13. R. M. Prov.alis Romandiolae Bartholomaeus a Thonsis, qui in Diffinitorem fuit admissus, cum emerserit nonnulla difficultas ob electionem Diffinitoris in Provincia Romandiolae habitam. — 14. R. M. Prov.alis Apuliae Antonius Marinarius. — 15. R. M. Prov.alis Baethicae Gaspar Nietho. — 16. R. M. Socius Primus Patris Rev.mi Angelus Angelinus (2). — 17. R. M. Socius alius Patris Rev.mi Valerius Venetus. — 18. R. M. Dominicus Laurentius a Lotharingia (3), Socius Provincialis Franciae; quia in posteriore electione Franciae, in Diffinitorem fuit assumptus. — 19. Diffinitor R. M. Joannes Montanerius (4) Primus Socius Prov.alis Cataloniae.

Praesidens Capituli.

R. M. nr. Marcus Antonius de Magnanis a Massa.

Oeconomus ipsius Capituli.

R. P. Valerius Venetus Director Conventus Sancti Martini in Montibus.

QUOAD PROVINCIALES.

Provincialem Terrae Sanctae ordinaverunt R.um M.nrum Nicolaum Robustum, habita ratione Bullae Sanctissimi D.ni N.ri Leonis Papae X, quae in favorem illius Provinciae, ob paucitatem Conventuum et Religiosorum concessa fuit. Perseverabit tamen

(1) Albertus de Comparato. Propter absentiam Rubei ab Italia provincialatus qui terminari debuit a. 1566 prolongatur usque ad capitulum Casertense a. 1568 cui ipse cum quibusdam aliis praesidere habuit.

(2) Angelus Angelinus. Prior Anconae 1568 et 70, probabiliter etiam antea et postea. Comitans Rubeum in itinere Ravenna Lugum (30 April. 1568) bis cecidit in foveam aqua plenam subtus equo quo insidebat sed incolumis evasit.

(3) Laurentius a Lotharingia. Dominicus Laurentii, in capitulo isto laurea insignitus. Prior Bisuntinus 1573.

(4) Joannes Montanerius. Provincialis Cataloniae saltem usque 1569, postea prior Auloti. Inter defensores Ordinis a Rubeo constitutos per Hispaniam recensetur.

in ipso Officio usque ad revocationem R.mi Patris Ordinis; et dictus Prov.alis expleto ab hinc triennio, tenebitur habere confirmationem a R.mo Patre Ordinis.

Provincialem Siciliae ordinaverunt R. M.nrum Egidium Scrineum ut suum expleat triennium; non tamen computatis mensibus, qui eundo ad Capitulum et redeundo ad Provinciam intercesserunt; et suum triennium incoepisse a die quo recepit confirmationem R.mi Patris declaratur.

Prov.alem Angliae ordinaverunt iuxta dispositionem et temporis mutationem.

Prov.alem Narbonae R. M.nrum Catherinum Ponsottum.

Prov.alem Romae R. M.nrum Joannem Andream Colonna, ad complementum sui triennii, supputato anno preterito.

Prov.alem Franciae R. M.rum Adrianum Tonelier, ad complementum sui triennii, ad cuius triennii complementum non debent annumerari menses insumpti pro itinere explendo. Placet tamen Diffinitorio (129-**r.**) Capituli Generalis; imo dictum R. Magistrum obnixe petiit, ut pro beneficio illius Provinciae, tam pro Reformatione, quam pro restauratione illius, vellet et dignaretur ad aliud triennium illud onus Provincialatus subire. Quod faciendum et exequendum iudicio dicti R. M. Adriani relinquitur.

Prov.alem Alemaniae Inferioris R. M. n. Joannem Meyerium (1), cuius Provincialatus tempus datur et conceditur consuetudine illius nostrae Dilectissimae Provinciae.

Prov.alem Lombardiae et simul Districtus Januae et Pedemontis R. M. n. Joannem Stephanum Facinum Cremonensem, ad triennium. Quo triennio elapso reeligi non poterit, nisi R.mus Pater Ordinis dispensaverit. Cum in Capitulo Generali in Diffinitorio decretum fuerit, constabiliri, et firmari, servarique debere triennium, et illius temporis prorogatio, et protractio subacta fuerint voluntati, auctoritati et iudicio R.mi Patris Ordinis, etiam cum virum ampliori munere honestandum, Principes sapientissimi apertissime iudicaverint.

---

(1) Joannes Meyerius. Tempore visitationis generalis per Petrum Lupum (28 Dec. 1573) provincialis Mag. Jo. Meyer prohibetur ne provinciam visitet vel visitare faciat sed maneat in aliquo conventu a se eligendo. 13 Junii 1575 Lupus et Meyer coniunctim visitent Alemanniam Superiorem.

Prov.alem Aquitaniae, iudicio et electioni Provinciae eligendum et per R.mum Patrem Ordinis confirmandum.

Prov.alem Aragoniae R. M. n. Michaelem Carranzam, qui ob Reformationem faciendam, tum ad normam Decretorum Sacrosancti Concilii; tum ad normam Reformationis institutae in Comitiis nostris Generalibus, expleto suo triennio, per annum integrum perseverabit in Officio Provincialatus; et hoc illi praecipitur a R.mo Patre Ordinis atque Diffinitorio, in virtute sanctae obedientiae; et hoc quidem stricte mandatur, quia non solum iuxta consuetudinem devotissimae Prov. Aragoniae volebat triennium servari deberi; imo cupiebat absolvi ab ipso Provincialatu antequam dicti Provincialatus triennium elaberetur: et dum Provincialem egerit, Priores non amoveat, nisi ubi fuerint eorum demerita.

Prov.alem Hiberniae committunt R.dis Gremialibus, ut tamen omnia R.mo Patri Ordinis significentur.

Prov.alem Provinciae R. M. n. Franciscum Rostagnum; et iste ob illius Provinciae calamitates, et ut exequantur instituta Reformationis nuper factae, et formam Decretorum Sacrosancti Concilii edoceat, aliud triennium persolvet in gratiam et beneficium illius nostrae Dilectissimae Provinciae Provinciae; cuius triennii initium erit a celebratione Comitiorum nostrorum Generalium. Quo spatio trium annorum absoluto, non reeligetur, neque poterit cogi Provincia ad huiusmodi reelectionem; tametsi dictus Reverendus Mag. Franciscus Prov.alis omnibus viribus functionem illam refutaverit.

Prov.alem Scotiae R.dum M. n. Prov.alem modernum, et R.mus Pater Ordinis aliter providere poterit, sicut ipse Litteris reddetur certior.

Prov.alem Thusciae R. M. n. Vincentium Spinolam Neapolitanum qui ob Litterarum exercitationes et studia et praesertim ob publicam Lectionem quam habuit et habet iussu Sanctissimi D.ni N.ri Papae in Gymnasio Romano, instanter exoravit ut ab eo obedientiae iugo liberaremus. Eius precibus annuentes, placuit R. Diffinitorio ne Provincia Thusciae destituatur, ordinare Provincialem dictae Provinciae R. M. n. Augustinum Vaghistellam (1)

(1) Augustinus Vaghistella. Senensis. Post expletum provincialatum Tusciae nominatur reformator, commissarius et vicarius generalis in conventu Neapolitano (29 April. 1569). Paulo post (4 Nov. 1569) cum quietem et tranquillitatem quaereret transfertur utpote prior in conventum Rocostratae (prov. Tusciae) et quando voluerit Senas revertatur.

Senensem; non derogantes tamen Religionis consuetudini et praescripto, quo Conventus Senarum, solutis iuribus Provinciali, in reliquis ab eius iurisdictione eximitur, reservata eius administratione (129-v.) et dispositione R.mo Patri Ordinis, quod poterit residere vel in Conventu Senarum vel Florentiae.

Prov.alem Venetiarum R. M. Angelum Ambrosianum, ad triennium tantum; et in hoc triennio Conventus Barbarani ab alio administretur: et post triennium poterit uti gratiis in Patentibus R.mi Patris Nicolai Audectii Prioris Generalis descriptis.

Prov.alem Tholosae R. M. n. Antonium Vaisieranum; qui ad triennium incipiendo a die Sanctissimae Trinitatis huius anni 1564 die 28 Maii fungetur Provincialatus Officio illius Amantissimae Prov.ae nostrae Tholosanae.

Prov.alem Cataloniae R. M. n. Gabrielem Cagnitium (1) ad complementum sui triennii, non supputatis mensibus itineris sui ad Capitulum, et a Capitulo Generali: et ad evitandas expensas tantundem perseverabunt Priores in suis Prioratibus.

Prov.alem Alemaniae Superioris R. M. n. Leonardum Gamman; qui ob perseverantiam suam in tot fidei periculis, et controversiis, omni laurea dignus a Diffinitorio existimatur.

Prov.alem Vasconiae R. M. n. Prov.alem modernum, si adest, si vero abfuerit, Provincia alium sufficere et praeficere non procrastinabit: et qui assumetur, statim suae electionis Litteras communes Patri R.mo Ordinis teneatur destinare.

Pro.valem Turoniae R. M. n., cui nunc credita est Provincia; et si videbitur alium fore eligendum, et mos fuerit triennium servare, illudque Prov.alis modernus absolverit, libertas eligendi alium, Provinciae conceditur.

Prov.alem Saxoniae relinquunt temporis futurae dispositioni.

Prov.alem Castellae R. M. Angelum Salazar usque ad complementum sui triennii non supputatis mensibus itineris huius ad Capitulum Generale, et reditus ad suam Provinciam: quia merito illi praesidere debet, et eius prudentia usi fuimus; illamque experti in visitanda nostra Provincia Lusitaniae: et ipse favens Provinciae suae noluit ulterius distrahi sui Provincialatus functionem.

Prov.alem Neapolis R. M. n. Albertum de Comparato, ad

(1) Gabriel Cagnitius. Canys. Inter defensores Ordinis a Rubèo constitutos; in capitulo provinciali 1575 quartus diff.

complementum sui triennii; cuius annum iam transegit ut confirmatione nostra latissime patet.

Prov.alem Portugalliae R. M. n. Damianum de Costa (1), ad complementum sui triennii. Prov.lem Romandiolae R. M. Bartholomaeum a Thonsis de Massa qui per annum reget Provinciam illam, incipiendo a Sanctissimo die Trinitatis praeterito; et hoc quidem conceditur ut introducat Reformationem ad normam Sacri Concilii et Statutorum Capituli Generalis.

Prov.lem Daciae, ut opportunius faciendum videbitur. *(In editione:* Poloniae seu Daciae R. P. Gregorium Condorphium, S. Th. praesentatum).

Prov.alem Bohemiae temporis conditioni reservarunt.

Prov.alem Apuliae R. M. n. Antonium Marinarium, ad triennium qui cum sit doctrinis admodum praeditus, quovis honore dignus iudicatus fuit.

(130-**r**). Prov.alem Bethicae R. M. n. Gasparem Nyeto; qui expleto suo triennio, et non supputatis mensibus sui itineris, eundo et redeundo, ultra triennium annum alium Provincialatus Provinciae Bethicae exequetur, ob Reformationem introducendam sicut disposuit tum Concilium Tridentinum tum Capitulum Generale. Erit itaque dicto tempore et Prov.alis et Reformator; et simul in suo Prioratu perseverabunt omnes Priores dictae Provinciae Bethicae.

Procuratorem Ordinis R. M. n. Joannem Jacobum Cherecatum Vicentinum.

Priorem Sanctae Marie Transpontinae, R. M. Hieronymum Gilbertum Veronensem, usque ad revocationem R.mi Patris Generalis.

Priorem Parisiensem eum confirmaverunt, qui fuit electus in proximioribus Comitiis nostrae Dilectissimae Provinciae et Congregationis Albiensis.

Priorem Neapolis in pectore Patris R.mi.

Constituerunt et ordinaverunt R.di M. n. Diffinitores perpetuitatem Provincialatuum et Prioratuum dirimendam esse, et triennium in Provincialatibus et Prioratibus non posse excedi. Verum est tamen, tempus illud praefinitum R.dos M. n. Diffinitores subiecisse facultati R.mi Patris Generalis, praesertim in Provinciis Italicis.

(1) Damianus de Costa. Provincialatus probabiliter terminatus in visitatione Rubei in fine anni 1567 quo Ludovicum a Luce successorem habuit.

ORDINATIO TAXARUM

Pro expensis R.mi Patris nuper facta ob calamitates quas subierunt Provinciae Franciae Hereticorum perniciosa iniuria.

Provincia Terrae Sanctae scuta 15 auri in auro. — Siciliae 66. — Narbonae 8. — Romae 6. — Franciae 10. — Alemaniae inferioris 24. — Lombardiae 33. — Aragoniae 10. — Provinciae 10. — Venetiarum 34. — Thusciae 22. — Tholosae 6. — Cataloniae 12. — Turoniae 10. — Castellae 10. — Neapolis 12. — Portugalliae 10. — Romandiolae 14. — Apuliae 13. — Bethicae 10.

Summa huius taxae ascendit ad scuta 335, hoc est trecenta et triginta quinque.

(130-**v**.) Hanc taxam nuper moderatam susceperunt, approbarunt, et in futurum servandam edixerunt R.di M.ri Diffinitores huius Capituli Generalis.

Ordinaverunt praeterea ut singulis annis sub Festo Pentecostes solvatur eiusmodi taxatio in Urbe R.mo Patri Ordinis, vel eius Agenti, sine ulla diminutione pecuniarum, ita ut quod solvendum erit eidem tradatur libere et sine ulla controversia.

DE STUDIIS ET STUDENTIBUS

Provideatur Conventui Parisiensi ut non solum sit Conventus sed etiam Studium: et cum sit in virtutibus acquirendis et in erudiendis Viris Seminarium universae Religionis, decretum fuit ab illo Conventu recipiendos esse studentes illuc a Provinciis destinatos, quales fuerint, soluta tamen pecunia, quam alias praefinivit Ordo Carmeliticus, et consuevit Conventus ille accipere: neque liceat adigere et compellere studiosos ad maiorem pecuniarum summam.

Sint etiam in illo Conventu duo Regentes; alter iuxta ritum et institutum antiquum illius Conventus; alter ad institutionem et arbitrium R.mi Patris Ordinis.

Iste Regentis munere fungatur, eius vita comite, nisi propter urgentem necessitatem a functione sua deviaverit. Vitiosum esset nomine tantum Regentem et non re praefecisse. Si igitur Regentis Officium posthabuerit, placuit R. Diffinitorio Capituli Ge-

neralis, Gravissimi Patris auctoritate alium in eius locum debere subrogari.

In dicto Conventu Parisiensi sint Professores Theologiae, Phil. Logicae, Grammaticae et Rhetoricae; totumque suum conatum adhibeant, pariter et impendant R. M. n. Congregationis Vicarius, et Prior Parisiensis studium quod defloruit, quam citius poterint, eorum industria et diligentia refloreat: ut denuo Provinciae Franciae et aliarum Regionum colluceant et splendeant; et quod factum fuerit opportune significent P. Ordinis Gravissimo. Monet Diffinitorium et praecipit, R.dos Patres Congregationis Albiensis in futurum non inquietare Provincias praetextu Reformationis, nec posse Provinciarum Monasteria accipere, in virtute Sanctae Obedientiae, et sub poena rebellionis.

Conventus Remensis satagat, et omni diligentia attendat, ut in eo sit studium, et Litterarum exercitatio consueta, ut quemadmodum illius Filii moribus ornantur, ita doctrinis, disciplinis, et eruditionibus micent, et fulgeant; dedeceret quam maxime Conventum illum vivis lapidibus et pretiosis non esse stipatum atque vallatum.

Conventus Tolosanus non recuset studentes Provinciae Tholosae, soluta pecunia ad eam summam quae Conventui Parisiensi exsolvitur; sintque in illo Conventu profitentes, et docentes Grammaticam, Rhetoricam, ceterasque Artes Litterarias. Studentes vero sic recepti gaudeant et fruantur privilegiis, exemptionibus, immunitatibus quibus gaudent, et potiuntur exteri Studentes Conventus Tholosani. Studiorum item cursu absoluto, unusquisque partes suas agat, et munia subeat ad normam studiosorum et Graduatorum Conventus Parisiensis.

Confirmaverunt Studium, et quatenus opus est, de novo instituerunt, in Civitate Avinionensi, nullo quaesito colore deturbandum. Imo volunt firmatum iri perpetuo, soluta etiam pecunia consueta.

Intendentes amplius suadere R. M. Prov.ali et praecipuis illius Provinciae Patribus, alium Litterarum Ludum seu Studium saltem pro capessendis rudimentis instituere cum iusta affuerit et opportuna occasio.

(131-r.) Ordinaverunt similiter in Civitate Valentina erigi debere Collegium pro imbuendis Juvenibus et Religiosis illius Provinciae, ut imbuantur tum Grammatica, tum Rhetorica, tum Dia-

lectica, et aliis disciplinis laudabilibus; et de summa pecuniae solvendae quod honestum fuerit deliberetur.

Collegium nostrum Salmanticae industria, et virtutibus R.di M.ri n.ri Provincialis, consilio item et ope R. Magistrorum et Patrum amplificetur pro illustranda Religione, et solutis pecuniis consuetis, vel ad eam formam quam reduxerint R.di Mag.ri Prov.ales Hispaniarum, honeste alantur Studentes, nutriantur et conserventur, neque aliarum Provinciarum Hispaniae et Portugalliae Studiosi propellantur, imo benigne suscipiantur. Qui postquam Collegium ingressi fuerint, tantum exeant Domum sive Collegium adeundi gratia Scholas et Gymnasia, ut Lectiones eis congruentes audiant. Sed bini et bini cum cappis albis, modeste et religiose. Si quis vero secus fecerit, carceri mancipetur ad octo dies post primam vicem; et in 2.a vice, tribus disciplinis corripiatur, vescaturque uno die pane et aqua. Post 3.am vicem, expellatur a Collegio, solutaque pecunia privetur, datis ei dimissoriis ut ad suum Prov.alem se conferat (*In ed.*: poenas debite soluturus).

In Conventu Catinensi ordinaverunt R. M. n.rum Marianum Ragusium Panhormitam. Studentes illius Conventus sunt. (*In Ed.* 16 studentes).

In Provincia Bethicae curabit ex animo R. M. n. Prov.alis Collegium situm apud Ossunam aptius accommodari et magis illustrari ad illius Provinciae decorem et ornamentum, necnon ad Studiorum eruditionem altius provehendam: et si aliter factum fuerit, dicta Provincia iustam reprehensionem et correctionem sustinebit.

De Collegio Coymbriensi in Provincia Lusitaniae cavetur ne in illo sit Rector perpetuus; neque patiatur illa Reverenda et admodum observans Provincia, Collegium illud imminui; at magis augeri, ac dilatari, ut dictae Provinciae palmites succrescant, et propagentur quam copiosissime.

In Conventu Ulyssiponae, qui adeo est illustris, sint Magistri, qui moratos illos iuvenes bene instruant et elegantem sermonem iugi studio callere faciant; tunc profecto, velut bonae arbores, bonos edent et emittent fructus.

In conventu Papiensi ordinaverunt Regentem M. n... Studentes illius Conventus sunt (*In Ed.* ad minus decem.).

(131-v). In Conventu Venetiarum ordinaverunt M. Laurentium Laurettum (1) Venetum Regentem.

In Conventu Patavino R. M. Michaelem Friscum (2).

Studentes illius Conventus sunt *(In Ed.:* viginti).

In Conventu Veronae R. Bacc. Nicolaum Aurificum (3) Senensem Regentem.

In studio Pisarum ordinaverunt R. M. n. Albertum Navelerium Neapolitanum. Studentes in illo Conventu sunt *(In Ed.:* septem).

In Conventu Florentiae ordinaverunt R. M. n. Joannem Baptistam Caphardum Senensem. Studentes in dicto Conventu sunt *(In Ed.:* decem).

(132-r). In Conventu Senarum ordinaverunt R. M. n. *(In Ed.:* Angelum Senensem). Studentes illius Conventus sunt *(In Ed.:* quatuor, donec Conv. fuerit restitutus).

In Conventu Perusii ordinaverunt R. M. n. *(In Ed.:* Franciscum Bongium siculum) Studentes in dicto Conventu. *(In Ed.:* quatuor).

In Conventu Sanctae Mariae Transpontinae, in pectore R.mi Patris.

In Conventu Imolensi... *(In Ed.:* Cesenae Regentem M. n. Marcum Antonium Magnanum de Massa et quatuor studentes).

---

(1) Postea, i. e. circa 1568 regens Paduae.

(2) Michael Friscus. Beneficiarius e testamento Audeti. Autorizatur 1. Mart. 1568 ad agendum apud iudices de parte haereditatis sibi competenti cum aes alienum contraxerit nec solvendo par esset. Qua auctoritate tamen abusus est et ab Ordine apostatavit (11 Martii 1570).

(3) Nicolaus Aurificus. 8 Julii 1563 una cum provinciali et quodam alio ipse, tunc regens Venetiis, investiget de vita, moribus et negotiis omnium fratrum Paduae et Venetiis. Pluries capitulis provincialibus diversarum provinciarum praefuit, et non semel inter candidatos provincialatus recensetur. 14 Julii 1575 ordinatur regens Placentiae, explicet casus conscientiae, Scripturam Sacram, vacetque praedicationibus. De ipso iterum in sequentibus capitulis sermo erit. Plures libros edidit.

De Studio Neapolitano.

Ut studium celebratissimum vigeat in Conventu peregregio Civitatis Neapolis ordinaverunt duos esse Regentes, quorum primus, et absolutissimus, a quo in his quae pertinent ad Litterarum exercitationes et moderationes, universum dicti Conventus studium pendere debet. Statuerunt primum Regentem esse R. M. n. Vincentium Spinolam Neapolitanum; cui pro stipendio et pro emendis Libris annuatim persolventur decem et octo scuta. Alterum Regentem ordinaverunt R. M. n. *(In Ed.* Pompeum Ragusium Siculum. Studentes 25).

(132-v.) *De Promotionibus.*

Promoverunt ad sententias legendas et ad suscipiendum Lauream Doctoratus infrascriptos.

R. Bacc. Bartholomaeum Cappallam (1), R. Bacc. Marianum ad eumdem Gradum suscipiendum.

Ad Baccalaureatum. — Ven. Hilarium Palumbum (2). Joannem Baptistam Baccalarium de Nicia. Vincentium de Roboreto Hieronymum Aleottum (3). Felicium Massensem. Clementem Astensem.

Ad Lectoratum. — Hon.dum Fr. Leandrum Franconium Liciensem (4), Hieronymum Scolorcia (5) Neapolitanum.

Cursores. (In Ed. Fr. Vinc. Relencinum lugiensem).

---

(1) Bartholomaeus Capalla. Provincialis Romanae provinciae ca. 1571 usque 73, forte etiam antea et postea.

(2) 30 Junii 1565 habuit licentiam pro doctoratu.

(3) Hieronymus Aleottus. Provinciae Lombardiae, autorisatur pro adipiscendo doctoratu, 23 April. 1566. Prior Mediolani 1567 usque 1573 quo etiam provincialis. 1575 regens Mediolani.

(4) Leander Franciscus Liciensis. Alias Leander Franconius, prov. Apuliae, doctor Patavinus, reformator conventus Liciensis 1. Ian. 1571. Postea accipit prorogationem sui prioratus per aliud biennium ob labores in favorem capituli generalis exantlatos; simul instituitur reformator supradicti conventus. 25 Julii 1575. De eo etiam in sequentibus.

(5) Hieronymus Scolorcia. 11 Aug. 1569 in cella includitur (tunc magister existens) propter libellum in quemdam confratrem. Accusatus quod tempore Quadragesimae cibis prohibitis, ovis, carnibus etc.

(133-r.) *De Insigniendis Laurea Doctoratus*

R.mus Pater Ordinis, ex Indulto Apostolico (1) ad Coronam Magisterii in Sacra Theologia promovebit R.dos Patres infrascriptos; cum in Ecclesia Divae Mariae Traspontinae, praesentibus Ill.mis et R.mis Cardinalibus, Praelatis multis, R.mo Patre, Universo Gymnasii Romani Doctorum coetu et quamplurimis Religionum Doctoribus, seu Magistris, atque magna Populi concione, dicti laureandi in disputationibus perdocte sua pronunciata et conclusiones declaraverint, defenderint et obiecta ingeniose et acute diluerint et primo est

R. Praesentatus Joannes Nadal (2) Caesaraugustanus, R. Praesentatus Dominicus Laurentius a Lotharingia. P. Bacc. Albertus Mandatoritius (3).

De Promovendis ad eumdem Gradum Magisterii si tamen praemissum fuerit rigorosum examen ad formam Diplomatis Apostolici. — R. Praesentatus Angelus Salazar, Prov.alis Castellae, R. Praes. Gaspar Nieto, Prov.alis Bethicae, R. Praes. Joannes de Moura (4), Prior Hispalensis, R. Bacc. Pomponius de Mazaria (5).

---

vesceretur affirmat ita se egisse de consilio medici et licentia vicarii provincialis, ideo de haeresi absolutus et innocens declaratus, tamen ob scandalum pusillorum condemnatus ad septem psalmos quotidie recitandos usque Pascha (16 Dec. 1569).

(1) Indultum apostolicum. Bullarium II, 130.

(2) Joannes Nadal. Provincialis Aragoniae, Officium retineat usque ad capitulum provinciale IV dominica post Pascha 1569 celebrandum. Inter defensores Ordinis recensetur. Prior Caesaraugustanus 1569. 17 April. 1572 sit Vicarius provincialis casu quod provincialis deponendus esset.

(3) Albertus Mandatoritius. Apulus. Regens Neapolis agit 5 Jan. 1571 pro reformatione monialium apud Pontinianum.

(4) Johannes de Moura. Johannes de Mora, deinde 1566 seqq. prior Utrerae, in negotiis Melchioris et Gasparis Nieto implicatus.

(5) Mittitur in provinciam Castellae in conventum Toletanum vel Abulensem; et cum lector in Sardinia fuerit ibique negotium habeat conceditur ei ut usque ad medietatem Maii illuc maneat. 7 Martii 1569. Nota eum in elencho promotorum minime nominari, et in praecitatis litteris baccalaureum vocari, unde liquet eum examen rigorosum de quo in textu nullatenus subiisse. Praeter citatos in textu nominantur

Acceptarunt et approbarunt Magisterium et Lauream Doctoratus, qua alias fuit illustratus et exornatus R. M. Ambrosius de Castro (1): et eum in Ordine nostro ut verum et legitimum, rite et canonice insignitum inter Mag.ros Theologos recipiunt et suscipiunt. Statuentes illum gaudere et potiri gratiis, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, commodis, quibus alii Doctores Ord. Nostri gaudent, fruuntur et potiuntur.

INSTITUTIONES ET SANCTIONES COMITIORUM GENERALIUM HUIUS ANNI 1564, IN ALMA URBE, IN CARMELO SANCTI MARTINI IN MONTIBUS, SPECTANTES DIVINUM CULTUM, REGIMEN ET ADMINISTRATIONEM, NECNON UNIVERSI ORDINIS REFORMATIONEM.

DE CULTU DIVINO

Deo summae bonitati, praecipuo cultu, pura mente, et omni obsequio ac devotione inserviendum, nemo est integri animi, qui negare possit. Adnitendum est itaque, ut in omnibus quae Dei sunt, et corda nostra, ac fidelium excitant, non omittantur; at in dies magis et in horas, quae reverentiam prae se ferunt, et animi in bonum propensionem amplectemur, suscipiamusque; quo fit ut praesens Diffinitorium omnes Religiosos Carmeliticos hortari, monere et eis sua auctoritate praecipere voluerit, haec observari debere.

Ordinaverunt, unumquemque Carmelitam, dum in Conventibus moratur, saepissime confiteri peccata sua Sacerdoti (133-v.)

---

in notis Rubei sequentes eadem occasione magistrati: Albertus de Modica, Syracusanus (supra 1548) et Genesius Rosanus (Genesius Cremonensis, ibidem). Eadem concessione apostolica promovit Didacum a Regibus (20 Febr. 1565), de quo cap. seq.; Didacum de Leone et Vincentium de Trinitate Beticos (1566), Ludovicum de Luce, Lusitanum, 1567, de quibus hisce capitulis nulla fit mentio, et Martinum Garciam Castiliensem (1567) de quo plura 1575.

(1) Ambrosius de Castro. Fuerat socius Rubei in visitatione Italiae ante eius profectum in Hispaniam, item cum in Siciliam et Melitas insulas traiecit, incidit in Turcas, deinde prior Vallisoleti; at postea implicatus in negotiis utriusque Nieto, Johannis Mora etc. cum quibus etiam indignationem generalis incurrit.

eiusdem Ordinis, et eorum Confessio fiat in aperto, ut coeteri Fratres videre possint eum, et honesta conscientia affectum et Catholicum esse, Sanctaeque Ecclesiae Catholicae filium obsequentissimum.

Postquam Religiosi nostri Officium diurnum et nocturnum absolverint, otio et torpori non subiaceant, sed aliquo studio laudabili vacent, vel Litterarum, vel meditationum, vel precum, seu orationum, vel manibus suis, dummodo mercaturam non referat, neque quidpiam sordidi conficiant; segnities namque et Carmelitarum professio, omnifariam et mutuo se repellunt.

Finis et intentio Religionis Carmeliticae circa Graduatos et exemptos, omnibus debet innotescere; quippe quae Primariis Regularibus suo concessu tribuit, et sustinuit, non adesse choro singulis horis canonicis, ut eorum studiis vacare possent; et aliis, ut suae infirmitati, vel malae valetudini consulere, vel quaedam sua honesta exercere. Quare decreverunt Diffinitores inviolabiliter servandum, ne exempti, et gratiis seu privilegiis affecti, Officiorum, seu Horarum tempore eant spatiatum per Conventum, vel inter ipsos sedentes in propatulo otiose versentur, et loquantur. Quod si quispiam fuerit ausus ab hoc instituto desciscere, post trinam monitionem omnibus exemptionibus privetur, donec cum eo per R.mum Patrem Ordinis fuerit dispensatum. Studeant omnes exempti in cubiculis eorum, et vacent, ut dictum est, lectioni, meditationi, orationique; solumque Ministris permittitur modo huc, modo illuc ambulare, ministeriorum suorum gratia.

Quoniam Magistri nostri, Seniores, et Patres esse debent iunioribus exemplo, et omnes simul excitare populum, opera eorum spectantem, in Dei laudem et gloriam, sancitum fuit, dictos Magistros, Seniores et Patres non simul publice garrire, odiis et rixis insectari, illicitis non incumbere, R. Prioris obedientiae nullo pacto reluctari, faciantque ut iuvenes sint modesti, bene morati, disciplinis imbuti et tam in Choro quam in Ecclesia sanctis ceremoniis intenti. Cum vero vagantur per Urbem, de licentia sui Superioris, sint compositi incessus, in sermone Religiosi, in conversationibus honesti, non residentes in apothecis, non vicos infames ingrediantur, et demum nihil praetermittant, quod pertinet ad aedificationem; omnino abhorrentes ab eis quae faciunt ad destructionem.

Curabunt Sacristae, ut vasa, et omnia pro Sacris exsolvendis,

et pro Ecclesia ornanda, sint nitida, et eo decore, quoad fieri poterit, conserventur, ut decet. Quae singula nunquam oppignorentur, neque facile mutuo dentur, nisi ubi necessitas adegerit; quod R. Priori, et Patribus iudicandum conceditur.

Statuerunt, neminem, cuiuscumque Gradus, auerit conditionis existat, nisi infirmitate praepeditus fuerit, aut iure fuerit privatus, penitus abstinere a celebratione Missae. Cum diebus Dominicis, et diebus Festivis sponte, et aequo animo decreverint R. Diffinitores, ipsos Missas celebrare, et nisi hoc fecerint, Prior antea ab eis causam sciscitabitur; quam si rationabilem non invenerit, cogat ipsos et compellat ad munus illud Sanctissimum persolvendum.

Nemo ex nostris sacerdotibus praesumet audire poenitentes a Confessionibus; neque ullus ex Praedicatoribus nostri Ordinis audebit praedicare, etiam in domibus propriis, nisi utrasque functiones exercentes R.mi Ordinarii gratiam et benedictionem impetraverint.

(134-r.) In celebratione Missarum omnes Religiosi Carmelitae sint uniformes; orationes non consuetas tunc omittant, alibi tamen dicendas, ut eorum devotioni satisfaciant. Secreta Missae pressiori voce legantur, ut nunquam vox attollatur, nisi ubi Ordinale nostrum secus demandaverit.

Ordinentur in singulis Conventibus duo Reformatores: qui omnes ad uniformitatem reducant.

Imposterum non celebrentur Missae cum quinque, aut sex, aut tredecim, aut pluribus candelis ex nonnullarum Rubricarum praescripto; quoniam, ut docet Sacrosanctum Concilium Tridentinum, illud habet, et redolat magis superstitionem.

Sacris Ordinibus non poterunt initiari, nisi prius fuerint instructi et aetate et doctrina, quae in Concilio Sanctorum Patrum declaratur, et explicatur: et caveant R.di M. n. Pro.ales, sub periculo praevaricationis regularis obedientiae, et privationis ab eorum gradibus, ne aliquibus veniam impertiant ad suscipiendos dictos Sacros Ordines; nisi omnes conditiones simul iunctas, in decreto contentas, habuerint.

Decreverunt Breviariorum congruitatem, et convenientiam introducendam, ut omnis ab Ordine nostro tollatur confusio: et cum R.mus Pater Ordinis id exequendum curaverit, omnes statim et prompte obedire conabuntur. Idem praecipiunt de cantus conformitate; non est enim rationi consentaneum, unius Ordinis

Professores, uno titulo, una Regula, uno Pastore gaudentes, in eorum modulationibus et Ritibus esse diversos.

Sancti Ordinis nostri redigantur in Catalogum, seu Calendarium Sanctorum ; et de illis fiat Officium duplex : non amoveantur tamen ab ipso Calendario Sancti, de quibus celebrantur Officia, et iam diu celebrata fuerunt.

In omnibus conventibus Hispaniarum et Lusitaniae, qualibet feria V^{a} fiat officium de SS.mo Sacramento, ad modum duplicis Festi, nisi eo die contigerit ut sit Festum alicuius Sancti novem lectionum, vel nisi fuerit Octava solemnis. Et animadvertant omnes, debere celebrari Octavas solemnes S.mae Trinitatis usque ad primas Vesperas Festi S.mi Corporis D. N. J. Ch. Fiant item Octavae Solemnes Sanctorum Stephani, Joannis Evangelistae, Innocentium, Joannis Baptistae, Divorum Apostolorum Petri et Pauli, S.ti Helisei et S.ti Angeli, atque etiam Cyrilli Patriarchae, in quibus neque XV Psalmi dicuntur, neque Officium parvum de Beata Virgine. Concessio vero superius facta Provinciis Hispaniarum feria V^{a} de S.mo Sacramento intelligatur extra Adventum et Quadragesimam.

Decrevit insuper R. Diffinitorium celebrari Festum S. Martini Papae et Martyris post Festum S. Martini Episcopi et Confessoris: et ob celebrationem Comitiorum Generalium in Conventu S. Martini in Montibus de Urbe, mandat et praecipit diem illius festivum solemnem esse, eius Octavam inter solemniores haberi, non omissa tamen consuetudine celebrandi officium divi Martini Episcopi et Confessoris, ob cuius rationem fiet commemoratio de Sancto Martino Papa et Martyre, et reliqua (134-v) servabuntur ad normam Rubricae Octavarum Solemnium: et Octava dies Sancti Martini Papae et Martyris omni solemnitate celebrabitur. De Festis vero Conversionis S. Pauli, et decollationis S. Jo. Baptistae fiat Festum duplex. Idem praecipitur de omnibus Sanctis, quorum Corpora in ecclesiis nostris habentur et omnes hinc poterunt secum afferre duplum seu exemplum nominum Sanctorum, quorum Corpora in hoc templo recondita fuerunt. Item Festa duplicia celebrari debent S. Joannis ante Portam Latinam, Commemoratio S. Pauli. Item Festum S. Petri ad Vincula.

Item ne cantus, et officium semiduplex omnino praetermittatur, ordinavit R. Diffinitorium fieri Festum semiduplex de

omnibus S. Martyribus et Confessoribus, qui fuerunt Summi Pontifices.

DE REGIMINE ET ADMINISTRATIONE CONVENTUUM

Nullus R. M. n. Pro.alis, neque Prior seorsum audeat disponere, quavis forma, praetextu, palliatione, et intentione, de bonis communitatis Conventuum; sed omnino teneantur tractare ipsi Provinciales, aut Priores cum universo Conventuum Gremio: et si secus agere praesumpserint, absolventur omnes Fratres ab eorum obedientia; et illos Gradu et Dignitate privatos esse a Diffinitorio declaratur.

R. Priores et Clavarii, seu Discreti singulis Sabbathis cogant Expenditorem, et Procuratorem ostendere Librum reddituum, et expensarum; et diligenter inspicere, quo in statu sit Conventus: et si invenerint Procuratorem, vel Expenditorem malitiose quippiam defraudasse, et furtim surripuisse, statim carceri mancipetur per mensem, et loco et voce privetur usque ad Capitulum Generale.

Nullus Prior, qualiscumque fuerit, expendat pecuniam Conventus. Item dictus Prior, neque alius Frater, cuiuscumque conditionis extiterit, et quacumque causa possit habere bona Monasterii stabilia in commendam, neque in administrationem; sed dicta bona stabilia applicentur, et incorporentur Conventibus. Pecuniae item Conventuum, seu redditus illorum exponantur tantum, et recipiantur a Procuratore ad nutum superioris amovibili. Semper etiam deputetur unus Procurator, qui fundos, praedia, vineas conservet, colere faciat, et quidquid illis opus fuerit subministret, et procuret. Si quis autem ab hoc statuto deviaverit, tamquam proprietarius puniatur.

Committitur R. Pro.alibus et Prioribus, ne permittant quempiam ex Regularibus sui conventus, vel Provinciae bona retinere stabilia, scilicet fundos, praedia, vineas, domos locatitias, et illis similia ut dictum est. Imo cum pervenerint ad eorum Provincias, omnem adhibeant conatum, ut praedicta redigantur in commune; et scripturae seu contractus ita formentur, ut deletis et obliteratis nominibus unius aut alterius Religiosi, conficiantur, et conscribantur nomine universitatis Conventuum.

Bonorum vero mobilium usus a Superioribus concedi poterit

hoc modo; ut scilicet in eorum suppellectili nihil sit superfluum, nihilque quod sit necessarium denegetur. Noverint Religiosi nostri, supellectilem eis concessam, tamquam propriam ab eis non posse usui haberi, sed tamquam bona Religionis.

(135-r.) Animadvertant insuper R. Prov.ales et Priores Conventuum nostrorum tenuitatem et egestatem, habebuntque rationes seniorum, infirmorum, valetudinariorum et similium, ne ex Conventus paupertate Fratres inopia deficiant, sed ut fieri poterit, permittatur eos posse suis necessitatibus opitulari, vel consanguineorum suorum munere, vel benevolorum charitate. Nam si usus superfluitas prohibetur, illius in necessitate moderatus usus non abraditur.

Non est ambigendum, si Conventus nostri possent suppetias praebere Religiosis nostris congruentes, omnes ad normam Statutorum, ut loquuntur, rigorosam, prompte suum animum esse flexuros, sicut modo flectunt; sed ne ludantur ambiguo, ob necessitates ingruentes, citra Sacri Canonis derogationem, ea compensanda fore; modo supradicto existimarunt R. M. Diffinitores.

Constituerunt R. M. Sebastianum Cesenatem in loco Capranicae, qui immediate subsit R.mo Patri Ordinis.

Ordinaverunt in Conventu nostro Pausilipi R. M. n. Joannem Antonium Darium Priorem, Rectorem, Administratorem, Vicarium Generalem R. Patri Ordinis immediate subiectum, eius vita durante, ob sua merita et ob utilitatem dicti Conventus.

DE REFORMATIONE

Non solum re, imo et nomine cavendum est a proprietatis vitio. Nullus itaque deferat loculos, seu marsupium apparens a zona pendens. Non utantur Laicorum sermone, dicentes: habeo tot vel tot scuta. Non in suis controversiis, seu concertationibus dicant tantam vel tantam pecuniam deponere me non pigebit. Nam Fratres nostri omni deposita mercatura, omni industria cuiusvis lucri, sermonem suum compescant, et in cunctis eorum dictis et actis, quae proprietatem prae se ferunt, regulentur. Et qui secus egisse deprehensus fuerit, et iure convictus, etiam non confessus, carceri mancipetur per sex menses, et privetur omnibus bonis Religionis, quibus utebatur, non ad necessitatem opitulandam, sed ad commoditatem honestandam.

Quoniam Carmelitica Religio semper vixit in communi, impium foret aliquid sustinere quod eius communitati adversaretur. Prohibetur itaque omnium rerum usus, quem Superior Conventus vel Provinciae non probaverit, iuxta modum et regulam Sanctissimae Tridentinae Synodi. Concludatur itaque in Arca communi illud pecuniae, quod a Fratribus nostris fuerit acquisitum.

In suppellectili et ornatu cubiculorum non appareat vanitas, sed sit conformis paupertati quam professi sunt Regulares nostri Ordinis.

In Conventibus Civitatum construatur Novitiatus, et qui sunt reformentur; et ubi non sunt Novitiatus, non recipiantur pueri, nisi excesserint sextum decimum annum; et caveant ne sint illegitimi, neque orti ex infamibus Parentibus; et Novitii non impediantur a disciplinarum studiis, sicut eorum indoles poposcerit; neque ad Professionem admittantur, nisi sciverint rite legere, canere, et decenter loqui latine. Et si istis conditionibus caruerint, et voluerint profiteri, ut Conversi seu Laici habeantur, abrasa corona capitis, quam antea gesserant.

(135-v.) Pensandum est quoque, et prae oculis habendum, ne qui fuerint recepti in Ordine ut essent Laici, unquam ut Clerici recipiantur, sub poena privationis loci et vocis Priorum et eorum qui ab hoc decreto abhorruerint. Neque poterit super hoc dispensari per Capitulum Prov.ale, sine licentia R.mi Patris Ordinis.

In professione Monialium, et earum receptione, servetur omnino Decretum Sacri Concilii Tridentini; et in electione Priorissarum et aliorum Officiorum ad fenestrellam accipiantur vota eligentium; et electionibus peractis, non publicentur eligentium nominà, sed tantum electarum; alioquin electiones quaevis sint irritae, et nullae. Caveant, ne ante duodecimum annum Puellae induantur habitu Religionis.

Nemo Fratrum, aut Sanctimonialium possit testamento relinquere Cameras suas, quacumque industria sua instructas et ornatas. Camerae autem ita distribuantur in Conventibus Solemnibus, ut habeatur ratio primariorum Graduatorum, et qui alias fuerunt Prov.ales suae Provinciae; nam in quavis familia, nedum Republica, ordo et graduum diversitas apparet et extat.

Nemo sit Prov.alis in posterum, nisi sit Doctor, vel Praesentatus in Theologia, et simul sit probatae vitae: si tamen con-

tingeret, Provinciam aliquam esse Magistrorum expertem, conceditur posse eligi Magistrum alienae Provinciae. Nam Apostolus docuit, Episcopum oportere Doctorem esse: et hoc etiam Provincialibus congruum est, aequum et honestum; cum ipsi revera sint Ovium Pastores. Sint autem Doctores vel Praesentati, qui saltem tempore Quadragesimae, munus Praedicationis vel apud Nobiles absolverint.

Provincialatuum et Prioratuum perpetuitas omnino abraditur, ut superius dictum fuit; nisi ex consensu R.mi Patris Ordinis petente Provincia in perpetuum Priorem subrogaretur, ob eam causam quod Conventum illum a Principibus, a Nobilibus, vel ab aliis suis praedicationibus, vel vitae Sanctimonia obtinuerit, impetraverit et in ea perseveraverit; vel eius praedicationibus, et industria notabiliter Conventum in meliorem faciem redegerit.

Et qui fuerit loci illius perpetuus administrator, tenetur vitam regularem exequi; R. Prov.ali, sicuti et coeteri Priores Provinciae obedire; recepta et exposita in Libros Rationum referre: et in Capitulo Provinciae suae administrationis modum praesentare; cum ipse non Dominus, non Possessor, sed tantum administrator constituatur. Ad Conventum illum, suis exemplis, et optimis moribus, et regulari consuetudine augendum, amplificandum, et aptandum, in Dei cultum et obsequium; quo plures nostri Instituti Regulares Deo crebras valeant persolvere laudes.

Prov.les in futurum, absoluto triennio, non reeligantur, nisi ubi contraria consuetudo inoleverit. Placuit tamen R. Diffinitorio R.mum Patrem Ordinis super hoc, iuxta temporis varietates, et rerum occasionumque necessitates, posse dispensare. (136-**r**.) Electiones Prov.alium fiant iuxta modum, quo facta fuit electio R.mi Patris Ordinis, dicente Decreto Sacrosancti Concilii, electiones fieri debere per vota secreta, non publicatis nominibus eligentium. Primo debet Praesidens iuramento obstringi, de non revelandis nominibus eligentium; et recipiens vota scribat hoc modo. *Eligitur talis in Provincialem.* Quo scripto, eligens eam plicet, et reponat in vasculo; et omnibus expeditis, non Praesidens, sed qui cum eo assident, vel unus ex eis legat scripta; et qui plures habuerit voces; vel habuerit quae in Constitutionibus declarantur, ille sit Provincialis.

De Prioribus localibus ordinatur, non posse aliquem eligi in Priorem, nisi Prov.ali fuerit praesentatus; sicut nec aliquis in

Prov.alem eligi, nisi prius R.mo Patri Ordinis praesentatus fuerit. Debent quidem praesentari plures; ut ex illis, Superioris iudicio, praestantiores remaneant eligendi.

Priores qui solent eligi a Capitulo Conventuali non eligantur in Capitulo Prov.ali. Imo Conventus gaudeat sua libertate religiosa. Caeteri vero Priores, quos non consueverunt Conventus eligere, ordinentur et instituantur a Capitulo Prov.ali.

R. Prov.ales non possint removere a Conventibus suae Provinciae infra annum Fratres, nisi ob eorum demerita, quibus, iuxta statuta Ordinis, merito possint amoveri; et eo casu non poterunt Prov.ales alios Fratres supponere, vel instituere in ipsis Conventibus, gratia electionis faciendae. Si vero opus fuerit, ut mittantur alii Fratres in dictis Conventibus, illi poterunt eligere Priorem loci unde discesserunt, et non Priorem loci quo pervenerunt.

Provinciales non congregent ad libitum Fratres pro Capitulo celebrando sed tantum temporibus statutis; neque ad libitum taxas decernant, sed consulto Capitulo Prov.ali, cuius sententia debebit audiri.

Caveant Superiores, iuxta statuta Sacri Concilii, ne facile eorum inferiores excommunicationis poena afficiant; sed antea censuris, et poenis in Statutis expressis graventur; ita ut excommunicatio ad graviora crimina reservetur; et etiam magis eam poenam criminibus obstricti extimescant.

Si in eligendo Prov.ales vel Priores, subortae fuerint contentiones inter Fratres, tam Gremiales, quam non Gremiales; ut ex eorum dissentionibus vel rumor pervenerit ad aures Laicorum, Principum, Nobilium, vel Praelatorum; et aliquo praetextu defensionis, aut patrocinii, aut favoris, tentaverint uni prodesse et alteri obesse, mandant R. M. Diffinitores, eos qui fuerunt in causa, protinus carceribus mancipandos usque ad Capitulum Generale, nisi per Patrem Ordinis cum eo, vel eis, misericorditer fuerit dispensatum.

Recurrentes item ad Laicos, vel ad Clericos, etiam ad Praelatos, vel ad Principes pro impetrandis (136-v) officiis in Ordine vel Fratrum acta praedictis revelaverint, in compedibus detineantur per mensem; bis in hebdomada ieiunent in pane et aqua, et iisdem duobus diebus humeris denudatis disciplinam in Capitulo seu Refectorio humiliter suscipiant.

Nullus imposterum eligatur in Priorem, qu siti progenitus

ex Parentibus infamibus. Priores item non sint neque spurii, neque Fratres qui ter aut quater apostataverunt ab Ordine.

Servata consuetudine praesentandi Magistros eligendos in Prov.alem R.mo Patri Ordinis, possint Prov.alem suum eligere; quo electo statim sit Prov.alis electus et confirmatus, possitque suum Officium exercere; si tamen ante electionem, iuxta antiquam consuetudinem Ordinis, designaverint collectas ordinarias Provinciae, nec non confirmationis dicti Officii. Quod quidem Provinciis non parum conducet, et dignitas Patris Ordinis conservabitur.

Omnes R. M. n. Prov.ales, qui a Capitulo Generali in suo Officio perseveraverint, vocentur, et sint Reformatores; qui teneantur bonos mores et Reformationem inducere, sicut Decreta Sacrosancti Concilii, et Ordinis Instituta constabiliverunt.

Prohibuerunt ne recipiantur Fratres Professi aliarum Religionum; neque unum Prov.alem suscipere Fratrem, seu Fratres aliarum Provinciarum, sine dimissoriis sui Prov.alis; et si aliqua charitate ducti, quempiam receperint, statim scribant R.mo Patri Ordinis, dicti Fratris discessus causam significantes; et sicut Pater Ordinis responderit, ita executioni demandetur.

Non appareant Camisiae Fratrum nostrorum, neque in manicis, neque in collo, nisi fuerint laneae. Caveant etiam ne proferant indumenta more saecularium et Laicorum. Si quis fuerit ausus huic statuto obvenire, privetur camisiis, et dentur Christi pauperibus: indumenta vero aptentur ut decet Regulares.

In posterum Patres honoris constituantur, ad normam decreti R.mi Patris Nicolai Audectii Generalis proxime defuncti; cum illud Sanctissimum Decretum laudatissimas conditiones referat et enarret: Quorum patrum locus sit post Baccalaureos formatos in suis Conventibus degentes. Baccalaurei autem formati tales sint, quales explicantur a Statutis Ordinis.

Si qui fuerint Patres senio confecti, et in Ordine per quadraginta annos perseveraverint, teneant locum Professionis suae: qui tamen a quatuor Patribus Conventus, si excesserint trigesimum quintum annum, praecedantur; neque ullus possit ad eorum quatuor numerum accedere, sine licentia Patris Ordinis, licet unus ex illis obiret.

Notum sit omnibus Fratribus Religionis nostrae, nunquam

dictam Religionem Conventualitatis nomine (1) laborasse; fuit (2) semper in viridi observantia; quamvis nonnulli ex Religiosis suis, seu ex Conventibus interdum defecerint. Semper quidem sub obedientia unius capitis, semper in communi refectorio, semper sub communi participatione (quamvis pauperrime) vixit. De coetero igitur Fratres nostri se Conventuales esse minime (137-**r**) fateantur, sed de observantia Provinciarum (3), ut ex Indultis multorum Pontificum, et praesertim Clementis VII latissime constat. Et qui huic decreto fuerit inobediens, proinde ac mordax et maledicus puniatur.

Non liceat Prov.alibus, neque Prioribus ingredi Monasteria Sanctimonialium, nisi urgente necessitate, et semel in anno pro Visitatione facienda, iuxta vetustam consuetudinem, et ritum Instituti Carmelitici.

Definiverunt R. Gremiales in eligendis Prov.alibus et Prioribus non immorandum; non inspiciendum esse, an aliquis sit professione vel dignitate antiquior; sed ad probitatem morum, ad vitae honestatem, et ad disciplinae, doctrinaeque perfectionem, excellentioremque praestantiam. Homines quidem non sunt aestimandi a vetustate, vel ab alio temporis curriculo, sicut ea, quae humanis usibus consumuntur; sed magis a virtutum et probitatis excellentia.

Pro vestiariis Fratrum non dentur pecuniae, sed panni, vel alia, quibus indui possunt; neque fraudibus circumveniantur; debent enim victum et vestitum habere, et illis esse contenti.

Si post duos annos a celebratione praesentium Comitiorum, Pater Ordinis non pervenerit ad Regna Hispaniae, vel non arripuerit iter pro illis invisendis, conceditur quinque Provinciis Hispaniarum, ut ab eis eligatur unus Vicarius Generalis, qui sit Magister, et integerrimae vitae; et electus duret per triennium, atque Reformationes abhinc factas examinet, et a faciendis non desistat. Dictus Vicarius habebit potestatem in Prov.ales et iisdem Provincialium facultatibus uti poterit. Poterit etiam dictos Prov.ales ex eorum demeritis privare Officiis suis; omnes nefarios et scandalosos corrigere; studentes promovere, et promotos in Collegiis

(1) *In Ed. adjungitur:* (ut vulgo nomen illud interpretantur).

(2) *In Ed.:* corpus quidem dictae Religionis fuit etc.

(3) *In Ed. additur:* ut protestati et obtestati fuerunt omnes R. M. Provinciales tum Franciae, tum Hispaniarum.

reponere, nec quicquam ulterius; servatis tamen omnibus Provinciarum iuribus, et religionis; cui pro victu, vestitu, atque itinere omnes Provinciae prospiciant.

Utque in ista electione sit modus, omnes Provinciales praesentabunt duos Magistros in Theologia omni exceptione maiores suarum provinciarum: quorum Mag.orum unum, vel ambos recipiet R.mus Pater Ordinis; et ex eis quos acceptaverit, unum eligere studebunt votis secretis, ut dictum est.

Et ne expensae sint magnae et immoderatae, nomina quinque Provinciarum in vasculo uno reponentur a Procuratoribus Provinciarum missis, ad unam illarum Provinciarum commodiorem, deinde una extrahetur scheda, et quae nominabitur Provincia, in illa fiet electio Vicarii Generalis. In qua electione habebunt locum et vocem R. Pro.ales, Priores, Magistri, Socii Priorum, Procuratores missi; et Pro.ales Provinciarum poterunt in scriptis sub sigillo eligere unum ex praesentatis: sed illi Priores solummodo eligant, qui Socium habebunt, et non alii. Absit, et procul pellatur omnis subornationis specimen, et suspicio, nedum subornatio, sub poena inhabilitationis ad Gradus, ad Officia, ad Dignitates perpetuo.

Quamprimum electus fuerit, exerceat Officium suum, et infra octo menses, vel unius anni spatium, teneatur habere confirmationem a R.mo Patre Ordinis, nihil solvendo.

(137-**v.**) Huius Vicariatus Generalis dignitate, quae durabit ad triennium solummodo, ut dictum est, R. Vicarius Generalis modestia, charitate et dexteritate utetur, citra dispendium et iactu ram Regularis Observantiae. Non obliviscetur autem in 3° anno significare R.mo Patri Ordinis, ut sua Paternitas velit vel electum Vicarium confirmare, vel alium eligendum decernere; et citra illius nutum et dispositionem, si alius electus fuerit, electio improba sit, et inanis.

Nemo in posterum audebit petere confirmationes gratiarum, Dignitatum, et Officiorum a Superioribus Ordinis concessarum, a Sacrosancta Sede Apostolica, sine licentia R.mi Patris Generalis. Compertissimum est quidem, quicquid Religio nostra concedit, auctoritate dictae Sanctae Sedis Apostolicae fultam et nixam concedere et donare; et plerumque experta fuit nostra Religio, confirmationum praetextu, Fratres se eximere ab obedientia pro-

fessionis suae debita et pacem ac tranquillitatem Religiosam deturbare: Quas confirmationes sanctissimas esse credimus.

Quam perniciosum sit scandalum, Jesus Christus Dominus noster, ut in Evangelio habetur, explicite docuit; ad quod evitandum nos satagere oportet. Ergo si evenerit Provinciales ad Curiam Regiam, vel Episcopalem, seu aliorum Judicum Saecularium inter se controvertere, seu permiserint Fratribus potestatem eligendi Judicem saecularem per Nuncium Apostolicum, ut lites suas in alios Fratres pertractent, illico sint privati Officio suo, omni gradu et dignitate, simulque voce activa et passiva ad novem annos.

Et quoniam ubi non est ordo, omnia tumultuarie fiunt et perfunctorie, dissentiones et odia quam plurima suboriuntur, decreverunt R. M. Diffinitores, in Capitulo Generali, omnes Socios Provincialium habere locum immediate post Provinciales omnibus in locis, tametsi adessent antiquiores Magistri.

In Capitulo Pro.ali, Socii Pro.alium habebunt locum post Priores Provinciae. De sociis vero R.mi Patris, dum visitaverit, teneant locum iuxta consuetudinem antiquam Carmelitanae Reipublicae.

In Provinciis Ultramontanis et Ultramarinis, dum celebrantur eorum Comitia, servetur illarum consuetudo; sed in Comitiis Italicis Magistri in Theologia praecedant Priores qualescumque, et ubicumque fuerint (si tamen non erunt Mag.ri) et dicti Priores in electionibus faciendis, et in coeteris actibus Comitiorum, ordinem antiquitatis Conventuum teneant et possideant. Decreverunt tamen, Capituli Provincialis Diffinitores, quamdiu duraverit Capitulum, omnibus Magistris praestare atque tenere superiorem locum.

Priores Locales extra Conventum suum, habebunt solummodo locum suae Professionis.

Ordinaverunt, omnes Magistros in Theologia, qui hactenus laurea fuerunt decorati, et legitime assumpti ad eam dignitatem, habere locum, et vocem in Comitiis Provincialibus activam et passivam, nisi merito aliunde priventur.

R. M. n. Prov.ales in suis visitationibus tantum unum socium accipient, et illum eligent ad nutum suum, et arbitratum, modo non sit vir infamis; et si acciderint plura negotia et magni ponderis in Conventibus solemnioribus pertractanda, in illo Conventu,

ubi opus fuerit, alterum socium poterit accipere, modo non sit Prior, vel unus ex Ministris.

Dum in Provinciis cognoverint Fratres nostri defectu Provincialium mores, et regularem vitam labi, deiici, et eliminari, et adiverint quosvis Superiores saeculares, vel Ecclesiasticos, praetermisso et posthabito iudicio R.mi Patris Ordinis, vel saltem litteris communibus ei non significaverint mala et turpitudines ortas, vel quae possint oriri; puniantur poena praetaxata in capite de recurrentibus ad Saeculares, seu ad Principes.

(138-r.) *Quo ad Procuratores*

Ordinaverunt Procuratores Officium suum non exercere ultra biennium, nisi aliqua necessitas secus facere impulerit. In reliquis vero quae spectant ad huiusmodi officium, innovantur, et confirmantur omnia statuta R.morum Mag.rorum Gen. Joannis Soreti et Nicolai Audetii.

DE SERVANDIS IN STUDIORUM COETU

Confirmaverunt omnia determinata in Capitulo Generali praeterito, in capite de Institutionibus Studiorum: superaddiderunt tamen in posterum neminem ex Baccalaureis, nisi attigerit trigesimum annum, vel circa, non posse Doctoratus laurea insigniri, quantacumque fulserit doctrina.

Deleverunt praeterea determinatum tempus de Gradibus concedendis et condonandis; et deletur omnino illud quod de biennio in biennium ad ulteriores Gradus quis debeat promoveri; poterit enim esse, ut quis maneat in Lectoratu septem aut octo annos et alius absoluto cursu, statim ornetur Baccalaureatus Gradu praestantiori; non quidem tempore, non labore in evolvendis libris, sed doctrina et sapientia hic coronandus venit, et laureandus; et ideo si fiet iniuria diuturnitati, veritati et doctrinae honor exhibebitur.

Si evenerit, ut aliqui Studentes in Studio permanserint ad triennium, et fructus bonae spei non protulerint, statim sint privati, et nunc privantur taxa sui Conventus consueta; imo nunc esse privatos decernitur; et a R. Prov.libus exequendum praecipitur.

Studentes ita disponantur, ut a prandio disputent doctiores et solertiores; a coena vero disputabunt illi, qui erunt inferioris Classis; ut omnes sua diligentia ab eorum iuventute doctrinam excipiant.

Omnes Cursores, qui usque in hanc horam non studuerunt Theologiae, sint privati cursoratu suo; et sciant Cursores non esse graduatos; et inter se debent tenere gradum suae professionis. Imo si quis ex inferioribus Studentibus prius fuisset professus, in Choro, Refectorio, et Processionibus locum suae professionis obtinebit; quamquam in his quae pertinent ad studium Cursores debeant in cunctis illis praesidere.

Studentes non possint expelli a Conventibus, in quibus student, sine licentia R.mi Patris Ordinis, et nisi Pater R.mus aliter ordinaverit. Si vero irreligiose et inhoneste se gesserint, corrigantur a Prioribus Conventuum, ubi morantur, iuxta nostri Ordinis instituta.

Non promoveantur studentes ad studia, nisi optimam Grammatices habuerint notitiam; quorum promotiones pertinent ad Capitula Prov.alia, vel ad Conventus solemnes.

In omnibus Conventibus Primariis cuiuscumque Provinciae, in quibus existunt Religiosi bonae intelligentiae, et idonei, unus ex illis quotidie legat casus conscientiae, et omnes Fratres nostri illius Conventus non eruditi (138-v.) compellantur ire ad lectionem audiendam, ad quam si se non receperint, priventur usu confessionum audiendarum. Regentes utantur sua diligentia, et non desistant a lectionibus, et benigne Studentes instruant doctrinis; hortentur ad bonos mores, et ad Lectiones, atque litterarios congressus assidue compellant.

DE RESOLUTIONIBUS DIFFICULTATUM ATQUE AMBIGUITATUM QUAE PROPOSITAE FUERUNT IN HOC CAPITULO GENERALI

De Sacrosancti Concilii Decretis, praefinitum fuit, illa debere omnino servari, quorum executio demandata fuit R. Mag.ris Prov.alibus, et Reformatores constituti fuerunt in suis Provinciis.

De Vestiariis definitum fuit, non esse enumerandam pecuniam, sed Fratres accedant cum Procuratore, seu Expenditore,

et videant enumerare pecuniam pro rebus ad eos induendos emendis.

De Controversiis inter Conventum Bitontinum et Vincentinum, et Venetum, ob pecunias cuiusdam ven.lis Patris Francisci Bitontini, dictae Civitatis Conventus filii, qui manserat Venetiis decem annos, et Vincentiae obierat; fuit consultum dimidium pecuniae erogandum esse Conventui Bitontino; et alteram medietatem in aequales partes scindi; quarum unam Conventus Venetiarum acciperet, et alteram Conventus Vincentiae.

De controversiis inter R. M. Vincentium Spinolam Prov.alem Thusciae, et Joannem Baptistam Caphardum Senensem; nam conquerebatur R. M. Prov.alis, dictum M. Jo. Baptistam multis calumniis, et maledictis in eum invectum fuisse. At negavit et tandem dixit: nunquam aliquod crimen R. M. Vincentio Spinolae obiecisse; et si fortasse id fecerit, non verum dixisse asseverat et asseveravit.

Controvertunt inter se de quibusdam lectisterniis, seu de lectis Conventus Veronae, et Conventus Roboreti. Hanc difficultatem reliquerunt iudicio R. M. Prov.alis Venetiarum, et R. M. Bartholomaei Lantanae Prioris Conventus Veronae.

Teneatur Prior Conventus Roboreti, exposita et recepta in Libros Rationum referre, et humiliter ostendere R. Prov.ali, sub poenis in Statutis expressis.

Definitum fuit insuper Conventum Neapolitanum, a solutione cultrae, seu apparamenti serici, quam fuerunt furati nonnulli, liberum esse; et eam esse solvendam a sacristis illius temporis, spatio unius mensis, data cautione solvendi.

De Privilegiis, quod Mare Magnum dicitur, et de Bulla Sabbathina confirmandis, decreverunt R. Diffinitores petendam esse confirmationem; et dictam confirmationem expediendam esse; deinde omnia simul typis cudenda sumptibus Religionis pro utroque negotio.

De forma supplementi in celebratione Missarum, tam pro vivis, quam pro defunctis; cum ex Concilio facultas (139-r.) detur R.mo Patri Ordinis, decretum fuit, propter multitudinem Missarum, quibus fieri satis haud quaquam potest, ut singulo mense Fratres in quocumque Conventu duas Missas solemnes cantent, unam pro vivis, alteram pro defunctis; et singulis diebus com-

memorationem facere, et orare pro iis a quibus eleemosinas acceperunt, teneantur.

Si opus fuerit controvertere cum Fratribus Congregationis Mantuanae, consenserunt Diffinitores, litem illam non esse despiciendam ; sed prout fuerit opus, Religionis libertatem tueri expensis communibus.

De protestatione facta a quodam Procuratore, praesente Notario, iudicarunt R. Diffinitores non esse acceptandam: et omnibus consentientibus, scriptum fuit monitorium, et mandatum, fuitque missum R. Conventui Venetiarum, ut fratrem Nicolaum Storarium in carceres contruderent.

De uniformitate indumentorum, seu de coloris uniformitate apud universos Ordinis Religiosos, definierunt, suppliciter petendum a S.mo D.no N. ut omnes uniformiter vestiantur, et eam conformitatem teneantur, et cogantur accipere Fratres Congregationis Mantuanae: et ante Summi Pontificis concessionem, nemo ex nostris Italis, praeter Siculos, audeat habitum nigrum induere, sub poena privationis loci et vocis, dignitatis et gradus, et indumentorum ; et qui nigras confecerint vestes seu tunicas, non proferant, sub eisdem poenis.

De Conventu Vallisoletano, confirmaverunt patentes R. M. Ambrosii de Prioratu Conventus Vallisoleti hoc modo, ut modernus Prior compleat triennium suum: quo expleto, R. M. Ambrosius praefatus sit Prior dicti Conventus (1). Verumtamen si hoc primo triennio convictus fuerit in illis, quae illi obiiciuntur a Provincia Castellae, ipse non solum privetur illo Prioratu, sed corripiatur. Sed habet suspectos F.rem Petrum de Mora, F.rem Martinum de Santillana, F.rem Petrum, F.rem Alphonsum Fernandum, F.rem Antonium de Heredia, F.rem Petrum de Carmona; quos omnes recusat. At vult suorum criminum testes esse R. F.rem Alphonsum . . . nunc Vicarium Prov.alem, R. F.rem Johannem Dela . - . Priorem Vallisoletanum, R. F.rem Franciscum . . . Priorem Toletanum, R. F.rem Alphonsum . . . Priorem de Medina, R. P. Ferdinandum de Molina (2) Priorem Salmanticensem, qui

(1) Ambrosius de Castro. Quae sequuntur, non fuerunt publicata in Editione.

(2) Ferdinandus de Molina. Super his querelis habentur quaedam petitiones et attestationes in archiviis prope Simancas nimium tamen fragmentaria quam quod status rerum et natura querelarum plene intelligi possit.

eum semper cognoverunt. Cum igitur iste R. M. obligaverit se iustum subire iudicium, omnes Diffinitores in eam venerunt sententiam, ut Patentes R.mi Patris Generalis Nicolai Audectii non debeant infringi, sed in suo robore permanere. Et R.mus Pater Ordinis excogitavit, iudicavit, voluit et vult, cum visitabit provincias Hispaniarum, se recipere ad confines Galliae et Hispaniarum, ut sit in eius comitatu, et vult ipsum habere unum ex comitibus in sua visitatione.

Deliberarunt, inspecto Libro Religionis omni diligentia Provinciam Apuliae praecedere Provinciam Bethicae.

GRATIAE ET ABSOLUTIONES.

Absolverunt omnes qui fugam arripuerunt ex Civitate Florentiae Anno Domini 1562 et in praesentiarum morantur in Conventibus Religionis; et eis restituunt vocem et locum; et iis qui inter eos sunt studentes, concesserunt, ut possint eorum studia prosequi; sed qui deprehensi aut denunciati sunt apud Curiam Saecularem, nullo (139-v.) modo Florentiae Civitatem adeant, neque se recipiant ad Statum Ex.mi Ducis Florentiae.

Residuum poenitentiae perficiendum et solvendum a Fratre Carminio Filimarino (1) Neapolitano remiserunt et condonarunt; reddideruntque habilem ad prosequenda Litterarum studia. Liberarunt simul Licentiatum Paulum Florentinum (2); et ad pristinum statum reduxerunt, restituentes ipsum in integrum.

Cum Fr. Albertus de Moncalvo quam plura bona acquisiverit extra Ordinem, deinde Religionem denuo ingressus, bona sua incorporata, et applicata fuerint Conventui Rossignani, concessit Capitulum dicto Fratri Alberto sexagenario, et gravissima infirmitate laboranti, ut de fructibus dictorum bonorum possit partem congruentem accipere a dicto Conventu, et eadem uti. Conceditur item Conventui de Rossignano, ut dictorum bonorum tertiam partem donare possit quibusdam consanguineis dicti fratris Alberti Moncalvi: habito tamen prius verbo R. M. Prov.alis, et eius socii Erardi Remensis.

(1) Carminius Filomarinus. Post disputationem habitam in capitulo provinciali Lombardiae Cremonae praesentatur ad magisterium, 2 Mart. 1568.

(2) Paulus Florentinus. Supra 1548.

Receperunt in Provinciam Lombardiae Fratrem Joannem Baptistam de Guidicinis (1) Lucensem, dictum « Il Barbato »; qui maneat in Conventu aliquo, ubi sunt Fratres, qui possint bene iudicare illius semitas, an sint rectae, vel distortae: et hoc totum fuit concessum ad nutum Ill.mi et Rev.mi Cardinalis Alexandrini.

Confirmaverunt R. fratrem Joannem Veles, expleto praesenti triennio, ut agat Priorem in Conventu Jaenensi ad aliud triennium, ob structuram cuiusdam aedificii iam incepti absolvendam.

Confirmaverunt affiliationes omnium Fratrum, qui fuerunt recepti in Provincia Bethicae, et in ea manere, tanquam filios veros et legitimos definierunt. Volentes ut omnibus gratiis, immunitatibus et privilegiis potiantur, quibus gaudent et potiuntur reliqui filii nativi illius Provinciae; neque inde possint expelli, sed tantum sicut exegerint demerita, quae interdum committerent et admitterent.

Concesserunt R. Praesentato Joanni de Moura (2) et confirmaverunt ut sit filius perpetuus Conventus Hispalensis, et habeat vocem activam et passivam.

Concesserunt R. M. Melchiori (3) Lusitano Prioratum S. Luciae de Alchala per sexennium immediate sequens, si bene vixerit; quo tempore elapso, nisi R.mus Pater, ob eius merita, et vitam religiosam protraxerit, alius Prior dicti loci eligatur.

Conceditur R. Sanctimonialibus Sanctae Incarnationis Valenciae, ut in Aurora possint Matutinas celebrare.

Concesserunt M. Franciscum Bongium de Sciacca denuo ad Religionem posse reverti, et simul absolvi ab apostasia: et restitutio loci et vocis sit in pectore R.di Mag. Provincialis.

Fr. Nardus Caroza de Salem poterit iterum ad Gremium nostrum acceptari. Idem iudicaverunt posse fieri de Fratre Hiero-

---

(1) Joannes Baptista de Guidicinis. Supra 1548 de Monte Caralo.

(2) Joannes de Moura. De Mora.

(3) Melchior. Prior S. Luciae de Guadayra prov. Beticae accusatus per Aloisium de Roxas; testis in carcerem detrusus examinatus per Bartholomaeum Ragusium sibimet contradixit, et insuper inhabilis fuit ad testificandum utpote impubes et ab aliis subornatus, unde Melchiorem innocentem declaravimus, testem vero correximus. 25 Octobris 1565. 6 Jan. 1569 Melchiori defuncto succedit in praedicto prioratu Didacus a Regibus.

nymo Alenchate. Idem conceditur Fratri Valerio de Raxhalbuto.

Pr. Horatius David iam initiatus Ordine Presbiteratus remittitur ad iudicium R. M. Prov.alis Terrae Laboris: quem si invenerit debitam aetatem attigisse, quam manu Tabellionis proferendam curavit, veram esse (140-r.), concedat, ut possit Missam celebrare.

Absolverunt F.rem Thomam Perfectum et F.rem Caesarem Stantionis ab exilio Conventus Neapolitani.

Fr. Joannes Baptista Surianus (1) Cursor, cum obedientiam ei iniunctam absolverit et persolverit; et postea, ut a viris fide dignis accepimus, in praedicationibus et disputationibus bene se gesserit, restituerunt ad pristinum, et redintegrarunt.

Cum Fr. Chrysostomus dimiserit habitum, et denuo illum acceperit, restituunt ei locum, et vocem activam et passivam.

F.rem Baptistam Mirandam (2) Neapolitanum redintegrarunt, ut habeat locum et vocem tam activam quam passivam.

F.rem Ascanium Maiellam absolverunt a carcere, et restituerunt ei locum et vocem, dummodo solvat Conventui expensas factas pro infirmitate F.ris Alexandri Palmerii.

Concesserunt, ut F.r Hieronymus Nuntius a triremibus absolutus possit recipi in Religionem, extra Conventum tamen Neapolitanum.

Concesserunt Conventui Cremonensi, ut det et concedat Reverendo M.ro Gaspari Bernesio quaedam pro senectute sua sustinenda.

Restituerunt et habilem reddiderunt ad studium Fratrem

---

(1) Joannes Baptista Surianus. Lector biblicus Neapoli constituitur baccalaureus formatus, sed promotio ad doctoratum differtur usque ad Pentecosten anni futuri. (Circa mensem Augusti 1565). Mensibus Oct. et Nov. 1567 cum Rubeus Papiae degeret praesentatus Jo. Baptista Surianus praecipuus fuit inter disputatores theologos. Postea per duos annos praedicator in conventu Transpontino, et cum Rubeus ad capitulum generale Parisiis proficisceretur Surianum constituit procuratorem generalem. 13 April. 1572.

(2) Baptista Miranda. « Se recipiat in conventum Neapolis ubi in refectorio genuflexus iuret se non scripsisse libellum diffamatorium, sed ob fugam et contumaciam veniam petat; deinde per quinque annos exulatur in prov. Neapolis vel in Messina. Omnes alias poenas remittimus cap. generali. » 15 Sept. 1573. De quo in cap. sequenti.

Ludovicum de Panhormo, et liberaverunt illum a poenis et censuris quas subierat.

Concesserunt M. Angelo ab abbatia S. Salvatoris, ut maneat per annum inter Monachos illos ad legendum Artes, sub obedientia Prioris Generalis.

Concesserunt F.ri Raphaeli de Fivizano, ut possit manere in oppido suo per annum, ut capiat locum in favorem Religionis; ubi tenetur vivere honeste.

Idem conceditur F.ri Anello Chamardellae (1) apud Vicum, sub eisdem conditionibus; sed si peracto anno Locum non acceperit, revertatur ad Ordinem.

Cum anno praeterito receptus fuerit in Ordinem R. Magister Franciscus Vita (2), et per annum in Conventu Neapolitano bene se gesserit, in iis quae pertinent ad Religionem, in pristinum reduxerunt, et ad ea quae sunt Ordinis nostri habilem reddiderunt.

QUOAD IUSTITIAM

Alias Fr. Modestus Splanus (3), Hilarius Palumbus Neapolitani et Leander Franconius (4) Liciensis viventes in Conventu Patavino, iniuria accusati fuerunt crimine Incendiariorum; compulsique fuerunt ut recederent ab eorum Studio; et ad R.mum Patrem Ordinis Nicolaum Audectium se reciperent; qui in carcerem eos protrudi mandavit; severissimeque eorum causa fuit pertractata; et iuris periti deputati huic controversiae operam navantes, definierunt et diffinitive iudicarunt, eos nequaquam incendiarios fuisse; et iniuste accusatos; et quamvis absoluti fuerint eorum sententia ab illo crimine, detinebantur tamen ne redirent Patavium. Imo aeque ac rei, infames, et (140-v.) violenter suspecti, ab Litterarum exercitationibus distrahebantur; et angustiis, incommodisque affecti; Demum ad Generalem Vicariatum,

---

(1) Anellus Chamardella. Sub 13 April. 1578 ordinatur pater honoris; 4 Sept. 1578 (ultima inter epistolas Rubei!) additur sibi gratia iubilaei eo quod auxerat et amelioraverat quaedam praedia Ponticelli et Fragolae aliaque beneficia conventui Neapolitano contulerat,

(2) Franciscus Vita. De quo praecedenti et subsequentibus capp.

(3) Modestus Splanus. Supra 1548 Sarno, Planus.

(4) Leander Franconius. Supra Liciensis.

assumpto R. M.ro Joanne Baptista Rubeo Ravennate; qui, ut visum est, nunc Dei gratia, universaeque Religionis pleno consensu, Gravissimus et R.mus est Ordinis nostri Pater; ille eos penitus liberavit; et insontes, ac penitus innocentes declaravit; inque Patavinum Studium remisit. Iussit etiam patentes conscribi, ad propellendam omnem eorum iniuriam. Praecipiebatur item ut persolverentur eorum expensae, damna et iacturae, quas inique perpessi fuerant; et demum coegit R. M. Angelum Ambrosianum, Andream Gribellatum, et Stephanum Storiarium ad solvendum summam 30 scutorum auri in auro; quoniam ordine iudiciario non servato, miserunt eos in Urbem ad R.mum Patrem. Dictam pecuniam Fratres praedicti receperunt, Gradibus Religionis fuerunt honestati: et ut eorum innocentiae patrocinaremur, denuo a R. Patribus Diffinitoribus omnia haec iuste facta fuisse comprobatum fuit; et huius criminis Incendiariorum omnino expertes fuisse, atque tamquam innocentes, in societate regulari eos complexi fuerunt.

R. M. Simon Altilius habitu suo inique privatus, a R.mo Vicario Generali M.ro Joanne Baptista Rubeo, nunc meritissimo, et Gravissimo nostri Ordinis Patre receptus, et suo indutus habitu fuit absolutus ab excommunicatione, et Decreto S.mae Inquisitionis, ab insimulationibus quibusdam liberatus, canonica purgatione praemissa. Nunc in pristinum R. Diffinitorium illum reduxit, et quatenus opus est, absolvit, ab omni iniuria liberat, et tamquam virum ac Religiosum probum suscipit. Decernens omnia quae fuerunt illi arrepta, et quibus fuit expoliatus a Conventu Neapolitano restitui debere.

CONDEMNATIONES

Quia Fr. Nicolaus Storiarius Patavus, olim Procurator Conventus Venetiarum, citatus ad Capitulum Generale non comparuit; et contra Statuta Ordinis; Imo contra legem Ill.rum et Sapientissimorum Dominorum a Consiliis rogatorum in Senatu Veneto, ad multos annos redditus Conventus Venetiarum oppigneravit, vendidit, alienavit, et Conventum Venetiarum ad infelicem et miserrimum statum redegit; neque temporibus debitis expensas et redditus in Libros Rationum Conventus non retulit; et contra antiquas Leges Instituti Carmelitici a correctione re-

gulari appellavit, ob eiusque vitam nefariam quam diu contraxit, maximo Religionis scandalo et dedecore : Privaverunt ipsum omnibus bonis quae possidet, et quae in futurum possessurus esset; et dicta bona Conventui Venetiarum applicanda esse decreverunt, donec in integrum perceperit omnia, quibus fuit expoliatus et expilatus ; et etiam omnibus damnis, et sicut loquuntur, interesse satisfactum fuerit: volueruntque R. Diffinitores ipsum privari Provincia Venetiarum et exulare, sive in exilium mitti per decem annos et se transferre ad Provinciam Terrae Laboris, in Conventu Aversae ; in quo maneat privatus loco, voce et Paternitatis Gradu ; illumque Conventum habeat pro carcere. Qui, si mandato R. Diffinitorii non obedierit, capiatur et destinetur ad triremes per quinque annos, et intimetur ei hoc mandatum a R. Pro.ali Provinciae Venetiarum : vel si non poterit (141-r.) ei commode intimari, publicetur in Conventu Venetiarum, congregato coetu dicti Conventus ; et omnia signentur manu Notarii publici, testibus adhibitis. Postquam vero intimatum fuerit, tribus diebus elapsis, recedat a Provincia Venetiarum. Alias etc. *(sic.)*

Privaverunt F.rem Petrum a Monte Siculum Gradu Lectoratus, et Studiis Italiae ; privassentque perpetuo habilitate studendi ; sed ob rationem habendam magnae et honorandae Provinciae Siciliae, remiserunt ipsum ad Studium Catinense, ut illic bonis moribus intendens et tranquillitati Studia prosequatur, et expleat ; expectaturus Superioris Ordinis benignitatem.

F.rem Angelum Vincentinum condemnarunt ad carceres per tres annos in Conventu Florentiae ; qui illius Monasterii septa non egredietur, nisi ad Processiones faciendas, vel ad mortuos sepeliendos, et inhabilis sit per decem annos ad Gradus dari solitos iis quis Litteras optime profitentur. Ne tamen illius ingenium defraudetur, voluerunt R. P. Diffinitores posse sub Regente illius Conventus Litteris vacare.

F.rem Alexandrum Romanum tanquam inhabilem absolverunt a numero Studentium et propter scandalum Paduae commissum, privarunt eum perpetuo Pro.a Venetiarum, et per tres annos habebit Conventum unum a R.mo Patre Ordinis designandum loco carceris.

Committitur R. M. Pro.ali Lombardiae, si in sua Pro.a invenerit F.rem Matthaeum Fleccia, in carcerem detrudat ; neque inde exeat, donec reddiderit triginta scuta plus aut minus, quae debet

cuidam nobili Romano; et semper privatus sit Provincia Romana, et ab Alma Urbe, sub poena triremium ad duos annos.

Privaverunt a celebratione Missae F.rem Cyrillum a Monte Lodrono : et si Missam celebraverit, carceri mancipetur per tres menses ; a quo liberatus si denuo Sacrum illud sacrificium pertractaverit, ad triremes adigatur per tres annos.

Intimatur universo Ordini Carmelitico Decretum SS.mae Universalis Inquisitionis Romanae circa confessiones audiendas; quod inviolabiliter servandum praecipitur. Et si Prov.ales, vel Priores permiserint aliquem illi Sanctissimo Decreto contraire, statim priventur Gradibus et Officiis suis, atque pro fautoribus Haereticorum habeantur. Praecipitur itaque nomine Ill.morum et R.morum Dom.rum Card.ium Sanctae Inquisitionis universalis Romanae, ut nullus qui abiuraverit et alias haereticus fuerit, possit audire confessiones, tam saecularium, quam Regularium, quamvis obtinuerit gratiam pro confessionibus audiendis, et in futurum poterit obtinere. Verumtamen qui habent gratiam, ut possint audire crimina Fratrum nostri Ordinis (141-v.), illa de benignitate dictorum Ill.morum Dominorum uti poterunt, et illam exequi. Hoc idem observandum praecipitur Fratribus Congregationis Albiensis et Mantuanae et qui oppositum facere tentaverint, tamquam inobedientes puniantur, et Sacratissimo Inquisitionis Officio statim denuncientur; et qui sciverint hoc praeceptum eos transgressos fuisse et dicto Officio non revelaverint, eamdem poenam incurrant et subeant.

Capitulum Generale proxime futurum celebrandum censent, et constituunt in Civitate Mediolanensi, ab hinc ad sexennium, nisi R.mus Pater Ordinis aliter disposuerit quo ad locum et quo ad tempus.

Recordentur omnes R. Prov.ales hortari omnes fratres suos, preces ad Deum effundere creberrimas pro Summo Pontifice, pro Regibus, Principibus et pro iis qui sunt in sublimitate constituti, ut Deus illis adsit, eos sospitet, et diu conservet incolumes. Rogabunt item pro Christianorum concordia, pro pace Ecclesiae, utque praevaricatores redeant ad cor, ut tandem laeti simul in Ecclesia cum Christo vivamus.

Non obliviscentur precari Deum Omnipotentem, Beatamque Dei Genitricem semperque Virginem Mariam de Monte Carmelo pro amplitudine huius antiquissimi, Sanctissimi, observantissimi

Carmelitici Instituti, ut sub hoc titulo viventes, frugiferi, et omnium bonorum feraces, et diligentissimi coloni simus, depulsa omni segnitie et ignavia; et tandem omni ex parte propagetur et illustretur bonorum morum, exemplorum, et regularis vitae copia referciatur.

Nunquam Religio Carmelitarum, ingratitudinis morbo laboravit, neque (ut speramus) laborabit; quare omnes persuasos iri cupimus, ut pro Benefactoribus, Familiaribus, Litteras Confraternitatis habentibus, nobis familiaritate et affinitate junctis, tam pro vivis quam pro defunctis, piissimas preces ad Deum porrigant, dirigant, et ante conspectum eius proferri, et acceptari contrito spiritu et humiliato contendant.

Prae ceteris studeant omnes Sacrosanctae Sedi Apostolicae addictissimos esse, Catholicos Religiosos amplexentur et promoveant; in Haereticos vero saeviant, grassentur, sint acerbi, nedum morosi, atque severi; et si fieri poterit, resipiscere faciant qui apostatarunt a Fide, aversos reducant, conversos adhibitis adhibendis non despiciant; et Filios Catholicos magis atque magis in deditionem et obsequium Sanctae Romanae Ecclesiae firment, et constabiliant; praedicantes catholice Evangelium omni creaturae. In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Prorogatur auctoritas Diffinitorum ad octo dies.

Ego Mag. Nicolaus Robustus Prov.alis Terrae Sanctae primus Diffinitor interfui et confirmavi omnia suprascripta. (142-r.) Ego Mag. Egidius Scrineus Prov.alis Prov.ae Siciliae 2^{ns} Diff. interfui et confirmavi omnia suprascripta. Ego M. Adrianus Tonnelier Prov.alis Prov.ae Franciae 4us Diff. interfui et confirmavi omnia suprascripta. Ego M. Joannes Andreas Colonna Provincialis Romanae Provinciae, Tertius Dffinitor interfui et confirmo omnia suprascripta. Ego Fr. Joannes Stephanus Facinus Cremonensis Prov.alis indignus Lombardiae et 5us Diff. interfui et propria manu subscripsi. Ego Fr. Michael Carrança Mag. in Theol. et Prov.alis Aragoniae ac 6us Diff. praesentibus interfui, omniaque confirmavi manu mea. Ego Fr. Franciscus Rostagnus Prov.alis Prov.ae 7us Diff. interfui praesentibus et omnia confirmavi, et subsignavi manu propria. Ego Fr. Vincentius Spinola de Neapoli, Prov.alis Thusciae 8us Diff. interfui et confirmo superius scripta. Ego Fr. Joannes Jacobus Cherecatus Prov.alis Pro.ae Venetiarum 9us Diff. interfui et confirmavi omnia suprascripta. Ego Fr. Anto-

nius Vayssieranus interfui et probavi, Prov.alis Tholosae et Diff. Ego Fr. Angelus de Salazar Mag. Prov.alis Castellae praesentibus interfui omniaque manu mea confirmavi. Ego Fr. Albertus de Comparato Prov.alis Prov.ae Neapolis Diff. praesens fui et confirmo quae supra. Ego Fr. Bartholomaeus Tonsus (1) a Massa Prov.alis Romandiolae Diffinitor confirmo ut supra. Ego Fr. Antonius Marinarius Prov.alis Apuliae Diff. interfui et approbo. Ego Fr. Gaspar Nieto Prov.alis Bethiçae Diff. interfui et confirmo. Ego F. Dominicus Laurentius Theologus et Socius et Diff. Provinciae Franciae, his actis interfui et approbo. Ego Fr. Joannes Montanerius Socius et Diffinitor (2) me subscribo, et confirmo me interfuisse Capitulo, et ob Reverentiam Reverendorum Provincialium inferius non praeiudicando locum nostrae Provinciae Cathaloniae, quae habet locum decimum septimum. *(In Editione pauci alii subscripserunt).*

(142-**v**.) In nomine Domini nostri Jesu Christi, et ad honorem Beatissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae Carmelitarum singularis Patronae ac Dominae de Monte Carmelo. Amen.

Acta Comitiorum Generalium universi Ordinis Carmelitici habitorum in praeclarissima ac munificentissima Civitate Placentiae. In die Sancto Pentecostes, quae fuit vigesima secunda Maii anni S.mi Jubilaei 1575 (3), in qua cantatur Evangelium: Si quis diligit me etc. per R.mum P. ac M. Generalem totius familiae eiusdem Ordinis Joannem Baptistam Rubeum; ad normam antiquae Reformationis, atque Decretorum Sacro-Sancti Concilii Tridentini.

---

(1) Videtur fuisse scriba actorum.

(2) *In Ed. praemittitur:* Quia R. M. Provincialis Cathaloniae ob infirmitatem Florentiae remansit.

(3) Secundum decisionem capituli praecedentis aliud celebrari debuit sexennio elapso, i. e. a. 1570. At 1. Septembris 1569 Rubeus epistolam excusatoriam publicavit qua declarat septem extare provincias, scil. Narbonae, Franciae, Aquitaniae, Provinciae, Tolosae, Vasconiae et Turoniae ab haereticis monasteriorum eversione, regularium nostrorum caede, strage et flagellis, in dies vigentibus bellorum tumultibus et periculis quasi ad nihilum redactas. Quantum etiam dispendii et bellorum incommoda patiatur ac sustineat provincia Alemanniae inferioris ob haereticorum insidias et impetus non opus

Die Sabbathi, quae fuit vigesima prima Maii anni praedicti, R.mus Pater Ordinis, omnes item R.di Mag.ri Prov.ales, Vicarius item Congregationis Mantuanae, et eorum Socii, cum reliquis Magistris, Patribus, et Fratribus, Cappis albis induti, summo mane in Ecclesiam convenerunt, ut assisterent Sacro sub invocatione Spiritus Sancti Mysterio, quo tandem peracto, sermone etiam latine ac diserte facto a Ven.li Lectore P. Pontio Scalma (1) Provinciae Lombardiae, ventum est ad commemorationem Defunctorum, ad normam Constitutionum nostri Ordinis. His peractis R.mus Pater coepit sub nota canere Hymnum *Veni Creator Spiritus;* quem alii canendo persequentes venerunt in deambulatorium superius: et Hymno finito, nec non Orationibus consuetis a R.mo Patre Ordinis recitatis, se receperunt omnes R.di Mag.ri Prov.ales, et eorum Socii in Aulam Hospitii Generalatus; ut quae

---

esse litteris significare. In regno Granatae provinciae Beticae Maurorum adesse invasiones. Quatuor Hispaniarum provincias ab auctoritate Generalis descitas esse (cf. infra ad fol. 150 v.). Hic accedit ut significemus hoc praerogativo (scil. prorogandi capitulum) usum fuisse R. P. nostrum Nicolaum Audectium cuius anima Deo fruatur. Prima enim comitia anno 1524 Venetiis habuit, deinde 1532 Paduae, tertio 1539 Vicentiae et quarto Venetiis 1548. Postea vixit annos quatuordecim, menses sex et dies septem numquam convocatis patribus Ordinis. — Revocatis a Sede Apostolica sub die 31 Jan. 1570 litteris, quibus provinciae hispanicae a visitatione generalis etc. absolutae fuerunt, sopitisque plus minus bellorum tumultibus Rubeus 31 Oct. 1571 capitulum generale in festo Pentecostis sequenti anno Parisiis celebrandum indixit, simul promittens se personaliter provincias Franciae visitaturum et conventum Parisiensem ad pristinum statum reducturum. Et revera Neapoli ubi tunc residentiam habuit itineri Parisiensi se accinxit, at vix Vercellas appulsus 6 Maii 1572 nuntium accepit de obitu Summi Pontificis (S. Pii V qui 1. Maii a. c. ad superos evolaverat), unde iterum capitulum prorogavit non sine magna dissatisfactione complurium capitularium qui vel iam Parisiis confluxerant vel in itinere versabantur. Tandem 6 Sept. 1574 capitulum Placentinum litteris datis ad provincias et congregationes indixit, addendo « ut patres nostri iubilaeum consequi valeant, inde (Placentia) Romam commigrare poterunt ».

(1) Pontius Scalma. Conventus Mediolanensis, professus de Rusignano, promotus ad studium Papiense 30 Oct. 1567, pluries Papiae coram Generali disputaverat et peroraverat.

universae Religionis nostrae statum concernunt, et eius utilitati conducunt, tractarent, ordinarent, et determinarent. Quo in loco consistentes, R.mus Pater coepit alloqui, et hortari totum Gremium ad benevolentiam, charitatem, sincerumque amorem retinendum; et ut omnia negotia amice, pacifice, vere, ac legitime proponerent, discuterent, et diffinirent. His tandem absolutis, ipse Pater R.mus toti Gremio benedixit auctoritate Apostolica: deinde culpam suam coram universo Gremio dicturus, primo obtulit et resignavit ipsi Gremio Sigilla, scilicet sui Generalatus officii, Comitiorum Generalium universi Ordinis, et Sigillum parvum Communitatis, cum Libro Religionis clauso, et sigillo obsignato, cum privilegio officii. Quo facto in genua procumbens, sed statim rogatus obnixe ab omnibus ut surgeret, culpam suam dixit; nec aliquis fuit, qui illi etiam in minimo quidquam obiecerit; at magis omnes summis eum laudibus affecerunt; regimen et administrationem sibi creditam laudarunt, atque ut in ea functione perseveraret ac persisteret, suppliciter et ex animo obsecrarunt. His non obstantibus rursum idem Magr. Generalis, non citra lachrimas precibus ut resignatum Generalatus officium acceptarent, illudque alio Religioso praestanti crederent, supplex obsecrabat; esto quod minime ob aliquem ex quatuor casibus in Constitutionibus expressis absolvendus esset. Denique Patribus et Magistris illis recusantibus, et saepe, ac saepius deprecantibus ne hunc Sacrum Ordinem derelinqueret, illorum votis acquievit; et ab illismet erectus, in Sedem primam collocarunt; atque processerunt ad agenda, dirigendaque spectantia ad regimen universi Instituti Carmelitici. Primo lectae fuerunt et examinatae Litterae Provinciarum, et Congregationis Mantuanae pro Sociis, ac Diffinitoribus electis. Item fuerunt auditae culpae R.dorum Mag.rorum Prov.alium.

(143-r.) *Diffinitores praesentes fuerunt.*

Primus Diffinitor R. M. n. Laurentius Lauretus Provincialis Provinciae Romanae. 2. R. M. n. Joannes Mayerius Provincialis Prov.ae Alemaniae Inferioris. 3. R. M. n. Erardus Remensis Provincialis Lombardiae. 4. R. M. n. Jovita Gorzonius (1) nomine

(1) Jovita Gorzonius. Doctor Bononiensis 25 Junii 1566. Fuit bis vicarius Congreg. Mantuanae, scil. annis 1567-69 et 1573-75.

Congregationis Mantuanae. 5. R. M. n. Joannes Reonardus (1) Prov.alis Prov.ae Provinciae. 6. R. M. n. Joannes Baptista Cafardus Prov.alis Tusciae. 7. R. M. n. Felicius Zuccolius (2) Provincialis Venetiarum. 8. R. M. n. Angelus Emilianus (3) Provincialis Neapolis 9. R. M. n. Thomas Zanottus (4) Prov.alis Romandiolae. 10. R. M. n. Franciscus Vita Prov.alis Apuliae. 11. R. Magister n. Augustinus Suarez (5) Prov.alis Prov. Bethicae; qui sub finem Comitiorum ad ipsa Comitia appulit. 12. R. M. n. Pompeius Ragusius Socius R. M. Prov.alis Siciliae. 13. R. M. n. Antonius Puyol (6) Socius R. M. n. Prov.alis Prov. Cataloniae. 14. Reve-

---

(1) Joannes Reonardus. Sic fere semper scribitur, attamen in fine istius capituli ipsemet signat Lenohardus, quae proinde vera nominis forma fuisse videtur. Mortuo Claudio Bernardo provinciali Provinciae cum ob turbines politicos capitulum celebrari nequiverit a Generali suasu provincialis Narbonae institutus fuit usque ad capitulum generale eo quòd prior Avenionensis qui de iure provinciam gubernare debuisset inhabilis esset utpote laureae doctoralis expers (16 Maii 1574).

(2) Felicius Zucolius. Patavinus, 23 Sept. 1564 licentiam accepit ut postquam ab ordinario examinatus fuerit praedicationis munus Veronae subeat. 10 Jan. 1568 lanrea doctoratus insignitur dum priorem Patavinum ageret. 15 April. 1575 iam fuit provincialis Venetiarum.

(3) Angelus Emilianus. 1568 vicarius Calabriae, sequenti anno visitator et reformator ibidem, sed cum levia quaedam sibi obiicerentur investigatio instituitur 2 Jan. 1570 praesertim cur patentibus Generalis non obedierit. 25 Junii 1574 electus provincialis Terrae Laboris cum obligatione residendi in conventu Neapolitano.

(4) Thomas Zanottus. In capitulo Lugensi 1 Maii 1568 inter candidatos pro provincialatu Romandiolae quinque tantum voces habuit. 1569 fuit prior S. Martini de Urbe.

(5) Augustinus Suarez. A. 1567 praesentatus et inter candidatos pro officio socii provincialis tunc existentis (Joannis de la Quadra) relatus; 1569 recensetur inter defensores libertatum Ordinis a Rubeo institutos. Electus fuit provincialis mense Septembri 1572, a Generali confirmatus 24 Febr. anni sequentis; terminus officii prolongatus usque 18 Oct. 1576; postea fuit prior Ossunae. In litteris S. Theresiae pluries de eo sermo est.

(6) Antonius Puyol. E defensoribus Ordinis a Rubeo institutis. In capitulo Perpinianensi prov. Cataloniae 24 Maii 1576 fuit secundus diff.

rendus Praesentatus Petrus Brandonius (1) Socius Lusitaniae; qui in fine Comitiorum comparuit. 15. R. M. n. Angelus Ambrosianus (2) Socius R.mi Patris. 16. R. M. n. Hieronymus Tostatus (3) Socius R.mi Patris. 17. R. Pater benemeritus Valerius Montonius (4) Prior Sanctae Mariae Transpontinae.

Considente horum Reverendorum Patrum Primariorum, seu Diffinitorum consilio in Aula Hospitii R.mi Patris, perlectae fuerunt Litterae Apostolicae a S.mo D.no Nostro Gregorio XIII benigne ac humaniter Ordini nostro concessae pro liberandis Hispaniarum Provinciis a visitatione extraneorum (5). Perlectum etiam fuit Diploma eiusdem S.mi D.ni Nostri Gregorii XIII destinatum ad universum Gremium Comitiorum, pro observanda, amplifi-

---

(1) Petrus Brandonis. Praesenti capitulo absoluto a Generali licentiam obtinuit accipiendi unum vel duo loca nomine provinciae Lusitaniae, necnon utendi camisiis et linteaminibus e lino (5 Julii 1575).

(2) Angelus Ambrosianus. Supra 1539. Fuerat socius Nicolai Audeti, et 17 Febr. 1568 assumitur in socium Rubei cum quibusdam privilegiis et oneribus.

(3) Hieronymus Tostatus. Tempore visitationis provinciae Cataloniae per Rubeum fuerat prior Barcinonensis eo successu ut Generalis eum nominaret reformatorem generalem Cataloniae ad reformandum provinciam iuxta Concilium Tridentinum et constitutiones Ordinis (28 Aug. 1567), prohibens ne provincialis (Joannes Montanarius) conatus suos impediret. Fuit etiam inter defensores libertatum Ordinis, 1569. Remansit in prioratu usque mensem Aug. 1570 et magnam cisternam construxit. A 1572 usque 75 fuit socius Rubei cum in visitatione Italiae superioris tum Romae; 15 Jan. 74 insuper nominatur visitator et reformator conventus Neapolitani, difficillimi omnium totius Ordinis; 9 Sept. 75 fit visitator generalis Lombardiae utriusque distinctionis; 24 Maii 76 eligitur provincialis Cataloniae, confirmatus 8 Sept. a. c. A Rubeo executor decretorum praesentis capituli contra Discalceatos constitutus ab his timore habitus, sed quamdiu Nuntius eos protegebat parum aut nihilum effecit. Saepius de eo in litteris S. Theresiae sermo est. Obiit tandem in Italia circa a. 1582.

(4) Valerius Montonius. Supra 1564 Valerius Venetus.

(5) Litterae apostolicae a SS. D. N. Gregorio XIII pro liberandis Hispaniarum provinciis a visitatione extraneorum. Sunt litterae 3 Aug. 1574 quibus facultates olim Petro Fernandez y Orellana et Francisco de Vargas concessae revocantur, quarum tamen publica-

candaque Regulari observantia, et introducenda, ubi non sit, manentibus omnibus erectis, et in reverentiam Litterarum Apostolicarum capitibus detectis. Post haec R.mus Pater elegit sibi in Socios R. M. nostros Angelum Ambrosianum, et Hieronymum Tostatum; qui Diffinitorio Generali, et in mensa locum haberent post Provinciales; in aliis vero peragendis superiorem locum obtinerent, iuxta antiquam Ordinis consuetudinem. Denique ut omnia recte et ordinate didicerentur, R. M. Diffinitores instituerunt Praesidentem pro Comitiis R.dum M.rum n.rum Joannem Jacobum Clericatum (1), cui omnes post Diffinitorium obedirent, sub poenis eis bene visis. Oeconomum instituerunt R.dum Patrem honoris Clementem Galassum Priorem Conventus Cremonae. (143-v.) Dominica, quae fuit dies Festus Penthecostes, de mane R.mus Pater Ordinis, omnes item R. M. Provinciales, et eorum Socii, cum aliis Magistris, Patribus, et Fratribus induti cappis albis, ordinate, et ut loquuntur, processionaliter iverunt per Civitatem Placentiae, Litanias musico modulatu canentes; ii qui Choro et Musicae praeerant, et tandem per Ecclesiam Cathedralem transeuntes, in nostram reversi, Sacrum maius persolverunt.

Eo die, R. Patribus in Loco Diffinitorii consistentibus, lectum fuit Diploma S.mi D.ni N.ri pro promovendis quindecim Regularibus ad Lauream Doctoratus a R.mo Patre Generali. In cuius Diplomatis executionem fuerunt in Promotos electi, et instituti R.di Magistri nostri Laurentius Lauretus Pro.alis Pro.ae Romanae. Joannes Mayerius Pro.alis Alemaniae inferioris. Hieronymus Tostatus Socius R.mi Patris Ordinis. Joannes Jacobus Clericatus Praesidens et Director in Comitiis Generalibus. ItemDisputationum Accessores seu Assistentes pro quaestionibus, si opus fuisset, extricandis et definiendis, R.di Magistri n.ri Joannes Mayerius et Hieronymus Tostatus. Ordinaverunt insuper Auditores Causarum Civilium

tionem Rubeus usque in praesens tempus distulerat, Nuntio interim auctoritate legatina qua fungebatur eosdem Petrum et Franciscum (cum P. Hieronymo Gratiano in solidum) reformatores Carmelitarum respective Castiliae et Beticae constituente, 22 Sept. 1574, praedicta auctoritate secundum decretum Summi Pontificis 27 Dec. a. c. non obstante revocatione Brevis apostolici integra manente.

(1) Jacobus Clericatus. Supra 1548 Joannes Jacobus Chericato Vicentinus.

R. M. n.ros. Antonium Vidal Pro.ae Cataloniae Pro.alem, Petrum Lupum (1) pro visitanda Provincia Alemaniae Superioris Commissarium Generalem, Laurentium Parrizola, Thimoteum Berardum Genuensem Socium Pro.ae Lombardiae, Jacobum Dondanum (2) Priorem Roboreti, Leandrum Franconium (3) Socium R. M. Pro.alis Apuliae. Subinde pronuntiarunt Auditores causarum criminalium R. M. n.ros Joannem Jacobum Clericatum Praesidentem in Comitiis Generalibus, Hernandum Ricardum Socium Pro.alis Pro.ae Narbonae, Caesarem Basadonium (4) Socium R. M. Pro.alis Venetiarum. Genesium Rosanum (5) Socium R. M. Pro.alis Lombardiae, Vincentium Relencinum (6) Socium R. M.

---

(1) Petrus Lupus. Germanice Wolf. S. theol. doctor, pius, studiosus, eloquens concionator, erat prior Mechlinensis per duo de viginti annos, resignante Joanne Carthemio nominatus fuit primo visitator Alemanniae 16 Julii 1573, et iterum una cum Philippo Ertricio priore Thenensi, 12 Sept. a. c., quibus instructiones minutae mandatae sunt 3 Oct. et adhuc ampliores 28 Dec. A Rubeo nominatim ad capitulum vocatus fuit 6 Sept. 74. Capitulo absoluto ordinatur vicarius generalis Mechliniae postquam pro reformatione Brabantiae sudaverit: provincia teneatur sibi in 70 scuta pro viatico itineris ad capitulum satisfacere (12 Junii 1575). Nominatur insuper visitator Alemanniae superioris una cum Joh. Mayerio, 13 Junii a. c. Ultimo provincialis electus est. Anno 1579 persuasit Mechlinensibus ut regi Hispaniarum portas civitatis aperirent, sed anno insequenti haeretici eam expugnant, qua occasione Petrus Lupus in foro occisus est, 9 April. 1580. Subprior Gerardus Haupt in sua cella interficitur, conventus cum ecclesia funditus evertuntur.

(2) Jacobus Dondanus. Legendum Dardanus. Provinciae Venetiarum, ad lectoratum promotus 30 Junii 1565, ad baccalaureatum vero 27 Dec. 1567.

(3) Leander Franconius. Supra 1564 Leander Franciscus Liciensis.

(4) Caesar Basadonius. Venetus. In capitulo Lugensi prov. Romandiolae disputationes sustinuit et praedicavit, mittitur Papiam ad studium, ob bonos mores et laudabilem conversationem restituitur in integrum (ob quandam causam poenitentiatus fuerat) et habilis declaratur ad omnes gradus. 4 Maji 1568.

(5) Genesius Rosanus. Supra 1548 Genesius Cremonensis, et 1564 in notitia ad Pomponium de Mazaria.

(6) Vincentius Relencius. Ad lectoratum promotus 27 Dec. 1567, eius tamen patentes Generalis retinuit. Nominatur ibi Relentinus.

Pro.alis Romandiolae Marchiaeque Anconitanae, R. P. honoris Anselmum Pallazolium (1) Vicarium Conventus Placentiae.

Pro praedicationibus habendis deputati fuerunt infrascripti R. M. Theologi. Et primo antequam incoepta fuissent Comitia, conciones habuerunt ad populum R. M. Angelus Ambrosianus, Laurentius Lauretus Pro.alis Romanus, Christoforus Silvestranus (2) Regens Venetiarum, Caesar Basadonius Regens Veronae, R. M. Paulus Rondinus (3); qui ter concionatus est in Ecclesia nostra; et hunc R. M. Magnifica Placentiae Civitas communi consilio elegerunt in Praedicatorem pro sequenti Quadragesima; et ad id consequendum, se dederunt supplices Priori ac M. Generali Ordinis praecipui Nobiles; quorum votis annuit libentissime.

(144-r.) Inceptis Comitiis Praedicatores fuerunt in die Pentecostes.

In Ecclesia nostra R. M. n.r Bartholomeus Capallus. Die Lunae in Ecclesia nostra R. M. n.r Carminius Filimarinus (4). Die Martis in Ecclesia nostra R. M. n.r Nicolaus Aurificus. In Ecclesia Cathedrali R. M. n.r Christoforus Silvestranus. In Ecclesia Sancti Antonini R. M. n.r Emanuel Trugius. Die Mercurii in Ecclesia nostra R. M. n.r Cirillus Ricerutus (5). Die Iovis R. M. n.r Franciscus de Aloysio (6). Die Veneris in Ecclesia

(1) Anselmus Pallazolius. Nominatus pater honoris 13 Nov. 1567. « Anselm. de Palazzolo, conv. Placentiae, pluries prior Januae, Novarrae etc. pro hoc capitulo omnia praeparavit lectisternia, mensas, scamna, linteamina, mappas, manutergia, peristromata seu aulaea tum pro ecclesia tum pro conventu, sedes, vasa universamque suppellectilem copiose ut omnes regulares comitiorum laute et commode accumberent et quiescerent; propterea affiliatur conventui Placentiae ». 12 Junii 1575.

(2) Christophorus Silvestranus. Alias Silvestrinus, Veronensis. 1 Nov. 1567 ad gradum praesentaturae promotus. *Cf. Bibl. Carm.*

(3) Paulus Rondinus. A. 1568 inter candidatos pro provincialatu Tusciae, 69 prior Prati, 72 provincialis, 76 prior Florentiae, obiit ibidem 29 Nov. 1584.

(4) Carminius Filimarinus. Supra 1564 Filomarinus.

(5) Cyrillus Ricerutus. Alias Ricericus, Ricciutus. 28 Jan. 1569 vicarius provincialis Neapoleos, provincialis electus et confirmatus 14 Junii 1575.

(6) Franciscus de Aloysio. Conventus Neapolis, theologus archiepiscopi Tarentini, 6 Aug. 1574.

nostra R. M. n.r Caesar Basadonius. Sabbatho in Ecclesia nostra R. M. n.r Jacobus a Gauro.

In die Sanctissimae Trinitatis.

In Ecclesia nostra R. M. Nicolaus Aurificus. In Ecclesia maiore R. M. Paulus Florentinus (1). In Ecclesia Sancti Antonini R. M. Theophilus de Amico (2). Die Lunae in Ecclesia nostra R. M. Pompeius Zuccala (3). Die Martis R. M. Laurentius Senensis. Die Mercurii R. M. Theophilus de Amico. Die Iovis, ob Processionem S.mi Sacramenti nemo concionem habuit. Die Veneris R. M. n.r Leander Franconius. Sabbatho R. Lector Ambrosius a Prato. Dominica post Trinitatem, quae fuit 5ª Junii colophonem concionum addidit in Ecclesia nostra R. M. n.r Joannes Baptista Caffardus. In ecclesia maiori R. M. n. Felicius Zuccolius Pro.alis Venetiarum. In Ecclesia Sancti Antonini R. Bacchalaureus Archangelus Parrizola. Die Lunae, pro gratiis agendis Amplissimae Civitati Placentiae, Orationem habuit Latinam Ven.lis Lector Camillus Lonatius. Et isti omnes miro maximoque omnium auditorum suorum applausu et gratitudine suas doctissimas et catholicas Conciones absolverunt. Pro disputationibus habendis in Ecclesia Carmelitarum Magnificentissimae, ac Splendidissimae Civitatis Placentiae, ante Comitia, et tempore Comitiorum Generalium delecti fuerunt infrascripti.

Et primo.

Die Dominica, quae fuit 15 Maii, defensae fuerunt conclusiones ab hon.do Cursore F.re Antonio Frizza, sub doctrina R. M. n. Genesii Rosani in Cathedra Sedentis, Regentis nostri Collegii Ticinensis pro universa Provincia Lombardiae, Sacras etiam Lectiones profitentis in eiusdem Civitatis publico Gymnasio; et haec fuit prima disputatio habita, atque omnibus laudatissima. Die vigesima, nempe die Veneris Positiones tutatus fuit Ven.lis

---

(1) Paulus Florentinus. I. e. Rondinus.

(2) Theophilus de Amico. Provinciae Calabriae, doctor factus 17 Junii 1569, et prior Coriolanorum, 25 Junii 1574 vicarius Calabriae. Processus contra eum factus ab Angelo Emiliano a diffinitoribus praesentis capituli ob omissiones et errores essentiales contra regulas iuris nullius valoris declaratur. 15 Junii 1575.

(3) Pompeius Zuccala. Siculus, 27 Dec. 1567 promotus ad baccalaureatum, 27 Dec. 68 designatur regens in conventu Venetiarum. 1573 iam magisterium adeptus erat.

Lector Vitus Siculus, adminiculis R. M. n. Christofori Silvestrani nostri Collegii et Conventus Venetiarum Regentis. Is R. M. Regens illiusque Respondens 2° Loco designati, optime se gesserunt; et Litterariam palaestram honorifice percurrerunt, communi Litteratorum applausu. Hae duae concertationes spem firmam in animos intulerunt, quod audirent Theologos praestantes in futurum.

(144-v.) Die 22 in die Penthecostes descendit in arenam pro Theorematibus sustinendis ven.lis P. Fr. Albertus Dragha (1) Brixianus; cui praefuit R. M. n. Hieronymus Tostatus R.mi Patris Generalis Socius; et hac in re vices tenens Pro.arum Hispaniae et Lusitaniae. Die 23 Theses, ac conclusiones proposuit R. M. n. Franciscus Zambortus (2) Metaphisicus publicus in doctissima Universitate Ticinensi, in Suggestu sedente R. M. n. Laurentio Laureto Prov.ali Prov.ae Romanae. Die 24 Disputandi stadium cucurrit, ut veritas vigeret, R.dus M.r nr. Jacobus a Gauro Regens Conventus Florentiae; et in difficultatibus enervandis si opus fuisset, sententiam dixisset R. M. n. Joannes Baptista Cafardus Prov.ae Tusciae praefectus Prov.alis. Die 25 primas obiectiones eluendas suscepit Ven.lis Lector Martinus Siculus munitus clypeo R. M. n. Jacobi Clericati. Die 26 tricas explicavit, et argumentorum tela retundit R. Bacchalaureus Archangelus Parrizola Bacchalaureus Collegii, seu Studii Patavini, R.do M.ro Nicolao Aurifico Regente eiusdem Collegii Praeside, eundem si oportuisset, subducente ad portum. Die 27 obiectis occurrit ven. Lector Fr. Jacobus a Leocata Baccalaurei gerens vices in Collegio Carmelitarum Senensium; et si quid opus fuisset necessarium, id praestasset R. M. n. Carminius Filimarinus; qui pluries rexit studiorum nostrorum studiosos et Collegia. Die 28 delectus fuit Praesidens Litterariae palestrae R. M. n. Pompeius Zuccala; respondente, et primos argumentorum ictus propulsante R.do Baccalaureo formato Petro Du Mas Magistro Studentium nostri Collegii Parisiensis. Die 29 Intelligentiam Theorematum excepit R. Baccalaureus Joannes Baptista Forlitus; qui Directorem habuit R. M. n.rum Thimotheum

---

(1) Albertus Dragha. De Brixia, Congregationis Mantuanae, doctor Bononiensis 25 Junii 1580, obiit 1625. Cf. Vaghi p. 245.

(2) Franciscus Zambortus. Melius Zambertus. 27 Dec. 1567 ad cursoratum promotus.

de Resardis. Die 30 Litterarum certamen proposuit Ven. Lector Caesar Spinola Magister Studii Romani; et ne violaretur veritas, controversias diremit R. M. n. Franciscus Aloysius Theologus in Archiepiscopatu Tarentino. Die 31 Impugnationum nervos discindere studuit Ven. Lector Felicianus Panormita; et ne quidquam constantis doctrinae perverteretur, in eminentiori gradu sedit R. M. n. Franciscus Zambertus. Die Mercurii, quae fuit prima Junii, descendit in Litterarum conflictum Ven. Lector Ambrosius a Prato, munitus clypeo et galea R. M. n. Jacobi a Lauro (1). Dominica prima post Trinitatem, quae fuit 5. Junii, Dei munere et gratia extremum suarum Disputationum facientes Carmelitae in Ecclesia nostra Florentissimae Urbis Placentiae, sederunt in Hemicyclo Doctores duodecim, seu Magistri in Theologia; ubi eorum quisque sigillatim suam positionem ab opponentibus disertissime eripuit; Praesente Ill.mo ac R.mo D.no Car dinali huius Amplissimae Civitatis ordinario: et R.mus Pater interfuit pro dirigendis omnibus in gratiam communis honoris universi Ordinis nostri. Dum his studiosi Patres vacarent, et incumberent, R. M. ac Patres Primarii seu Diffinitores non desiverunt in eorum congressibus diligenter proponere, tractare, et ordinare quae pertinent ad statum omnium Provinciarum; quae ne destituerentur eorum capitibus; primo tractarunt de Provincialibus habendis, et instituendis; deinde occurrentes difficultates

---

(1) Jacobus a Gauro. Juvat hic adducere quae Rubeus circa disputationes durante capitulo generali 1564 in citatoria ad provinciales dixerat cum ea ipsa etiam huic capitulo conveniant: « Volumus ut liber sit accessus omnibus religiosis nostris et praesertim magistris et praedicatoribus volentibus (Romam) commigrare et proficisci, modo sint bonis vestibus induti et cappis albis honestati, qui et conclusiones et sententias vel scriptas vel excussas seu impressas publice disputandas secum ferant; nam ipsi magistri cathedras ascendent eo ordine quo in statutis nostris describuntur; significamus tamen ut fidei dogmatis omissis, de quibus pessimi haeretici pessime altercantur, alia theologica ceterarumque scientiarum scita disputanda proponant donec a superioribus nostris secus faciendum esse decretum fuerit et concessum; illorum namque consilium et decretum super his expectabimus. Mandamus item ut socii provinciae sint ex praecipuis et doctioribus dictae provinciae ». Romae S. Martini in Montibus, 1563 (die non expresso).

extricare; impedimenta amovere; Promotiones studiosorum scrutari; Studia reformare, Regentes praeficere; Leges et Statuta condere pro regulari vita, et pro debita omnium administratione. Non praetermiserunt rationem habere eorum, quae pertinent ad iustitiae executionem, ad gratias conferendas; et denique ut intus et foris post Dei cultum vigeret pax, honestas, bona aedificatio, iuvenum instructio, omniumque rerum debitus ordo eluceret.

(145-r.) QUO AD PROVINCIALES.

Et primo quo ad Provinciam Terrae Sanctae — Patres Consiliarii decreverunt, innovandam esse, ac restituendam Provinciam Terrae Sanctae, sub eodem titulo, vel in Insula Cretae, vel in aliis Locis Ill.mi Dominii Reipublicae Venetae, impetrato et obtento prius illius assensu. Statuerunt item illi praeficiendum esse R. Priorem Pro.alem ; qui semper habeat priorem locum in Comitiis Generalibus, et in universo Ordine ; qui instituetur a R.mo Patre Ordinis ; atque alia perficere curabit.

Provincia Siciliae. — Eisdem Patribus Consiliariis placuit, ut R. M. n.r Pro.alis Pro.ae Siciliae in suo Provincialatus officio perseveret ad triennium, iuxta Indultum Apostolicum.

Provincia Angliae. — Pro functione, seu officio Provincialatus Pro.ae Angliae proposuerunt, et per vota secreta elegerunt R. Patres Davidem Cragh, et Stephanum Gelbarium (1); quorum alter, nempe David Cragh, omnia vota habuit ; ideo alteri non fuit locus secundae electionis.

Provincia Narbonae. — Voluerunt R. M. nostrum Bartholomaeum Spiritum (2) Pro.alem Narbonensem in officio Provincialatus ad tres annos adhuc perdurare ; et si ob illius graves

(1) Alias Gilbarius.

(2) Bartholomaeus Spiritus. Prior Lugdunensis 1556, electus provincialis in conventu Clarevallensi 6 Sept. 1567, confirmatus 23 Septembris a. c. In fine anni vero 69 ex-provincialis, sed iterum provincialis ante 31 Aug. 1570 et deinceps. In suo reditu ex Hispania Rubeus desideravit etiam provincias Gallicas personaliter visitare ac praesertim studium Parisiense etsi non in pristinum saltem in meliorem statum redigere, at propter paupertatem provinciarum id exequi minime potuit, ac insuper « tumultus et furor armorum consurgens opus nostrum inopportunum et intempestivum suggerebat. Jam fere

et molestas infirmitates munus illud obire recusaret; quamprimum fierit poterit, convocet Provinciam ad Comitia, et eligatur novus Pro.alis, iuxta illius Pro.ae consuetudinem et Sacri Concilii Decreta.

Provincia Romana. — Placuit per deputationem omnibus Patribus Primariis seu Diffinitoribus R. M. n.rum Laurentium Lauretum Prov.alem Prov.ae Romanae perseverare in officio suo.

Provincia Franciae. — Definiverunt R. M. Prov.alem Prov.ae Franciae Simonem Pinguart (1), si Comitia illius Provinciae non celebraverit, persistere in suo officio usque ad Pascha Resurrectionis proxime venturum; quo transacto statim Provinciam ad Comitia habenda convocabit; in quibus fiet electio novi Prov.alis, iuxta consuetudinem illius Provinciae, et ad normam Decretorum Sacri Concilii. Et si Comitia dictae Provinciae habuerit; in ipsa Provincialatus functione manebit, usque ad aliam dispositionem R.mi Patris Ordinis.

Provincia Alemaniae inferioris. — Constituerunt Prov.alem Alemaniae inferioris, et iam institutum probarunt R. M. n.rum Joannem Mayerium, ut libere praesit illi Provinciae, maneantque iura Provinciae et Provincialatus integra, citra praeiudicium reformationis praeteritae.

Provincia Lombardiae. — Placuit R.do Diffinitorio, ut R. M. Genesius Rosanus electus in Provincialem Prov.ae Lombardiae a R.dis Diffinitoribus Comitiorum ipsius Provinciae, nec non Comitiorum Generalium persistat in officio et in functione sibi credita.

Provincia Aquitaniae. — Decreverunt, eligendum esse in Provincialatus officium Prov.ae Aquitaniae R. M. n.rum Joannem Mercier eiusdem Provinciae Vicarium, alias ordinatum a R. M. n.ro Jacobo Maistre (2) tunc Vicario Generali in Provinciis Franciae.

---

universae provinciae regni Francorum viris literatis et doctis destituuntur, numerusque reverendorum magistrorum nostrorum adeo est recisus ut eorum splendor ferme extabuerit » (1 Martii 1569 et alibi). Unde praedicto Bartholomaeo et Jacobo Maistret onus reformandi provincias et restituendi integrum conventum Parisiensem committit (6 Maii 1572), quibus etiam Breve apostolicum Gregorii XIII super his mittit. 14 Junii 1574.

(1) Confirmatur 16 Aug. 1572.

(2) Jacobus Maistre. Apud Rubeum semper scribitur Maistret. 6 Maii 1572 una cum Bartholomaeo Spiritu constituitur reformator

Provincia Castellae. — De Provincia Castellae iudicarunt, expectandas esse Litteras illius Provinciae, quibus agnoscantur impedimenta sui adventus; et si non fuerint delatae, donec hic adfuerint R. M. n.ri Diffinitores, R.mus Pater Generalis disponet, et providebit. Dum haec Acta in fine Comitiorum scriberentur, traditae fuerunt Litterae R.dae Provinciae Castellae; quibus significabatur, et certiores facti fuerunt R. M. Diffinitores, ad ipsa Comitia Generalia proficisci R. M. Martinum Garziam (1) ab eadem Provincia in Diffinitorem electum; et Litteris receptis laetati fuerunt eius adventum praestolantes; simulque excusantes illius R. Mag.ri tarditatem; nam qui se navigio committunt, coguntur maris et ventorum successus subire ac sustinere.

(145-v.) *Provincia Hiberniae.* — Ordinaverunt Prov.alem Provinciae Hiberniae Rev. Mag. Licentiatum Magonium Mach Suigne (2).

Provincia Provinciae. — Confirmaverunt R. M. nostrum Joannem Renohardum ad sui triennii complementum; et pro pace, nec non illius Provinciae conservatione aliqua sanciverunt, eidem indixerunt, atque tradiderunt publicanda.

Provincia Scotiae. — Remiserunt dispositionem Provinciae Scotiae iudicio et voluntati R.mi Patris Ordinis, ut pro temporis ratione disponat de illa, et provideat.

Provincia Tusciae. — Confirmaverunt in officio Provincialatus Provinciae Tusciae R. M. n.rum Joannem Baptistam Cafardum, ad complementum sui triennii.

---

provinciarum Franciae eo quod Rubeus qui id munus occasione capituli generalis Parisiis perficere voluerat per obitum Summi Pontificis ab executione impeditus fuit. Eodem anno titulo commissarii generalis designatur. 12 Julii 1574 una cum praedicto autorisatur ad impetrandum Breve apostolicum super visitatione et correctione studii Parisiensis. Maistret edidit Breviarium 1575.

(1) Martinus Garcia. De Requena, professus Abulae 4 April. 1547. Doctoris laurea insignitus a. 1567. A Rubeo inter defensores Ordinis relatus. In fine Augusti 1574 obtinuit licentiam pro usu rerum mobilium, et mansionem in conventu Vallisoleti, vel Matriti vel Requenae secundum determinationem proximi capituli generalis.

(2) Magonius Mach Suigne. Mac Sweeney, de conventu Rath Mullan, institutus vicarius provincialis Hiberniae, 16 Januarii 1570. « Laeti certiores facti sumus adhuc vigere quatuor aut quinque mo-

Provincia Venetiarum. — Idem effecerunt in gratiam R. M. n.ri Felicis Zuccolii Prov.alis Provinciae Venetiarum.

Provincia Tholosae. — Placuit R.do Diffinitorio, ut R. M. n.r Franciscus Bonisius perseveret in functione sui Provincialatus: Mandantes ut Priori Generali collectas seu pensiones praeteritas solvere non omittat.

Provincia Cataloniae. — In Provincia Cataloniae ordinaverunt Prov.lem R. M. n.rum Antonium Vidal, donec R.mus M. Generalis miserit Visitatorem ad convocandam et reformandam Provinciam: qui Prov.alis auctoritate Comitiorum Generalium providere poterit omnibus Conventibus Provinciae, ubi opus fuerit, et ubi cognoverit expedire, cogens omnes et singulos Priores, Vicarios, et Fratres ad observantiam Statutorum Ordinis, et praesentium Comitiorum; cum auctoritate etiam transferendi Fratres de loco ad locum, et novos Officiales instituendi.

Provincia Alemaniae Superioris. — Voluerunt R.di Patres Consiliarii, seu Diffinitores, R. M. Praesentatum Jacobum Ochsenhardum Prov.lem Provinciae Alemaniae Superioris in suo Provincialatus functione perdurare.

Provincia Vasconiae. — Item iudicarunt de R. Prov.ali Prov.ae Vasconiae, si adfuerit: Si vero Prov.a illa suo Prov.ali carebit, citius et commodius quam fieri poterit suum Provincialem eliget; qui electus, suae electionis Litteras ad R.mum Patrem Ordinis deferendas non retardabit, pro confirmatione obtinenda. Tenentur ex Patrum constitutionibus omnes qui Congregationibus vel Provinciis praesident, saltem bis quolibet anno certiorem facere de statu et successibus tam Provinciarum, quam Congregationum; et eam ordinationem in futurum servari praecipiunt.

(146-**r.**) *Provincia Turoniae.* — Decreverunt ut Prov.a Tu-

---

nasteria vel loca ». Omnes igitur in loca Ordinis conveniant, in eis vivant, et qui habitum dimiserunt nisi defecerint a fide catholica reassumant numquam in posterum eum relicturi. Vicarius adsit capitulo generali anno 1571 vel 72 celebrando. Similiter sub 1. Aprilis 1572: « Magonius Mac Suigne, in conventu S. Mariae de Rath Maoilaim professus sacerdos constituitur vicarius (generalis) provinciae Hiberniae. Sed ipsum vicarium constringimus ad proficiscendum ad comitia generalia; quod si ob temporis brevitatem comitiis in die festo Pentecostes hoc anno Lutetiae celebrandis interesse nequiverit benigne cum eo pro hac vice dispensamus ».

roniae, prima temporis occasione oblata, sua Comitia celebret; in quibus eligatur Prov.alis pro ea Provincia regenda, habita ratione concordiae inter utramque distinctionem factae, ac Decretorum Sacri Concilii; et eo dum id factum fuerit, R.dus Vicarius M. n.r Desiderius Ricardus (1) reget ipsam Provinciam Turoniae.

Provincia Saxoniae. — Ordinaverunt Provinciam Saxoniae manere sub obedientia R. M. Licentiati Jacobi Ochsenhardi Prov.alis Prov.ae Alemaniae Superioris.

Provincia Aragoniae. — Acceptaverunt in Prov.alem Prov.ae Aragoniae R. M. n.rum Hieronimum Jordan (2), nuper electum ab universa Provincia Aragoniae.

Provincia Neapolis. — Postquam R. M. n.r Angelus Emilianus resignasset R.mo Patri et Diffinitoribus officium Provincialatus Prov.ae Neapolis sibi traditum in Comitiis illius Provinciae anno praeterito habitis; ipsi R.diffinitores de alio illi Prov.ae sufficiendo deliberantes, R.mus Pater Ordinis quinque infrascriptos proposuit, ut unus ex illis ad hoc munus obeundum deligeretur; et fuerunt R. M. n.r Franciscus Bacearius (3); qui habuit votum unum affirmativum, et tredecim negativa. R. M. n.r Franciscus Sixtus (4), tredecim negativa, unum affirmativum, et unum neutrum. R. M. n.r Cirillus Ricerius decem affirmativa, et quinque negativa. R. M. n.r Philocalus Faraldus (5), quatuor affirmativa, decem negativa, et unum neutrum. R. M. n.r Carminius Filimarinus decem affirmativa, et quinque negativa. R. M. n.r Theophilus de Amico sex affirmativa, et novem negativa. Et sic remansit Prov.alis electus Prov.ae Neapolis R. M. Cirillus Ricerutus,

---

(1) Desiderius Ricardus. Sub die 25 Jan. anni currentis publicatae fuerunt litterae patentes de non celebrandis comitiis provinciae Turoniae ante capitulum generale brevi habendum, sed vicarius Desider. Ricardus et omnes priores et ministri locales maneant sicut sunt.

(2) Hieronymus Jordan. De conventu Valentiae. Ordinatus ad Minores ordines 16 Febr. 1543, sequenti die ad subdiaconatum, 24 Martii a. c. ad diaconatum. De sacerdotio non fit mentio.

(3) Franciscus Bacearius. Alias et probabiliter verius Bucearius.

(4) Franciscus Sixtus. Cum praecedenti in eadem culpa deprehensus contra paupertatem.

(5) Philocalus Faraldus. 25 Nov. 1569 accipit facultatem examinandi omnes religiosos conventus Neapolitani super quascumque accusationes etc. 1571 et sequentibus fuit prior Neapoli.

qui est antiquior in Ordine et Gradu R.do M.ro Carminio qui in votorum numero cum ipso M.ro Cirillo aequavit. Antequam ad hanc electionem ventum esset, propositum fuit R. Diffinitorio, an Provincia Neapolis esset dividenda; hoc est si Conventus quos habet in Provincia Calabriae deberent coniungi, et subiici Prov.ae Calabriae? Et ipsi Diffinitores intellectis causis et rationibus in medium adductis a R. M. Prov.ali Neapolis Angelo Emiliano, ab eius Sociis, etiam a R. M. Carminio Filimarino, per vota secreta, in eam sententiam devenerunt ut divideretur, sicut divisa fuit, debitis conditionibus adhibitis, sicut inferius patebit.

Provincia Portugalliae. — R.di Mag.ri Diffinitores ex animo amplexantes voluntatem S.mi D. N. Gregorii Papae XIII., aeque ac filii eius obsequentissimi consenserunt, ut ven. P. Gabriel de Sancto Jacobo in Provincialatus officio Provinciae Lusitaniae permaneat ad annum; qui pro complemento sui officii illi deest.

Provincia Romandiolae. — Placuit R. Diffinitorio, R. M. n.rum Thomam Zanottum Prov.alem Prov.ae Romandiolae in Provincialatus officio persistere.

Provincia Daciae et Boemiae. — Decreverunt, providendum esse Provinciis Daciae et Boemiae, iuxta temporis dispositionem; quae si Germaniae Provinciali alias adiunctae fuerunt, illi teneantur obedire, eorumque parere mandatis; ne obediendi consuetudo defluat, ac prolabatur.

(146-v.) *Provincia Apuliae.* — Definiverunt, R. M. n.rum Franciscum Vita perseverare in Prov.alatus officio, propter labores assumptos, usque ad proxima Comitia Prov.ae anni sequentis, ea functione potietur. Declarantes Dominica 3ª vel 4ª post Pascha Resurrectionis D. N. J. C. convocandam esse Provinciam pro eligendo Prov.ali, vel sicut expedire videbitur R.mo Patri Ordinis.

Provincia Bethica. — Confirmaverunt R. P. M. Fr.em Augustinum Suarez ad annum, hoc modo ut annus sumat exordium a die statuta et descripta in Libro Provinciae Mensis Septembris, in qua fuit assumptus in Prov.alem, et eadem die eiusdem Mensis Septembris, sui officii absoluto anno, addito triennio, ab administratione Provincialatus absolutum fuisse intelligatur; tunc enim quadriennium explevisse compertum habebitur; et quartus annus fuit additus, ut etiam incoeptae reformationi finem decentem praeberet.

Provincia Calabriae. — R. M. Diffinitores de R. Provin-

ciali, qui praeficeretur officio et regimini Prov.ae Calabriae tractare volentes, R.mus Pater Ordinis hos duos proposuit subscriptos, nempe R. Angelum Emilianum; qui obtinuit tredecim voces affirmativas, et unam negativam: R. M. n.rum Theophilum de Amico; qui habuit vota quatuor affirmativa, et decem negativa; Ideo R. M. Angelus Emilianus remansit Prov.alis Prov.ae Calabriae electus. Quo ad tempus vero sibi protrahendam, ad triennium, vel ultra, arbitrio ac voluntati R.mi Patris Patres Primarii seu Diffinitores remiserunt.

Procuratorem Ordinis (1) reliquerunt iudicio R.mi Prioris ac M.ri Generalis Ordinis; cui Patres huius Ordinis eidem Priori Generali decernendum reliquerunt. Priorem Sanctae Mariae Transpontinae R. Patrem bene meritum Valerium Montonium (2) Venetum, usque ad aliam dispositionem Prioris Generalis. Priorem Parisiensem confirmarunt eum, qui modo Prioratus Officium exercet; sed decreverunt in posterum haud quaquam eligendum esse Priorem in illo Conventu, absque licentia R.mi Patris Ordinis, quia ex Constitutionibus habetur, eiusmodi Priorem Parisiensem a Priore Generali instituendum esse; et si aliquid habet in contrarium, teneatur ostendere. Institutionem factam de Priore Conventus Neapolis in Personam M. n.ri Theodori, (3) usque ad Festa Natalitia huius anni, acceptarunt, et approbarunt; et aliter sicut videbitur P. Generali. Deinde eum eodem M. Generali designarunt, et ordinaverunt Priorem Sanctae Mariae Annunciationis Civitatis Drepani R. M. nostrum Pompeium Zuccala, ad biennium, iuxta consuetudinem Conventus Drepani; incipiendo a die, quo in illum Conventum pervenerit. Vicarium Abrutii ordinarunt R. P. Ascensium Gattum (4); qui erit subiectus sicut Provinciales Priori Generali Ordinis; sed iura consueta solvet R. Prov.ali Neapolis, seu Terrae Laboris; et ea pars Vicaria Abrutii nuncupabitur.

---

(1) Procurator Ordinis. Scil. Joannes Baptista Surianus. Quaedam desunt.

(2) Valerius Montonius. Supra Valerius Venetus.

(3) Theodorus (Neapolitanus). Quaeritur idemne qui supra 1548?

(4) Ascensius Gattus. 1569 prior conventus Pectorani; 1. Martii 1573 insuper vicarius provincialis in Samnis seu Aprutio habet facultatem accipiendi aut construendi monasteria in partibus Samnii. Confirmatur in suo vicariatu 30 Oct. 1576.

(147-r). PRO STUDIIS, PRO STUDIOSIS, ET STUDIOSORUM PROMOTIONIBUS AD GRADUS THEOLOGIAE.

Designaverunt, et instituerunt Regentem in nostro Conventu Parisiensi R. M. n.rum Desiderium Bufetum: in quo Officio permanebit usque ad aliud Capitulum Generale. Quod decreverunt antiqua Ordinis nostri consuetudine; neque hoc unquam fuit intermissum; tametsi aliquando nonnulli aliter facere intentaverint. Hoc instituerunt, non dirimentes usum illius nostri Collegii de ultimo Doctore in Sorbona laureato; quia hoc R. M. Diffinitores effecerunt, ut habeatur primus, et ordinarius Regens: et ea de causa Virum doctum, et de Theologia bene meritum M. n.rum Desiderium Bufetum ea functione donarunt. Mandarunt etiam Collegium nostrum Parisiense neminem studiosum, seu studentem nostri Ordinis missum a suis Provinciis ultra et citra Montes recusare; solutis tamen provisionibus decretis, et aliis consuetudinibus illius Collegii servatis, citra omnem cavillationem. Hortantur Patres, ac Magistros nostri Collegii Tolosani ad recipiendum studentes Provinciarum, iuxta morem antiquum illius Collegii.

In Studio Lovaniensi. — Ordinaverunt Regentem R. Stephanum Gilbarium (1), et Magistrum illius Studii R. P. Petrum Ponetum.

In Studio Coloniensi. — Instituerunt Regentem R. M. n.rum Joannem Mayerium Provincialem Provinciae Alemaniae inferioris: et in eius absentia R. Sac. Theologiae Praesentatum Laurentium Cuperum (2); qui Sacram Theologiam profitebitur, eritque

---

(1) Stephanus Gilbarius. Supra etiam Gelbanius.

(2) Laurentius Cuperus. Fuit nepos Martini Cuperi de quo 1539. 12 Jan. 1552 Everardus Billick provincialis eum qui aliqualiter negligentius in studiis sese habebat monuit ut iterum physicae et dialecticae vacaret. Studuit Lovanii et Coloniae 1567 et 68, lector theol. Antwerpiae 69 quo anno a provinciali Rubeo prc ulteriori promotione commendatus fuit. Deinde baccalaureus formatus existens Coloniae theol. docuit usque 72, postea Antwerpiae, 73 habuit orationem ad universitatem Coloniensem factusque est licentiatus theol. (1575 praesentatus), et prior conventus patrii Gerardimontensis usque 77

Magr. Studentium citra praeiudicium alterius Conventus. Item ordinaverunt Professorem Dialectices eo in Conventu Ven. Lectorem P. Gasparem Berum (1), si infirmitas non impedierit.

In Studio Treverensi, Maguntino, Aghiano, et Trajectensi. — Commiserunt, et mandarunt R. M. n.ro Pro.ali Alemaniae inferioris, nunc et pro tempore existenti, ut Regentes instituat, omnemque adhibeat conatum ut in eis sufficiens Studiosorum numerus habeatur, simulque bonorum morum disciplina instruatur.

In Provincia Franciae. — R.dus Magr. Pro.alis nunc et pro tempore existens, omni utetur opera, ut in Collegio nostro Remensi sint studentes cum suo Regente ; qui continuo indulgeant optimis studiosis doctrinis. Constringendum etiam decreverunt R. Diffinitores ipsum R. M. Pro.alem, sub poena depositionis ab eius officio, ut in prima visitatione constituat in omnibus Conventibus Civitatum suae Provinciae Magistros saeculares, vel Regulares, qui iuvenes bonas Litteras doceant. Item omni conatu procurabit efficaciter reformare omnes Conventus Provinciae, et peculiariter Bisuntinum, Gandensem, Leodiensem, Yprensem, Namurcensem, Brugensem ; et pariter Monasteria Sanctimonialium, prohibendo omne genus alienationum ; alienata item restituere faciat ; et auctores severe puniat.

(147-v.) *In Conventu Avenionensi.* — Regentem designarunt R. M. Bacchalaureum Petrum Du Mas Priorem Avenionensem, eo dum fuerit aliter dispositum a Magistro Generali.

In Conventu Aquensi. — R. M. n.rum Petrum Trocheum (2) Priorem Aquensem, eo dum de alio providebitur.

In Conventu Nanetensi. — Instituatur Regens, vel a R. M. Pro.ali, vel a Patribus in Comitiis existentibus.

---

quo anno prior Bruxellensis constitutus est, 20 Oct. inde ab haereticis eiectus, 81 et deinceps provincialis. 1589 cum inviseret conventum Gerardimontensem a Geusis devastatum apprehenditur ab ipsis sed redimitur a provincia pretio 2400 scutorum. Obiit Bruxellis 29 Mart. 1594 aetat. 66, in capitulo sepultus.

(1) Gaspar Berus. Romae studiis vacaverat at infirmitatis causa in patriam rediit, Bruxellis biblicum acturus. De consilio medicorum dispensabitur secum in observantia. 20 Maii 1573. Obiit 1578 Bruxellis.

(2) Petrus Trocheus. A. 1573 vicarius et visitator provinciae nimio arbitratu notus.

In Collegiis Provinciae Castellae. — Statuerunt, Collegium Salmanticense teneri ad recipiendum studentes aliarum Provinciarum, solutis annuis pensionibus ordinatis, ubi nullus vacabit Philosophiae, exceptis studentibus aliarum Provinciarum. Idem fiet in Collegio Complutensi; sed ibi non vacabitur Theologiae, praeterquam ab aliarum Provinciarum studentibus. Monent et hortantur R. M. Pro.alem, nunc et pro tempore existentem, ut instauret Collegium nostrum Metinense si illa Communitas tribuet quotannis quadraginta tritici mensuras ad pondus quo Equi vel Muli illic ferre solent, et non aliter. Mandant praeterea, et iubent, ut in Conventibus Toleti, Abulae, Sancti Pauli a Moraleia, Metinae, Vallisoleti, et Requenae, saltem unus adolescens ad Litteras capessendas disponatur; reddaturque habilis et idoneus ad studia aliarum scientiarum.

In Provincia Bethicae. — Collegium nostrum Ossunense referciatur decenti numero Studentium cum suo Regente; qui legat Theologiam, et casus conscientiae; sitque alius, vel Magister vel Baccalaureus, qui legat Artes: et quotidie Studentes positiones ac theses sustineant, aliorumque obiecta studeant eluere: quorum Studentium legitimas seu haereditates applicarunt praedicto Collegio Ossunensi, ad quatuor annos proxime futuros, includendo Studentes modo illic existentes.

In Conventu nostro Hispalensi. — Instituatur Regens, sub cuius disciplina maneant plures adolescentes, ac iuniores. Nutriantur similiter et dirigantur pueri et adolescentes ad studia Litterarum, et aliarum Artium Liberalium, iuxta eorum indolem, propensionem, seu capacitatem; praesertim in Conventibus Astigiae, Carmonae, Utrerae, Cordubae, Antiquerae, Granatae, et Gibraleonis. Distribuentur omnes Mag.ri citra quadragesimum suae aetatis annum per omnes Conventus Provinciae, ut legant Sacram Scripturam, et casus conscientiae; Recusantes vero excludantur a Provincia. In eodem Conventu Hispalensi statuerunt Artes et Theologiam declarandas; fierique ordinarias exercitationes inter Studiosos; praesente vel Mag.ro Regente, vel Baccalaureo Conventus; et animadvertatur, Baccalaureum designandum ex provectioribus esse ac solertioribus.

(148-**r.**) *In Provincia Valentiae.* — Adsit Regens, et debitus numerus Studentium; quibus quotidie duae lectiones ab ipso

Regente exponentur; fient ordinarie Disputationes; et a praecipuo inter Studentes legantur minores Artes, et Casus conscientiae.

In Collegio Oscensi. — Habeatur Regens cum studentibus; et talis sit Regens, seu Prior, ut sit aptus, si requisitus fuerit, praeesse Universitati illius Civitatis. In Conventibus Caesar Augustae, Bilblis seu Calataiuti, Pampilonae, et Xativae habeantur iuniores, qui possint evadere doctiores, et in Ecclesia Dei bonas emittere fruges.

In Provincia Cataloniae. — In Collegio nostro Barchinonensi instituatur Regens, et habeantur Studentes qui Litterarum lucubrationibus intendant. Non omittent Conventus Perpiniani, Perelatae, et Gerundae disponere iuvenes pro Studiorum exercitationibus; et in omnibus istis Locis legantur Casus conscientiae.

In aliisque Conventibus eiusdem Provinciae idem observetur, ubi commodius fieri poterit. In Collegio Illerdensi R. M. Praesentatus Joannes Poquet (1) erit Regens. In Conventu Maioricarum R. M. Praesentatus Mattheus Haeres (2) fungetur Regentis officio.

In Provincia Lusitaniae. — Collegium nostrum Coymbricense monent, et requirunt R. M. Diffinitores omnem diligentiam adhibendam esse, quo floreat in dies magis et splendeat. In Conventu Ulissiponensi bonus intererit numerus iuvenum, qui vacent Grammaticae, Rhetoricae, Logicae, aliisque bonarum Litterarum Studiis; et semper aderit unus, vel duo a quibus erudiantur. Caeteri illius Provinciae Conventus praecipui omni diligentia curabunt, ut habeantur Adolescentes habiles et dociles ad instruendum. Nullus sit Conventus, in quo non legantur Casus conscientiae.

In Studiis Italiae. — In Conventu Papiensi ordinaverunt Regentem R. M. n.rum Franciscum Zambertum. Bacchalaureum Conventus R. P. Felicianum Panormitam. Magistrum Studentium Ven. Lectorem P. Stephanum a Gauro. Designaverunt Regentem

---

(1) Joannes Poquet... Forte Pognet legendum?

(2) Mathaeus Haeres. Cum Bartholomaeus Ragan in insulam Maioricam reformator missus a Mauris captus esset et Sebastianus Magnalbrocon eius successor obiisset Carmelitae Maioricenses elegerunt Mathaeum Haeres in priorem, quae electio a Generali reiicitur eo quod electus adhuc in poenitentia detentus esset. 18 Maii 1569.

in Conventu nostro Patavino R. M. n.rum Pompeium Ragusium (1). Bacchalaureum Conventus R. P.... Magistrum Studentium Vener. P....

In Conventu Venetiarum R. M. n.rum Caesarem Basadonium; qui tenebitur, iuxta consuetudinem illius Conventus, Praedicationis officio fungi in concione, legere Casus conscientiae, Conclusiones publice tueri, et reliquis intendere (148-v). In Conventu Florentiae Regentis officio fungetur R. M. n.r Archangelus Parrizola, ut eo in Conventu nec non sî opus fuerit legat, sicut dabitur occasio.

In Collegio Pisarum R. M. n r Joannes Baptista Forlitus Panormita; qui iugiter dabit operam, ut Studiosi, seu Studentes instruantur.

In Conventu et Collegio Senarum R. M. nr. Joannes Baptista Cafardus Prov.alis directioni studentium incumbet, et Theologiam leget, donec aliter fuerit provisum. Baccalaureus Conventus R. Jacobus a Leocata, Drepanita. Magister Studii, ad voluntatem R. M. Prov.alis. Regens Studii Romani R. M. Praesentatus Chrisostomus Stephaninus. Cuius Studii praecipuus Moderator erit R. M. Joannes Baptista Sorianus Procurator totius Ordinis.

In Conventu Neapolis. — Primus Regens R. M. n.r Carminius Filimarinus. Alter, sive Secundus Regens R. M. n.r Franciscus de Aloysio. Baccalaureus Conventus R. Baccalaureus Pascalius Muscia. Magister Studii Ven. Lector Cornelius Venetus (2).

In Collegio Catinensi. — Regens R. M. n.r Alfius Matiolus (3) Baccalaureus Conventus R.... Magister Studentium...

In Conventu Panormi. — Id reliquerunt prudentiae R. M. Prov.alis Provinciae Siciliae; qui curabit, ut non tantum sit Regens nomine, sed re ipsa; R. M. Diffinitores mandant ut legat Casus

(1) Pompeius Ragusius. Mazariensis, germanus Bartholomaei Ragusii. Cf. notam supra 1548. Primo regens Neapoli, deinde 25 Nov. 1566 procurator Ordinis, visitator conventus Roncilionis 18 Dec. 1567, regens Papiensis ad petitionem senatus universitatis, 31 Jan. 1569, regens Pataviae 14 Julii 1575.

(2) Cornelius Venetus. Conventus Venetiarum, studens in simplici forma, 22 Dec. 1565.

(3) Alfius Matiolus. Siculus, ad lectoratum promotus Pataviae 27 Dec. 1567.

conscientiae in Conventu omnibus Regularibus; in Ecclesia Sacram Scripturam praedicet; et si adfuerint Studentes, eos instruat; et si ad haec facienda non fuerit habilis, statim privetur.

In Conventu Messanae. — Idem R. M. Prov.alis constituet Regentem, qui legat quotidie Casus conscientiae Patribus Conventus, atque instruat habiles ad discendum Artes; et si istis non incumbet, Officio, commodis, et exemptionibus privatus remaneat.

(149-**r**.) *In Conventu Drepani.* — Quia Conventus iste praecipuus extat in illa Provincia, et multis Regularibus est instructus; praeceperunt in eo haberi ad minus quinque Studentes apti ad Studia Logicae, ac Philosophiae; et Regens qui fuerit declaratus astringi ad legendas quotidie duas Lectiones tum Logicae, tum Philosophiae. Amplius quotidie leget communi lingua, seu vulgari universo Conventui Casus conscientiae.

In Collegio Taurini. — Regens R. M. n. Jacobus a Gauro. In Conventu Mediolani Regentis functionem exercebit R. Magister n. Hieronymus Aleotus, declarando in Conventu Casus conscientiae, et habendo in Ecclesia Sacram Lectionem. In Conventu Astensi leget R. M. n. Clemens Strata (1), aeque ac Regens Casus conscientiae, et Praedicationibus, sicut opus fuerit.

Promotiones ad Gradus Theologiae. — Promoverunt ad Gradus Magisterii hos infrascriptos Praesentatos et probatos a suis Provinciis.

Ex Provincia Alemaniae Inferioris. — Iudicaverunt dignum Gradu seu Magisterio in Theologia et Laurea Doctoratus relatu R. M. n. Prov.alis illius Provinciae, R. Priorem Coloniensem S. Theologiae Baccalaureum formatum P. Gasparem Barensteyn (2). Item Baccalaureum formatum Patr. Humbertum Vihelmum Priorem Traiectensem; qui ambo multis annis docuerunt summa cum laude Coloniae bonas et Sacras Litteras. Item hos duos ad Licentiae Gradum Stephanum Gilbadium (3) Regentem Collegii nostri Lovaniensis, Sacrae Theologiae Lectorem, et Ven. P. Petrum Heradium Lectorem in Sacra Theologia. Item confirmaverunt in Gradu Lectoratus et Biblici Ven. P. Gasparem Berum.

---

(1) Clemens Strata. Provinciae Lombardiae, accipit litteras ut procedat ad doctoratum. 24 April. 1566.

(2) Gasparus Barensteyn. Supra 1532.

(3) Stephanus Gilbadius. Supra Gelbanius, Gilbarius.

Ex Provinciis Promoti ad Magisterium. — R. Baccalaureus Desiderius Trouchetus, R. Bac. Jo. Petrus Vaccara, R. Baccalaureus Josephus Falconius (1) Placentinus, R. Bac. Chrisostomus Stefaninus, R. Bac. Joannes Baptista Forlitus, R. Bacc. Archangelus Parizola. (149-v.) R. Bac. Archangelus Signoria, R. Baccalaureus Salvatorius Junta Patavinus, R. P. Fr. Joannes Asbert, R. Pater Joannes Poquet. Hi duo ex Provincia Cataloniae promovendi in Universitate Complutensi, vel in alia sibi commodiore praesentati fuerunt ab ipsa Provincia.

Hi omnes tenebuntur legere quartum Sententiarum, vel Thomam Valdensem; vel aliquam Lectionem super Psalmos, sicut disposuerit R.mus Prior ac Magister Generalis. Acceptarunt inter Sacrae Theologiae Magistros Praesentatos R. P. Nicolaum Rotasium (2) Bisuntinum; cuius erit facultas vel recipiendi Lauream Doctoratus a Priore Generali, ad formam Litterarum Apostolicarum; vel in alia Universitate probata.

Ad Baccalaureatum. — Ven. Lector Lucianus Scuoletus. Ven. Lector Hieronimus de Cataneis. Ven. Lector Angelus Spinella. Ven. Lector Paschalius Muscia. Ven. Lector Ambrosius a Prato. Ven. Lector Vitus Salernitanus. Ven. Lector Martinus Vaccarius. Ven. Lector Jacobus a Leocata. Ven. Lector Caesar Spinola. Ven. Lector Felicianus Lavana. Ven. Lector Heliseus Liante. Ven. Lector Vincentius Valentia. De Locis in quibus isti Promoti ad Baccalaureatum debeant Lectionibus indulgere providebitur.

Ad Lectoratum. — Honorandi Cursores Pontius Scalma, Helias Carnevalius, Stephanus de Placentinis, Camillus Lomatius, Antonius Frizza, Martinus Guerrerius, Seraphinus Marota, Cornelius Gotardus Venetus, Michael Lantera. Opportune examina-

---

(1) Josephus Falconius Placentinus. 1 Nov. 1567 ad cursoratum promotus, disputavit coram Generali. Cf. *Analecta* II, p. 120.

(2) Nicolaus Rotasius. Perinde scribitur Rotarius. Fuit Bisuntinus, prov. Françiae, et scriba Ordinis a principio anni 1569 vel antea usque ad praesens capitulum et ultra. Merita sua sic enuntiantur: Bisunti iuvenes instruxit, decies vel duodecies quadragesimam in comitatu Burgundiae praedicavit et saepius alias praedicavit, plura composuit metrice et soluta oratione in laudem Ordinis, unde per suffragia secreta unanimiter in magistrum electus fuit.

buntur, ut agnoscatur, si in bonarum Litterarum Studiis profecerint; vel per Generalem; vel per alium ab eo deputandum.

(150-r.) *Ad Cursoratum Venerandi Patres.* — Marcus Ruggerius. Guglielmus Cinerglione. Hieronimus Pedemontanus de Montecalerio. Julianus Biel. Jo. Antonius Vermis. Desiderius de Calata Nessetta. Christoforus Hultins. Joannes Labita. Joseph de Sacca. Isidorus Talamus. Joseph a Corallis. Vitus Antonius Paganus. Rodericus Lusitanus. Albertus Niger a Roncilione. Heliseus Venturinus. Aurelius Florentinus (1). Leonius Florentinus. Salvatorius Palmerius. Angelus de Nepotibus. Archangelus Graminia. Paulus Cremensis. Vitus Barnaba. Sebastianus Praestininus. Qui Actus Scholasticos publice non exercuerunt, pro Cursoribus non habeantur, eo dum eiusmodi Actus non absolverint; et tempus quo in eo Cursoratu debent persistere declarabit R.mus Pater Ordinis.

Ad Studium Artium Fratres. — Lucas de Albino. Jo. Antonius Marchesella. Angelus de Maio. Michael Picciolus. Franciscus Maglionus. Aurelius Filadorus. Jo. Baptista Crivinius. Jo. Antonius Hostun. Cirillus Milanius Lugiensis. Marcus Antonius Cassanius Imolensis. Jo. Jacobus Angelinus. Augustinus de . . . . Promoverunt ad Studium Patavinum F.rem Guglielmum Hattigum, praesentatum a R. M. n.ro Jo. Mayerio Provinciali Provinciae Alemaniae Inferioris.

(150-v) SEQUUNTUR STATUTA HORUM COMITIORUM PRO REFORMATIONE TOTIUS ORDINIS

Quia radix et fundamentum Professionis nostrae est obedientia; ideo praeceperunt, ordinationes factas a maioribus nostris concernentes vitam regularem, si non repugnant Decretis Sacro-Sancti Concilii, inviolabiliter observari. Idem fiet de statutis, et Decretis Comitiorum Provincialium, modo non adversentur Constitutionibus Generalibus Ordinis, nec Prioris Generalis officio, et auctoritati, minusque Decretis Sacri Concilii.

Auctoritate etiam Apostolica, ut habetur in Litteris Apostolicis Sanc.mi Gregorii Papae XIII, omnibus et singulis praecipitur, tam Patribus Provinciarum, quam Congregationum Mantuanae

(1) Alias Aureolus.

et Albiensis, ut ad veram Observantiam Regularem efficaciter intendant, atque procedant ad ea, quae in salutem animarum, et populi christiani aedificationem, ad laudem Omnipotentis Dei constituant.

Eadem auctoritate omnes observent Professionis nostrae instituta, atque Reformationem salutarem; et potissimum ut in omnibus conventibus, iuxta Regulam nostram, et Decreta Sacri Concilii Tridentini, absque omni proprietate, et proprietatis usu vivatur ab omnibus Carmelitis, neque omittent Reformationem a R.mo Generali indictam et promulgatam pro Italia.

Amplius statuitur, et mandatur earundem Litterarum Apostolicarum serie, ut praeficiantur vitae regularis, et Reformationis amantes; quo ex capitibus sanis sanitas diffundatur in membra: et Reformationi adversantes statim priventur Prioratus Officio a Patre Ordinis.

Insuper adstrinxerunt, et adstringunt omnes R.arum Congregationum Regulares, tam Viros quam Mulieres, citra et ultra montes, ut obediant Constitutionibus et Statutis Generalibus Ordinis; atque Statutis Comitiorum Generalium, maxime praesentibus concernentibus statum vitae regularis, quatenus non sunt contraria arctioribus earum Constitutionibus, et consuetudinibus, atque, ut dictum est, Decretis Sancti Concilii Tridentini.

Mandatur similiter Summi Pontificis auctoritate, quaelibet nostri Ordinis collegia, sive in Transalpinis, sive in Cisalpinis existentia in debito ordine conservari; ut studentes quovis praetextu ab illorum Collegiorum Ministris minime impediantur: at magis iuxta efficaciam provisionem nostram optimae indolis studiosi floreant; ut illis praesint Religiosi discreti, in Litterarum Cultores propensissimi.

Mandatur praeterea auctoritate Pontificis Opt. Max. Gregorii XIII, ut omnes electi et assumpti contra Statuta Generalia, et contra obedientiam Prioris ac Magistri Generalis; vel conventus et loca quovis in loco contra eiusdem Prioris Generalis voluntatem acceptaverunt, erexerunt, inhabitaverunt, et modo inhabitant, ab eis, ab officiis, ab administrationibus, deiecti et amoti intelligantur, omni appellatione postposita.

R. M. Prov.les, et quicumque alii Provinciarum, vel Conventuum Ministri et Rectores, exequi curabunt, sub poena suspensionis a Divinis, privationis loci et vocis, et sub censuris sibi bene

visis, ut indebite assumptos et electos eiiciant, et amoveant, neque illis obediant. Et quia nonnulli (1) inobedientes, rebelles, atque contumaces, qui Discalciati vulgo vocantur, contra Patentes et

(1) Et quia nonnulli, etc. Ista proprius ad historiam Discalceatorum spectantia breviter tantum hic perpendenda sunt, nec omnino praetereunda ne capitulum nimis rigorose, minus iuste egisse videatur. S. Theresia divinitus monita de erigendo monialium reformatarum conventu cogitare coepit a. 1560, consentiente primo, sed postea ob murmurationes obortas animum mutante Gregorio Fernandez, tunc provinciali (Vita, c. XXXII, 16, 18; XXXIII, 1). Divino iterato impulsu stimulata, auxiliantibus nonnullis praeclaris viris, inter quos S. Petrus de Alcantara, eandem rem aggressa inceptum opus ad felicem exitum perduxit 24 Aug. 1562, inscio quidem provinciali (Angelo de Salazar), patrocinante vero episcopo Abulensi, Alvaro de Mendoza, et praesertim approbante Sede Apostolica. Ipsamet, contradictionibus sopitis, conventum S. Joseph habitare coepit circa medietatem Quadragesimae 1563. Abulam adveniente Rubeo (11 Apr. 1567 usque principium Maii) rationem vitae suae, suique operis reddidit Magistro Generali, qui magnopere sibi favens et verbo et scriptis monuit, ut occasione nulla praetermissa tot conventus monialium per utramque Castiliam erigeret quot in capite crines gereret. Insuper ad ipsius petitionem litteris patentibus Barcinona datis 16 Aug. a. c. concessit quatenus duo tantum conventus fratrum in Castilia ad instar monialium fundarentur, de consensu praesentis et praecedentis provincialis (Alphonsi Gonçalez et Angeli de Salazar), iniungens quod praedicti conventus sub obedientia provinciae Castiliae essent, a qua ne unquam se subtraherent licet diplomatibus apostolicis impetratis, districte sub censuris et poena nullitatis praesentis concessionis prohibuit. Ultima ista clausula in editis quidem desideratur sed clare extat in registro Generalis et cum aliis praesenti capitulo exhibita fuit. Simul conscripsit constitutiones speciales pro futuris fratribus discalceatis seu contemplativis, quae mutatis mutandis quasi litteraliter e constitutionibus Sanctae Theresiae pro monialibus excerptae sunt, et quarum originale ipsius Rubei manu subsignatum adhuc extat. In praxim tamen introductae minime fuerunt, ita ut S. Theresia earum existentiam prorsus ignoraverit (Lib. Fundat. XXIII, 13).

Hisce gestis, S. Theresia se ad fundationem conventuum monialium accinxit, sed cum de istis nullae controversiae ortae sint, non est cur in his moraremur. Tandem Antonio de Heredia et S. Joanne a Cruce reformam Theresianam amplectentibus, primus fratrum conventus apud Duruelem vicum fundatus fuit 28 vel iuxta alios 30 No-

Statuta Prioris Generalis habitarunt, et habitant extra Provinciam Castellae, quam veterem dicunt, nempe apud Granatam, (151-r.) Hispalim, et prope oppidum vulgo nuncupatum La Pe-

---

vembris 1568, deinde 11 Julii 1571 Manceram translatus. Secundus vero 13 Julii 1569 prope Pastranam inauguratus fuit, Mariano Azaro eremita et Baltasare Nieto (Gaspari et Melchioris germano) habitum induentibus et postea non paucis e Carmelitis cum Castiliae tum praesertim Beticae ibidem confluentibus. Quae cum ad Rubei notitiam pervenissent, datis sub die 8 Aug. 1570 litteris ad provincialem Castiliae statum Discalceatorum declaravit, nempe quod essent sub regimine, visitatione et correctione provincialium, qui tamen nec fratres hinc inde transferre, nec de constitutionibus quicquam immutare possent; quod eorum priores et socii locum et vocem cum activam tum passivam in comitiis provincialibus haberent, quod plures conventus quam hactenus susceperunt nec suscipere nec recipere possent. Insuper prohibuit, ne fratres provinciarum Hispaniae et Lusitaniae sine ipsiusmet licentia in scriptis obtenta reciperentur, potissimum Betici rebelles et contumaces, nominatim Gasparus et Mechior Nieto, Ambrosius de Castro, Joannes de Mora et eorum complices; Lusitani tamen, si profugi non existerent et litteras dimissoriales secum portarent, et Castellani de provincialis consensu recipi possent. Eodem anno ad instantiam principis Ruderici Gomez de expressa Generalis venia tertius conventus Compluti fundatus est (1 Nov. 1570).

Sequenti anno sub die 14 Sept. Rubeus licentiam dedit ad recipiendum adhuc duos conventus, primum a D. Catharina de Cardona oblatum in marchionatu Villenae, alterum prope Altomiram, cum repetita inhibitione ne praeter ista alia loca sine assensu suo in scriptis accipere valerent. Consequenter 24 Nov. a. c. conventus Altomirae, et mense Aprili 1572 conventus de Succursu (vice conventus Villenae) fundati sunt. Mense Februario 1573 Comes de Tendilla licentiam petiit et obtinuit fundandi conventum in loco Mondejar, ea tamen conditione quod praedictus locus contineretur in regione Castellae Veteris « notificantes eisdem patribus sub poenis et censuris nos statuisse et decrevisse, extra dictum regnum non posse construere conventum neque domum regularem neque ullam ecclesiam recipere ». Item eodem tenore eidem Comiti scripsit 27 Februarii 1573.

Hoc eodem anno, 22 Junii D. Didacus de Leone, Carmelita Hispalensis, olim episcopus Columbriensis (Colibraso), tunc vero titularis Aebudarum et Insularum (in Scotia) a Rubeo licentiam fundandi conventum Discalceatorum in ipsa Betica postulavit, quam iste ob insignia viri merita gratiose impertivit hac unica vice derogando prio-

gnola, nec voluerunt humiliter, adductis fallaciis et cavillis et tergiversationibus, mandata eiusdem Prioris Generalis et Litteras acceptare: significabunt eisdem Carmelitis Discalciatis, sub poenis

---

ribus prohibitionibus : « ut monasterium hoc unum tantum in Betica fundare et erigere possit pro Carmelitis prioris regulae nostrae conciliationis », et idem postea 7 Febr. 1574 confirmavit. Conventus tamen fundatus non fuit quia interim Discalceati aliena auctoritate iam tres conventus per Beticam erexerant.

Tandem 21 Junii 1574 Rubeus Antonio de Heredia potestatem fecit ut ad petitionem Joannis Diaz conventus cum monialium tum fratrum apud Almodovar Del Campo fundaret. « Cum autem Discalceati domos aliquos neque acceptare neque erigere possint aliquo in loco sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda absque nostro consensu in scriptis obtento, ne aliquibus censuris irretiantur etc. denique decernimus et mandamus in illa domo commorari non posse neque recipi neque collocari fratres ullos Discalceatos qui alias vixerint in provinciis cuiuscumque Ordinis, nec etiam nostri Carmelitici instituti, sed solum regulares illos qui susceperunt habitum et professionem emiserunt inter ipsos Discalceatos, solo excepto Antonio de Jesu » etc. Ista fundatio ad felicem exitum perducta est 7 Martii 1575.

Hucusque Rubeus grato animo Discalceatis favebat, paulatim priores restrictiones relaxando usque eo, ut unam fundationem in provincia Betica concesserit. Sed paulo post, nuntio ex illa provincia accepto, animum mutavit. Quomodo id factum sit nunc enucleandum est.

Hispanias ad petitionem regis Catholici visitaturus Rubeus 13 Maji 1566 portum Salou prope civitatem Reus appulsit, 10 Junii regem Matriti invisit, postea Toletum profectus tandem Hispalim pervenit, ubi 22 Septembris capitulum provinciale celebravit. Permansit ibi usque ad finem Octobris, mense Nov. Gibraleone sedit, et vergente iam anno e Betica egressus Ulyssiponam se contulit. De qua visitatione ait : « inibi (scil. in Betica) sunt reverendi magistri in Theol. et patres de Ordine nostro bene meriti, obedientiae amantissimi quorum animi ob eas discussiones (de quibus illico) non parum torquentur » (1 Sept. 1569). Alias dicit se multa tulisse et fecisse pro provincia Betica quam ex animo diligit non obstante quod quosdam eiusdem provinciae ad triremes condemnaverit, alios exulaverit, aliosque compedibus illigatos correxerit (20 Aug. 1567). Quae Rubei severitas partim causa fuit, — aliunde Hispanis aegre ferentibus se Italis subiectos esse, — cur vix ac ne vix quidem inde profecto provinciae

et censuris apostolicis, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, ut infra tres dies inde omnino abscedant: et quosvis contradicentes compescant, graviter puniant; et a nobis ci-

---

antesignani querelas de nimio eius rigore apud regem haberent, qui consequenter 23 Martii (Vallisoleti?) et Mense Majo Matriti Rubeum parum benigne adlocutus est. Immo approbante rege qui licet de fide catholica optime meritus, tamen plus aequo se spiritualibus immiscebat, praedicti patres (inter quos Gaspar Nieto et alii iam citati) Breve apostolicum obtinuerunt, quo quatuor provinciae Hispaniae a visitatione Generalis absolutae, iurisdictioni, visitationi et correctioni ordinariorum praesertim auxilio Fratrum Praedicatorum exercendis subjiciebantur (16 April. 1567). Ista facta sunt, dum Generalis actualiter visitationi Castiliae insudabat, ipso nedum inscio sed nec suspicante! Quamvis uti e Brevi revocatorio eruitur Ordinarii dicto negotio fere per triennium operam dederint, subtractio provinciarum ab auctoritate Generalis nonnisi mense Augusto 1569 ad istius notitiam pervenit. « Omnes Hispaniarum quatuor provinciae, ait sub die 1 Sept. 1569, aliquorum sceleratissimorum fratrum contumacia, pestilenti malitia et cupiditate vivendi omni licentia et impune sicut ante visitationem nostram vivebant....; eorum astu ac solicitudine procurarunt impetrari, sicut impetratum fuit, diploma apostolicum ut inviserentur illae quatuor provinciae a dominis ordinariis ». Indilate apud S. Sedem pro revocatione Brevis 16 Aprilis 1567 agere curavit, quam 31 Jan. 1570 sortitus est (Bull. II, 165). Pendente uti videtur lite, rex ne sua spe frustraretur ab eadem S. Sede (ut e Vargae epistolis liquet) nominationem duorum visitatorum ex Ordine Praedicatorum obtinuit, nempe Petri Fernandez y Orellana, prioris Talaverae de la Reina, et Francisci de Vargas, prioris S. Pauli Cordubae, quae nominationes a quibusdam sub mense Majo, ab aliis mense Januario 1570 recensentur, sed accuratius 20 Augusti 1569 factae fuere, ad quatuor annos valiturae, quibus elapsis a D. Nicolao Ormaneto, Nuntio (ut videtur sine recursu ad S. Sedem) renovatae et ita ampliatae sunt, ut deinceps visitatoribus liceret novas fundationes concedere (cf. ep. S. Theresiae ad D. Teutonium de Braganza, dat. Junio vel Julio 1574). Simul ac nuntium de nominatione visitatorum accepit, Rubeus superioribus Hispaniarum quomodo ipsis responderent mandavit: « 1. Petant Breve apostolicum; 2. si velint constitutiones condere ea quae iam habentur in constitutionibus Soreti, Audeti et ipsius Rubei (scil. a. 1568) visitatoribus ostendant; 3. Non permittant, ut aliquid contra constitutiones reformatas introducatur vel de ipsis minuatur, inspiciant enim Breve apostolicum, utrum permittat omnia innovari, mutari, ordinari,

tatos esse, ut personaliter appareant, intiment; et praesentibus testibus innotescere faciant, nisi ab eorum pervicacia resipuerint.

Implorabitur item favor R. Archiepiscoporum, Nuntiorum

---

inverti et annullari. Quod si hoc permittat nihil dicant, sin vero non admittant tales mutationes ». Insuper instituit mag.um Nicolaum Scrivam vicarium generalem et cum eo decem et novem per Hispanicas provincias defensores libertatum Ordinis (A. 1569, deficientibus die et mense).

Ex quibus liquet ab a. 1569 duplicem fuisse in Hispania auctoritatem, provincialium nempe a Generali et capitulo generali dependentium, et visitatorum apostolicorum civili aeque ac spirituali potestate praeditorum. De quibus S. Theresia: « Litteris ad Patrem nostrum Generalem vix expeditis venit mihi in mentem, haud necessarium fuisse scribere cum stabilius sit quicquid visitator ordinaverit, perinde enim est ac si ipse Summus Pontifex iussisset, cum neque Generalis neque capitulum generale quid in contrarium valeant » (Ep. ad Didacum Ortiz, 27 Maii 1571). Huc faciunt etiam querelae praesentis capituli (infra 151-v) de litteris patentibus Generalis in aliquibus provinciis parvi aestimatis.

Petro Fernandez visitatore Castiliae ad tramitem mandatorum Rubei agente, nulla in illa provincia inter Generalem et Discalceatos discrimina orta sunt. Aliter in Betica sub Francisco de Vargas.

Is enim videtur personaliter Marianum de Azaro cognovisse quo tempore iste eremum del Tardo inhabitaverat (quam S. Theresia quidem ait prope Hispalim, — Lib. Fundat. XVII, 7, — ipse vero Marianus in epistola autographa declarat prope Cordubam fuisse); quem cum comperisset, Pastranae Discalceatis nomen dedisse in virtute s. obedientiae iussit, ut domum quandam sibi propriam extra muros Hispalis sitam Discalceatis traderet, quippe qui quosdam conventus Carmelitarum sibi a Varga olim oblatos accipere noluerant (21 Nov. 1571). At Discalceati aliis fundationibus incumbentes ob paucitatem virorum renuerunt. Duobus vero olim Carmelitis Beticis, tunc autem Pastranensibus accidentaliter Hispalim venientibus, conventum S. Joannis del Puerto tradidit (mense Oct. vel Nov. ut videtur 1572). Interim Gabriel de Penuela sive de Conceptione, Carmelita Beticus et olim vicarius Utrerae, (cf. Ep. S. Theresiae, 18 Junii 1575), sumpto de consilio Didaci a Leone episcopi habitu Pastranae in patriam redux prope Penuelam conventum struxit. Eodem tempore Baltasar a Jesu (Nieto) Granatam se contulit, eremum Alhambrae vicinam a Comite de Tendilla sibi oblatam Discalceatorum nomine acceptaturus. Quibus compertis Vargas tunc priorem Granatae agens Baltasarum constituit

eiusdem Sanctissimi Domini Nostri; imo eius Legatorum a latere; ut opportune illum exhibeant; sicut idem Summus Pontifex man-

---

superiorem et visitatorem trium conventuum Beticorum, scil. S. Joannis del Puerto, Penuelae et Granatae (28 Apr. 1573). Sed intelligens Baltasarum Beticis haud acceptabilem fore, infra duos menses (nempe 20 Junii a. c.) alium superiorem postulavit, eumque tantummodo inter Discalceatos professum. Baltasar ergo Pastranam reversus 4 Aug. a. c. Hieronymo Gratiano recenter professo patentes tradidit, qui a Mariano de licentia provincialis in Beticam profecturo in socium itineris adscitus, Toletum se contulit, Antonium de Heredia ibi priorem agentem consulturus, ubi etiam Marianus subdiaconus ordinatus fuit (19 Sept. a. c.). Inde digressi Granatamque pervenientes a Varga peramanter recepti sunt, qui eorum conversatione aedificatus, Gratianum non solum superiorem Discalceatorum ditionis suae, sed etiam visitatorem universorum Carmelitarum Beticorum constituit circa finem Septembris. Deinde Hispalim pervenientes Augustinum Suarez provincialem salutatum iverunt, altum tamen de proxime dictis patentibus super visitatione Betica silentium tenentes. Festo die S. Lucae Gratianus conventum S. Joannis del Puerto provinciae restituit, in posterum cum Discalceatis inde abeuntibus partem conventus Hispalensis inhabitaturus, et Hispalensibus id aegre ferentibus, de archiepiscopi licentia 5 Januarii 1574 patentibus suis innixus licet nondum publicatis conventum Discalceatorum de Remediis in suburbio Trianae erexit. Hinc novi tumultus. Vargas veritus, ne Suarez a rege suppressionem istius conventus impetraret, nervosis litteris in Calceatos invexit, Discalceatos extulit (15 Martii 1574). Unde cum neque apud regem, neque apud archiepiscopum proficerent, Betici perterriti a Generali remedium postularunt. En qui paucis superioribus annis Generalis repudiata auctoritate a S. Sede visitatores apostolicos ab Ordine alienos eosque nationales impetrarunt, nunc ab istorum sententia Generalem appellant! Quo tempore S. Theresia priorissae Vallisoletanae scripsit: « Utinam scires quanta commotio viget, secreto quidem, in favorem Discalceatorum! Agantur Deo gratiae! Totum debetur Gratiano et Mariano in Beticam se conferentibus. At gaudium meum multum frigescit, eo quod dolori futurum sit Patri nostro Generali, quem maximopere diligo » (13 et 14 Maii 1574).

Ideo patentibus pro fundatione Almodovarensi expeditis (21 Junii 1574), Rubeus primum nuntium accepit de tribus iam per Beticam erectis conventibus Discalceatorum, Penuelensi, Granatensi et Hispalensi Remediorum, de nominatione Gratiani nedum in superiorem Discalceatorum (vice provincialis, quem ipse in litteris ad Di-

dat in Litteris datis Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV Aprilis 1575, Pontificatus sui anno 3° (1).

Iubetur deinde omnibus R. M. Provincialibus, ut reforment omnes Conventus illis creditos; quod si non effecerint, quam primum id legitime constiterit, volunt R. M. Generalem posse eorum Officiis statim illos privare; et unum ex Magistris praeficere in

---

dacum a Leone designaverat), sed etiam in visitatorem provinciae Beticae. Quae omnia suis iteratis concessionibus et prohibitionibus contraria esse videbantur. Indilate apud S. Sedem pro revocatione visitatorum agere coepit (3 Aug. a. c.) publicationem vero Brevis revocatorii usque ad praesens capitulum distulit (supra 143 r.). Nuntius autem apostolicus de his certior factus, legatina auctoritate fulcitus, sub die 22 Sep. a. c. loco visitatorum *reformatores* Carmelitarum constituit et quidem eosdam Petrum Fernandez y Orellana pro Castilia, Franciscum de Vargas et Hieronymum Gratianum in solidum pro Betica. Quae auctoritas 27 Dec. a Summo Pontifice confirmata fuit.

Generalis hucusque neque a S. Theresia, neque a Gratiano, Mariano, Baltasaro vel quopiam alio de rebus gestis in Betica certior factus, binas S. Theresiae litteras dedit, nempe mensibus Octobri a. c. et Januario 1575 quibus (uti e responsione videre est) accuratiorem gestorum relationem postulavit, nonnullaque acerbiora in Gratianum et Marianum protulit. quos ambitionis et disobedientiae accusavit. Quae litterae una cum responsionibus capitulo futuro, i. e. praesenti, exhibendae essent. Sed Divina sic permittente voluntate, epistolae illae S. Theresiae, tunc fundationi Beasensi incumbenti (quae fundatio quoad iurisdictionem ecclesiasticam ipsamet, inscia quidem Theresia, ad Beticam spectabat) nonnisi mense Junio 1575 capitulo iam absoluto, et quidem Hispalis porrectae fuerunt, ita ut in capitulo, deficientibus epistolis et relationibus Discalceatorum, absentibusque definitore et socio Betico et Castiliensi, solae Beticorum querelae audirentur. Hinc est quod capitulum inspectis patentibus et prohibitionibus Rubei, inaudita altera parte, tres conventus Beticos supprimendos, Discalceatosque ibi degentes infra tres dies recedendos, in contradicentes vero auxilium brachii saecularis invocandum esse censuerit. Sero tandem venientes litterae S. Theresiae ad Rubeum (18 Junii 1575) rem explicant, Gratianum et Marianum quidem contra disobedientiae culpam defendunt, quamvis ipsamet fateatur, eos circa modum operandi potuisse errare, attentisque virorum zelo et virtute, necnon confusione discordantium auctoritatum, pro eis Generalis veniam implorando. Cetera alterius sunt loci.

(1) Bull. Carm. II p. 183. Fuit lectum in initio Capituli.

Vicarium Provincialem, usque ad electionem consueto tempore habendam. Nulla Provincia audeat reeligere Provincialem elapso triennio Provincialatus, nisi antea consuluerit Priorem Generalem; cuius responsum expectabitur, ut faveat libertati Ordinis, vel ut habeat rationem alicuius urgentissimae necessitatis.

In nulla Provincia R. Provinciales constituant Vicarios suas vices gerentes, praeter quam in duobus casibus: alter si fuerit maxima locorum distantia; alter si in itinere haereticorum pericula imminerent.

Nullus Provincialis, aut Prior leviter aut praecipitanter sententias proferat in suos inferiores a quovis accusatos, nisi prius auditi fuerint, et etiam vel fuerint confessi, aut iuste convicti. Punientur delinquentes in Capitulo, vel in Refectorio, servatis modis Constitutionum Nostrarum; vel in locis in quibus Praeceptores docent Novitios, aut Professos. Nec pugnis, nec baculis percutiantur Fratres per Conventum a quocumque, nec a Superiore, nec quicquam praecipiti, aut animo furioso fiat.

R. Provinciales, aut Priores nullam pecuniam accipiant pro Litteris Dimissoriis, vel pro assumendis Sacris Ordinibus, vel pro Officiis collatis.

In suis visitationibus R. M. Provinciales, antequam recedant, S.mum Eucharistiae Sacramentum visitabunt; atque omnem suppellectilem, et Vasa Sacristiae, quam si immundam invenerint, et hoc statutum antea indictum et promulgatum fuerit; privent priores statim suis officiis, et carceribus sacristas tradant, disciplinis graviter puniendos.

Iidem contenti sint refectione frugali, ne fiant expensa importuna et gravia, neque ultra decretam a Provincia procurationem aliquid accipiant.

Procurabunt ut saepe visitent conventus, diligenter revisant libros Rationum; habeatur sufficiens Novitiorum numerus: et reformationi continuo invigilent. Et cum noverint conventum alere posse unum, vel duos studentes in Collegio Parisiensi totis viribus fieri impellant.

(151-v.) Animadvertent similiter, ne vendantur, alienentur, oppignerentur aut ulla palliatione intricentur stabilia conventuum, absque consensu Sanctae Sedis Apostolicae, sub poenis gravissimis contrarium facientibus.

Cavebunt ne fiant convivia ab illis, a Prioribus, vel ab aliis

Fratribus in cameris aut Hospitio cum saecularibus, nisi fuerint Magnates, Senatores et Nobiles; vel nisi fuerint dies festi, vel nisi fuerint convivia pro Missis novis, aut aliis occasionibus necessariis. Neque permittatur saeculares simul comedere cum Religiosis in Refectorio, quovis praetextu, etiam amicitiae, seu consanguinitatis, sub poena privationis loci, et vocis et inhabilitationis ad Officia Ordinis ad quinque annos.

Omni utentur diligentia, ut omnes celebrent Missam iuxta Rubricam Ordinarii, et Horae canonicae non intermittantur, devote recitentur diurno atque nocturno tempore: et summatim curabunt, ut in Conventibus vigeat pax et honestas, et foris bonum exemplum in aedificationem Populi.

Animadvertant omnes et Priores Provinciales atque locales in comitiis Provinciarum, Priores locales Conventuum, in quibus non possunt eligi socii Priorum iturorum ad Capitulum Provinciale, non habere locum, neque vocem activam: neque super hoc dispensari posse a R. Provincialibus, nisi contingeret, ob pestes, tumultusque bellicos, reductos fuisse ad minorem numerum: nam non decet Conventus paupertate oppressos privari eorum privilegiis.

Quia in aliquibus Provinciis nonnulli temere non solum parum aestimant Litteras patentes Prioris Generalis, sed etiam vilipendunt: idcirco R. M. Definitores decreverunt, et decernunt, Litteris Patentibus Mag.ri Generalis exhiberi debere reverentiam: non esse iniurias irrogandas iis, qui eiusmodi litteras praesentaverint, ac magis eos sustinere, donec veritatem Mag.ro Generali aperuerint; eius responsum expectantes; et si id facere recusaverint; statuunt, tam Priores Pro.ales, quam locales id facere praesumentes, mox esse privatos eorum officiis, et inhabiles esse ad quaevis officia spatio decem annorum.

Provinciales nihil habeant a conventibus pro quibusvis medicinis, et remediis, seu purgativis, seu praeservativis; sed tantum id habeant, quod in Statutis declaratum habetur.

Excepto tempore Visitationis, non habeant sumptus pro equis; et sint contenti communi convictu Communitatis Conventuum. Et non parum conduceret Conventibus, si modo in uno Conventu, modo in alio commorarentur, ad evitandos nimios sumptus. Si equis alendis indiguerint extra tempus Visita-

tionis, non gravetur unus aut alter Conventus, sed Provincia decernat quid agendum; et cessantibus necessitatibus vendantur.

(152-r.) R.di Pro.ales, et Capitula Pro.alia non audeant Statuta condere, quo restringant auctoritatem R.rum Magistrorum diffinitorum alicuius Capituli Generalis praesentis aut futuri; neque auctoritatem Prioris Generalis; nec quod in aliquo repugnet Constitutionibus Generalibus Patrum Nostrorum. Et quae hactenus ab eis facta fuerint, irrita esse et nullius valoris statuunt, et definiunt: nonobstantibus quibuscumque Constitutionibus antiquis Provinciarum, praedictis Generalibus Statutis, et auctoritati R.mi Patris repugnantibus; neque illorum consuetudinibus.

Executioni absque ulla excusatione tradent omnia Decreta Sacri Concilii; et caveant, ne transgrediantur decretum de promovendis ad sacros Ordines: tres namque conditiones esse necessarias statuerunt Patres. Ut sacris initiandi bonum habeant testimonium: decentem aetatem pro singulis Ordinibus habendis decretam: et aptam intelligentiam. Ut haec observentur R. Magistri Definitores dederunt auctoritatem Priori Generali, ut privet ab eorum officiis, atque puniat Pro.ales ab iis declinantes.

Statuerunt praeterea, et ordinaverunt, praedicatores recitare debere Salutationem Angelicam eo modo quo recitatur in Ecclesia Dei, absque ulla verborum accessione, aut detractione: nec ullum ad munus et officium praedicationis admittendum nisi fuerit habilis ad declarandum verbum Dei. Et si quis non idoneus fuit admissus, revocarunt illum ab huiusmodi officio.

Prohibuerunt subtilitates in suggestu, et in concionibus, quae in scholis solent haberi; cum ex eis populus nullam utilitatem consequi possit.

Praedicatores non utantur dialogis, neque disputationibus ad utramque partem; potissimum cum annuntiant dogmata catholicae Fidei.

Quolibet sabbato totam praedicationem, aut praedicationis partem habebunt de B.ma Virgine, Dei Genitrice, Montis Carmeli Domina. Hortantes omnes Carmelitas ituros ad civitatem seu oppidum, ut induti cappis albis, genuflexi in capitulo, vel in Ecclesia, recitent devote ter Salutationem Angelicam; et recordentur qualibet die Sabbati Completorium canere cum cappis albis,

et more processionis dispositi etiam canere Salve Regina, cum organo ubi adfuerit.

Qualibet die, dum non cantantur missae pro defunctis, ante Missam maiorem cantetur versus Veni Sancte Spiritus, sicut fieri consuevit in conventibus reformatis. Et qualibet feria V[a] in vesperis praecedentibus, et nocte in matutinis, et vesperis eiusdem diei fiat memoria de Sacratissimo Corpore D. N. J. C.; et in missa maiori eiusdem feriae V.; cum incipit elevari Corpus illud Sanctissimum cantetur versus Tantum Ergo, et Genitori Genitoque. Et cum pervenerint ad locum ubi est Sacramentum, non inclinent capita solum, sed flectant genua.

Unusquisque, qui debet praeesse Sanctimonialibus, teneatur veniam in scriptis obtinere a R.mo Generali Ordinis.

Scandalosos, et infames declaraverunt inhabiles esse ad officia Ordinis; et si nunc eiusmodi officia exercent, deponantur.

(152-v.) Ad nullum Monasterium Sanctimonialium, tam alterius Ordinis, quam nostri, nemo accedat absque licentia R. M. Prov.alis et superiorum illarum Sanctimonialium.

Nemini licebit habere pueros saeculares in conventu, quamvis necessarios, seu affinitate quavis convinctos.

Capitula culparum qualibet hebdomada fiant in conventibus, vel differantur iuxta laudabilem consuetudinem Collegiorum. Indumenta non ferantur more saecularium; neque aliqui utantur camisiis seu indusiis de lino, sicut antiquitus statutum fuit a Patribus nostris, absque licentia; quae nec concedi poterit, nisi in causis urgentibus, de Medici consilio.

Prohibuerunt etiam quibuscumque usum crepidarum extra Conventum: et usum birretorum cuiuscumque generis, extra Conventum et per Conventum.

Mandaverunt pariter omnibus, cuiuscumque conditionis, aut dignitatis extiterint, ut novaculis radant barbam, et tondant usque ad cutem; nonobstantibus quibuscumque in contrarium.

Nemo utatur pro habitibus scilicet Scapulari et cucullo, seu caputio, sargia atrabatensi, quam vulgo rasam appellant; et loco linteaminum stragulas laneas habeant; nisi conventus paupertas ab huiusmodi stragulis retrahat.

Observentur statuta de uniformitate vestitus, cantus Reformati, silentii, et quod fratres die, noctuque non congrediantur

in cellis, et cubiculis aliorum; neque assignentur Officia conventus Novitiis.

Officiarii debent eligi a Communitate Conventus: et claves horrei concludendae sunt in Arca trium clavium, ut nulla fiat dispositio tritici, aut aliorum bonorum, sine licentia et assensu R. P. Discretorum, seu Clavariorum.

Omnes fratres venatum quacumque causa euntes, privati sunt loco et voce.

Nemo Regularium Nostrorum confiteatur peccata sua quibusvis Carmelitis, si sint apostatae, vel sint hospites. Et nullibi ab uno et eodem sacerdote eadem die plures celebrentur Missae, quam una. Et hoc statuerunt, sicut et alia superius, sub poenis in Constitutionibus expressis; et peculiariter sub poenis in capite de contumacibus, rebellibus, et se erigentibus contra maiorem statutis et decretis.

Innovarunt caput de recurrentibus ad saeculares: et caput de conspiratoribus, et caput de contumacibus etc. Et poenis illic designatis affligantur quicumque detulerint processus et scrutinia facta in Provinciis, in Congregationibus nostris et Conventibus contra discolos quoscumque ad Principes tam Ecclesiasticos quam saeculares. Excipiuntur tamen processus in causa haeresis, qui debent fabricari consensu R.dorum Mag.orum Inquisitorum, et illis tradi sub poenis in iisdem capitibus statutis.

(153-r.) Lotrices conventuum non lavent Fratrum camisias lineas, nisi fuerint camisiae infirmorum, vel eorum qui a suis superioribus, iustis de causis, veniam eas deferendi impetraverint. Et camisiarum possessores puniantur, si absque licentia habuerint.

Regulares nostri qui habent cameras iuxta statuta nostri Ordinis sibi designatas, esto quod fuerint Magistri in Theologia, suo iuri aut commodis non reserventur, neque dimittant claves alicui privato; sed tantum Priori conventus; qui de eiusmodi cameris disponet, sicut statuta declarant. Nullus graduatus eximatur a conficiendo sacro toties quoties fuerit vocatus; solum actu legentes habeant suas libertates, et exemptiones circa Chorum, et esum in refectorio communi.

Studentes suis exemptionibus fruantur ad normam reformationis iam introductae; et non aliter, nec alio modo.

In choro servetur silentium, fiant inclinationes, et prostra-

tiones uniformiter; non deferantur libri; devote recitentur horae canonicae. Cantetur post alleluia versus: nonobstante quod pulsentur organa.

In nulla Provincia, recipiatur aliquis ad habitum nostrum, qui genitus fuerit ex progenie Maurorum; et ex eis qui originem duxerunt ab iis quos vulgo confessos appellant. Et nullus ex eis habeat regendi et gubernandi Officium in futurum, nisi in hanc horam extiterit gradibus theologiae affectus, vel nisi alias Prior fuerit; vel aliis regendi Officiis honestatus.

Quamprimum Priores locales suum officium absolverint, alius eligatur et sufficiatur, et idem non reeligatur.

Si R.di Prov.ales non curaverint ut Constitutionibus Ordinis obediatur, intimant eis R. M. Definitores, dignos esse ut suis priventur Officiis.

Qui Mag.ri et Patres Definitores mandant, et praecipiunt observari statuta quibus cavetur, Priores non exponere, neque recipere posse redditus Conventuum, non scribere libros computationum; imo nec apud eos illos libros retinere; cum ab aliis deputatis ea fieri debeant. Et dum Prior Prov.alis, aliquem Priorem aliter fecisse invenerit, statim privet Officio; et aeque ac inobedientem puniat. Quae observare debent sic decernente Statuto Ordinis a Patribus nostris, atque ad Regulam Sacro Sancti Concilii Tridentini.

Adhibebunt omnem diligentiam R. M. Provinciales, ut in Conventibus minoribus et parvis maneant ad minus quatuor Regulares.

Nullus ex professione aut ex obedientia Ordinis alterius, cuiuscunque dignitatis extiterit, moram habeat in conventibus nostris. Et si alicui concessum fuit ut maneat intra septa monasterii, vel in dormitorio, vel extra, removeatur statim a conventu.

(153-v.) Quicumque habuerint Patentes nostras, contrarias istis decretis R. M. Definitorum, nullius sint valoris, aut ponderis.

Obligarunt Provincias Hispaniarum, Franciae, et Italiae, ut singulae earum mittant duos Magistros in Theologia, doctos, bene moratos, et vitae regularis amantes in Germaniam Superiorem et Inferiorem; quo inserviant Religioni nostrae in explicandis lectionibus Sacrarum Litterarum, Theologiae, Philosophiae, et Casibus conscientiae, sicut iudicaverint fore opportunum. Et ubi manserint, superintendent etiam Prioribus, omnibusque Regula-

ribus, tam in rebus spiritualibus quam temporalibus, cum potestate omnimoda reducendi Carmelitas ad obedientiam Regulae et Statutorum.

Petentibus veniam eundi ad Priorem Generalem non denegetur. Si vero petens commisisset peccatum, de quo esset confessus, et convictus; prius puniatur, deinde impertiatur licentia.

Relinquitur consilio R. Praefectorum Provinciarum negotium de imprimendis libris chori. Prohibuerunt in posterum habitus mutationem in quacumque Provincia, sine licentia Prioris Generalis sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae.

Monent, et invitant omnes nostri Ordinis Professores, tam Regulares Viros, quam Sanctimoniales, ut orent assidue pro S. D. N. Gregorio XIII; pro ill.mis ac R.mi D.nis Cardinalibus Paulo Aretio huius civitatis Episcopo, et Philippo Boncompagno huius Sacri Ordinis Sapientissimo Protectore. Pariter pro ill.mo et Ecc.mo Duce Octavio, universaque eius serenissima Familia. Denique pro Amplissima et Munificentissima civitate Placentiae, B.mam Dei Genitricem Virginem Mariam Montis Carmeli Singularem Patronam, et Deo sacrificia offerant.

Cupiunt R. Diffinitores omnes Carmelitas propensissimum habere animum, fideles esse, atque in praecordiis retinere sanctam Ecclesiae Romanae Catholicae, Simbolicae et Apostolicae doctrinam, nec unquam ab illa deviare; aliosque Christifideles catholice instruere; et omnes haereses, etiam vitae discrimine, et effuso sanguine, occasione oblata, diluere, obterere, evertere et tollere radicitus.

Ego Fr. Laurentius Lauretus Prov.alis Romae interfui, et confirmavi omnia suprascripta. Ego Fr. Joannes Maijerius Provincialis Alemaniae inferioris interfui et confirmavi omnia suprascripta. Ego Fr. Erardus Prov.alis Lombardiae tertius Definitor interfui et affirmo. Ego Fr. Jovita Gorgonius Congregationis Mantuanae socius et quartus definitor interfui, et confirmavi omnia suprascripta.

Horum R.orum Mag.rorum Definitorum manus hic subiectae fuerunt; quia R.dus Vicarius Generalis et R.dus Definitor Congregationis Mantuanae, publicatis Comitiorum Generalium Actis, post vigesimum secundum diem ab eorum principio, quod fuit die vigesima prima Maii, recessuri erant; nempe praedicti R. Vi-

carius, et Definitor Congregationis; et ob maiorem cautionem, tres superiores Definitores subscripserunt, reliqua acta suis locis confirmaturi.

(154-r) Explicationes quarumdam difficultatum quae propositae fuerunt in Comitiis Generalibus, et primo de recipiendo R. M. Pompejo Ragusio in Diffinitorem Provinciae Siciliae.

Unanimi assensu consenserunt R. Definitores, et voluerunt R. M. nostrum Pompejum Ragusium Socium R. M. n. Prov.alis Prov.ae Siciliae, locum et vocem habere in Gremio Comitiorum, sicut caeteri R. M. Diffinitores; eo dum ipse R. M. Prov.alis Siciliae, quem aiebant navigio iter suum arripuisse, ad Comitia appareret.

Deinde R. Patribus Consiliariis existentibus in loco Capituli R.mus Pater Ordinis iussit legi Litteras excusatorias Prov.alium Provinciae Narbonae, Franciae, Congregationis Albiensis, Aquitaniae, Tolosae, Turoniae. Item quasdam litteras Alemaniae inferioris, nonnullorum Patrum chirographis obsignatas. Subinde perlectae fuerunt Litterae a Regularibus Conventus Bisuntini ad Comitia transmissae pro illis liberandis, ne subiiciantur Provinciae Narbonae.

Congregato etiam Coetu R. Diffinitorum in loco solito, proposita fuerunt quaedam, quae habentur in cap. de Officio Prioris Generalis, maioris declarationis gratia, eo quia in controversiam videntur reduci. Et inter alia considerata fuerunt ea quae habentur §. 5° de fugitivis quibuscumque recipiendis. Et omnes coniunctim id licere Priori Generali edixerunt.

Item: An possit libere et sine cuiuscumque contradictione transferre Fratres a Provincia in Provinciam, vel a Conventu in Conventum, secum asportata eorum legitima, seu portione, quae iure haereditario illis contingit. Responderunt, quod potest, ea tamen legitima remanente in Conventu, in quo primo Professionem solemnem emiserunt; nisi Conventus ille consenserit; vel nisi quando Priori Generali videbitur aliter expedire.

Praeterea. An possit Priores Locales ex causa utili et necessaria, quando sibi placuerit, absolvere etc.? Responderunt: Potest. Et si noluerit confirmare electum a Conventu, poterit Prior Generalis aliter providere. Imo absens habet auctoritatem in quocumque Conventu carente Priore, libere quem pro Con-

ventu utiliorem iudicaverit, instituere; et reliqua facere, quae continentur in Cap. de Officio Prioris Generalis.

Ob causas rationales moventes animum R. M. Diffinitorum, mature considerarunt expedire ut Conventus Mechliniensis, Bruxellensis, Antverpiensis, Tenensis, Angiensis, Giraldemontensis et... hactenus Reformati in Provincia Alemaniae inferioris, vivant sub Reformatione introducta a R. M. n. Petro Lupo; et semper praedicta Reformatio conservetur sub auctoritate ipsius R. M. Petri Lupi; eo dum R.mus Prior et Magister Generalis, vel sua praesentia Loca illa et Provinciam visitaverit, vel aliquos Visitatores transmiserit, pro omnibus sicut opus fuerit disponendis, instituendis, et ordinandis, componendis et in meliorem faciem redigendis.

Si R. Magister Prov.alis voluerit commorari in aliquo Conventu Brabantiae a nemine poterit impediri: sed animadvertat ut omnem favorem et auxilium verbis, observantia, et factis impendat R. M. Petro Lupo, ne quidquam detrahatur a Reformatione instituta, et instituenda, ad normam nostrarum Constitutionum et Decretorum Sacri Concilii Tridentini. (154-v.) Et manens in illis Conventibus, non poterit ullo praetextu animadvertere in aliquos Regulares.

Invigilabit R. M. Commissarius et Visitator praefatus, ut contineat intra limites Reformationis omnes et singulos supradictorum Conventuum Regulares. Et qui voluerit ab ea resilire, eos auctoritate nostra sibi concessa puniat, sicut Constitutiones nostrae explicant et decernunt. Cuius auctoritas et reformandi facultas ad eosdem Conventus nominatos extenditur; et reliquum Provinciae creditur prudentiae et diligentiae R. M. Prov.alis.

Fuerunt nonnulla in medium producta ex utraque parte non satis iuxta Sacros Canones, et Constitutiones nostras probata. Quare cum sint absentes Judices, nec possint agnoscere, an testes sint legitimi; imo habetur in iure Pontificio, causam ibi ventilari, ubi crimen commissum fuerit, R. M. Diffinitores statuerunt, et decreverunt, Visitationem aut Visitatores in Provinciam Alemaniae inferioris transmittendos, ut veritate cognita, iustum feratur iudicium, atque iustitiae fiat satis; Legibus enim est consulendum, et non verbis aut scriptis a quocunque productis.

R. M. Consiliarii et Diffinitores horum Comitiorum hortantur et monent R. M. n. Joannem Mayerium Prov.alem, quam citius fieri poterit visitare, ad sanctamque Reformationem nostrae Pro-

fessionis reducere omnium Conventuum nostrorum Germaniae Superioris Regulares: ut abstineant ab effraeni licentia intus et foris, ab indecenti convictu, ab omni proprietatis vitio; conveniant in Refectorium, et suas accipiant refectiones moderate, temperate, servato silentio: absurdus convivendi modus et diuturnitas sedendi in mensa eliminentur et omnino explodatur; quo Regularis vita intus et foris optime redoleat. Viri litterati, modesti et religiosi illis praeficiantur: Divinus cultus sit assiduus et devotus: Instaurentur Collegia pro studiosis. Et iidem R. M. Diffinitores R. M. Generalem obsecrant, ut mittat Regulares doctos et benemoratos ex Provinciis Franciae, Italiae et Hispaniarum; sicut etiam Sanctiss.mus D. N.r Gregorius Papa XIII, atque Ill.mi D.ni Cardinales indixerunt et proposuerunt eidem Priori Generali.

Decreverunt pecunias, et redditus pro studiosis Alemaniae Inferioris (quas bursas vocant) reponi in communi Arca depositi; nisi eiusmodi bursae a praecipuis Procuratoribus, et actoribus bursarum applicatae fuerint aliquibus peculiariter, et ubi non est reddenda ratio sub iuramento.

Intimatae fuerunt Litterae Apostolicae S.mi D.ni N.ri Pii Papae Quinti in subsidium fabricae novae Ecclesiae Divae Mariae Transpontinae: quibus Litteris statuitur, ut a singulis Conventibus pro quolibet centenario reddituum certorum ad rationem quinque Ducatorum solvi debere. Et domus quarum redditus certi ad centum Ducatos non ascendunt, duorum Ducatorum cum dimidio singulis duobus annis solvant. Quibus litteris intimatis et publicatis, earum tenore consenserunt mandari et praecipi a Reverendissimo Patre Ordinis, sicut mandat et praecipit in virtute sanctae obedientiae, et sub aliis poenis sibi bene visis, ut tradant et solvant iuxta dictam taxam, omni mora et dilatione postpositis. Et hoc anno solvere incipient.

(155-r.) Die Lunae, quae fuit 6ª Junii, circa horam Vesperarum R. M. Consiliariis in loco Capituli simul iunctis, comparuerunt R. M. Socius Provincialis Provinciae Lusitaniae, et Diffinitor illius Provinciae pro Comitiis Generalibus, et exhibuerunt Litteras suae electionis R.mo Patri Ordinis, quas iussit legi; et perlectis, ab omnibus receptis et admissis, datus fuit locus Diffinitori illius Provinciae scilicet R.do M.ro Praesentato Petro

Brandanio (1). Fuerunt etiam lectae Litterae culparum Regularium Conventus Ulissiponae, in quibus nemo repertus fuit qui de aliquo crimine accusaretur.

Hinc ventum est ad concessionem factam a R. M. Provinciali Provinciae Narbonae, et Patribus Conventus Lugdunensis, in gratiam et favorem R.mi D. Episcopi Damascensis M. Jacobi Maistret Suffraganei Lugdunensis. Qua constat, illos Patres consensisse et concessisse dicto R.mo D. Episcopo, ut vita eius durante possit gaudere omnibus bonis mobilibus et immobilibus, ac Domo de Turre cum deambulatorio, cubiculo, ardeti et horto sibi contiguo, et de eisdem disponere in praesenti et in futuro pro sua bona voluntate, etc.; sicut latius in Litteris concessionis huiusmodi habetur; quae omnibus audientibus perlectae fuerunt. Et quia illae Litterae omnino et Sacro Concilio, et nostris Constitutionibus adversantur; ideo totum hoc negotium remiserunt prudenti ac sapienti iudicio R.mi Patris Ordinis.

His peractis, R.mus Pater Ordinis R. M. Diffinitores percunctatus est de studentibus praesentatis a R.dis Provincialibus Provinciarum promovendis ad gradus Theologiae; nempe si omnes aeque ac idoneos acceptassent et approbassent. Qui responderunt, se quidem omnes illos acceptavisse et approbasse; sed id totum reliquisse iudicio, voluntati et arbitrio ipsius R.mi Patris.

R. Mag. Diffinitores in Consilio considentes, et negotium R. Congregationis Mantuanae discutientes, scilicet de loco illi Congregationi in Comitiis Generalibus Ordinis assignando: post multas disceptationes et consultationes, negotium illud ad vota secreta calculorum reduxerunt ad normam Sacri Concilii: et ex quindecim eligentibus unus habuit votum neutrum; tres vero dederunt votum negativum: coeteri omnes, nempe undecim, iudicarunt honestum fore atque rationabile, Congregationem Mantuanam loco superiore donandam esse; atque debere praecedere Congregationem Albiensem, sententiam definitivam relinquentes iudicio ac voluntati S.mi D.ni N.ri Papae. Et propenderunt in praedictam Congregationem Mantuanam, quia est antiquior: et quia Congregatio Albiensis suppliciter obsecravit Leonem X, ut privilegiis Congregationis Mantuanae muniretur et exornaretur. Sed decreverunt ipsi R. Diffinitores, quod si R.dus Vicarius Con-

(1) Supra Brandonis.

gregationis electus fuerit in Diffinitorem, locum habeat inter Provinciales; si vero contingerit, Socium praenominati R. Vicarii in Diffinitorem eligi, habeat locum post Provinciales et Socios R.mi Patris Ordinis; sicut modo retinet R. M. Pompeius Ragusius Diffinitor Provinciae Siciliae; et R. M. Antonius Puyol Diffinitor Provinciae Cataloniae.

(155-v.) Item Patres Primarii seu Diffinitores iudicarunt, etiam auctoritate Apostolica, amovendos esse Carmelitas primae Regulae, qui vulgo Discalciati nuncupantur, a Conventibus obtentis extra Provinciam Castellae; et etiam si quos in Castella accepissent contra Patentes et institutiones R.mi Patris Generalis, ab eis excludi et reiici. Item quod visitentur, et debitis institutis iuxta priorem Regulam constringantur. Si vero aliqui ex illis obedire recusaverint; citamus eos ut coram nobis compareant, infra spatium trium mensium, a die quo obedire recusaverint.

Ad proposita Magnifici Domini Julii Caesaris Equitis Valmarana, R. M. Diffinitores responderunt, manentibus illis conditionibus, nihil faciendum esse.

Pro Conventu Bisuntino statuerunt R. M. n. Pro.alem Franciae, unius mensis interiectu a receptis litteris R.di Diffinitorii auctoritate conscriptis, sufficere unum ex Magistris doctioribus, qui legat ut legi consuevit in Collegio Granvellano; et eo in Conventu instituat Priorem; qui omnia, tum temporalia, tum spiritualia, servata pace et honestate illius Monasterii, fideliter et recte administret: et illi Priori R. M. designatus superintendat. Sint utrique vitae regularis amantes. Quod si ille Pro.alis hoc Decretum executioni non demandaverit, ius et proprietas illius Conventus, ob ultimam voluntatem illius Fundatoris remaneat Provinciae Franciae; et illius Conventus administratio et Lectio illius Collegii subiiciatur, vel disponatur per Priorem Generalem ex aliis Provinciis.

Prior ac M.r Generalis coram exposuit, onus esse suis viribus impar Hospitium Sancti Martini in Montibus de Urbe, cum nulla Provincia illi opem ferre velit; ideo idem Generalis indixit se ut antea effecturum, scilicet quod dabit Hospitibus chirographum, quo possint se extra Conventum ad Hospitia recipere. Haec deprompsit, ne quis ei oggarire iuste possit.

Enuntiavit similiter, se non recepturum Litteras cuiusvis Provinciae, aut Regularis nostri Ordinis, nisi eiusmodi Litterae a

solutione portus exemptae fuerint; qui iniquo fert animo, ab iis duobus officiis se abducturum; sed paupertas ad ea adigit et impellit.

Decretum fuit, Diploma Apostolicum contra incorrigibiles in omnibus Provinciis executioni demandandum, R.di Pro.alis consensu et iussu, praemissa monitione in eum Religiosum, qui fuerit vel confessus, aut legitime de incorrigibilitate convictus et omnibus servatis quae in eodem Diplomate Pii Quinti fel. record. continentur.

Ab eisdem R. M. Diffinitoribus decretum fuit, auctoritatem Priori Generali a Patribus decretam, tam ea quae explicantur in cap. de Officio Prioris Generalis, quam illa quae sparsim habentur in Constitutionibus, sive pro gratiis, sive pro institutis, sive pro iustitia exequenda, et pro quibusvis sententiis ferendis, integra et libera remaneat; et declararunt Statutum Comitiorum Generalium Romanorum, nempe Pro.alem electum esse confirmatum, nullius esse roboris atque momenti; ob id quod aliqui Provinciales illius sensum obliquarunt et detorserunt: imo excerebrarunt.

(156-**r.**) Amplius definiverunt, omnes nostri Ordinis Regulares, qui hactenus se erexerunt in Priorem Generalem, si non resipuerint, puniri aeque ac incorrigibiles, et habitu privati, a conciliatione nostra prorsus explodantur, nunquam in posterum ad hunc Ordinem recipiendi.

Denique fuit lectum et publicatum, atque a praedictis R. Diffinitoribus receptum Breve sive Diploma Apostolicum, ut nullus Pro.alis Magnatum quorumcunque tam saecularium quam Ecclesiasticorum, quacunque dignitate et auctoritate, ac excellentia fulgentium, auxiliis seu favoribus eligi possit, et quod ipsi Pro.ales confirmentur a Priore Generale; cum inhibitione, et suspensione a Divinis quibuscunque Praelatis, etiam de Latere Legatis; et ipse Generalis inobedientes debitis poenis puniat, atque per Pro.ales indebite expulsos ad Religionem ac pristinum statum, maxime in provincia Lusitaniae, restituat.

Fuit propositum, tres Provincias Hispaniarum, scilicet Cataloniae, Aragoniae et Bethicae constringi debere ad solutionem centum viginti quinque ducatorum pro expeditis Litteris Apostolicis in favorem libertatis illarum Provinciarum, ne ulterius inviserentur a Visitatoribus Apostolicis; et ex illius pecuniae

summa refunderentur Provinciae Castellae centum; ac viginti quinque coronati Priori Generali qui solvit Secretario et Scriptoribus Apostolicis ea viginti quinque scuta. Nec Provincia Castellae tenetur ad eam pensionem; cum exposuerit plusquam ducenta scuta pro sumptibus factis ab illius nuncio, illiusque Socio seu famulo, qui dixerunt, ab illis Provinciis praedictam Summam solvendam esse. Et ne Provincia illa aere alieno contracto diutius alligetur, decreverunt, omnes redditus Conventus Metinensis solvi creditoribus Provinciae, ad complementum solutionis.

Rev.di Patres Consiliarii statuerunt, R.dos omnium Provinciarum Prov.ales, qui in posterum tempore praescripto in Constitutionibus Ordinis non solverint taxam R.mo Patri Ordinis decretam pro conservatione ipsius Ordinis, cessante legitimo impedimento, ipso facto suspensos esse ab eorum Officiis.

Item intelligi voluerunt de Prioribus Localibus, Vicariis, et Custodibus Conventuum, qui statuto tempore non solverint R. M. Prov.ali taxas, quae a singulis Conventibus, iuxta Patrum decreta, solvenda veniunt.

Item decreverunt, quod ex Proventibus, qui hactenus recepti sunt ex pecuniis Conventuum Terrae Sanctae satisfiat R.mo Patri Ordinis pro taxis, quae ab illa Provincia transactis annis solvi debebant; usque ad annum, quo crudelis Turca eam Insulam expugnavit et fuit depopulatus.

Item quod deinceps Provincia illa Terrae Sanctae haud quicquam solvat, donec ad meliorem alibi resurgat conditionem, sed aliae Religionis Provinciae conferant et suppleant pro ea pecuniarum summa, quam illa Provincia solvere consueverat; solvebat enim quindecim scuta quotannis.

Item quod a singulis Provinciis colligantur scuta quindecim pro taxis Religionis supplendis; habita tamen ratione earum Provinciarum, quae propter haereticorum insultus non ita facile et prompte solvere possunt.

Declararunt, pensiones pro confirmationibus et promotionibus, iuxta antiquam consuetudinem Ordinis fieri debere. Quae pensiones dabuntur in supplementum taxarum; quia taxae ordinariae sunt tenues.

Declararunt similiter, R. M. Diffinitores habere liberam facultatem privandi ac deponendi Priorem ac Magistrum Generalem,

si unanimem habuerint consensum et si Magister Generalis in omnibus casibus in Constitutionibus expressis, vel in aliquo eorum, fuerit iuste deprehensus, nec aliter, nec alio modo.

(156-v.) Rationem etiam habentes obsequiorum, quae R. M. Procurator Ordinis in Curia Romana obire solet, in communem nostri Ordinis commodum, et utilitatem, decreverunt Procurationi suae addenda esse decem scuta, ut habeat scuta quinquaginta auri in auro; si videbitur Priori Generali.

Decreverunt, solvi debere ab omnibus Provinciis pecunias, quas exposuit Prior Generalis, pro expediendis pluribus Litteris Apostolicis, pro causis, et controversiis absolutis in favorem et gratiam obedientiae, ac unionis communis; quarum summa excedit summam trecentorum quinquaginta ducatorum, sicut examinarunt et cognoverunt R. M. Diffinitores.

Quo ad gratias.

Remittitur R. Petrus Philerius in Conventum Venetiarum inter Magistros, cum septennem poenitentiam aequanimiter persolverit, cum voce activa et passiva, et restituerunt ipsum in integrum in omnibus.

Solvunt ab exilio F.rem Joannem Baptistam Miranda; et concedunt, ut se recipere possit in Provinciam Terrae Laboris, extra Conventum Neapolis, ad beneplacitum M.ri Generalis.

Idem effecerunt cum Fr. Julio Capocefalo et cum Fr. Vincentio Lepore, sed is fuit admissus.

Restituerunt Fr. Donatum in Conventum Criptaliarum, et Fr. Dominicum Tagliafigum in Conventum Neapolitanum: sed Fr. Donatus postea fuit relictus judicio R. M. Prov.alis (1).

F.rem Hieronimum Cilestrium collocaverunt in Provincia Neapolis; iis conditionibus, quod si aliquod scandalum perpetraverit; vel in Regnum Siciliae commigraverit, alligetur triremibus ad tres annos.

Permiserunt Fr. Gasparem Nieto et Joannem de Mora retinere habitum nostrae Religionis, modo vivant sub obedientia Praelatorum illius Provinciae; et inhabiles ad Officia Ordinis perpetuo, ut inferius dicetur.

(1) Ultima verba alia manu postea addita sunt, sicut pluries factum est.

Condonarunt eis omnes poenas debitas, et misericorditer cum eis agentes consenserunt ut habeant titulum, seu nomen Magisterii, cum exemptionibus consuetis; sed statuerunt, ac deliberarunt, illos perpetuo esse inhabiles ad Officia Ordinis; si aliter eis non fuerit relaxatum per Capitulum Generale aut per Priorem Generalem.

Fratrem Joannem Antonium Bavarum (1) Bituntinum ab iniunctis poenis liberarunt; et ordinaverunt, quod possit suum studium persolvere in nostro Collegio Catanensi inter Lectores: sic tamen, quod a Provincia Siciliae non possit discedere sine licentia Mag.ri Generalis.

Condonarunt residuum poenae, quam in triremibus solvere debebat, Fr. Prospero Neapolitano; ea tamen conditione, ut abscedat a Civitate Neapolis ad tres annos proxime futuros.

Ex benignitate Magistrorum Diffinitorum, additus fuit unus annus Officii Provincialatus R. M. Prov.alibus Tusciae, Romandiolae, Marchiaeque Anconitanae, Venetiarum, Apuliae; potissimum ob propensam obedientiam proficiscendi ad Comitia Generalia; ob labores item, atque itineris maxima pericula.

Cooptari voluerunt, et cooptatum esse in filium Conventus Placentiae declararunt Patrem honoris Anselmum Pallazolium; cui dederunt locum, tam in Conventibus, quam in Comitiis Provinciae post R.dos Magistros in Theologia de cursu immediate.

(157-r.) Confirmaverunt Vn. Patrem Gasparem Berum Provinciae Alemaniae inferioris in suo Gradu Lectoratus et Biblici, quo donatus fuit a R.mo Patre Ordinis Romae in Conventu Sanctae Mariae Transpontinae die vigesima Maii 1573; eo quia Conclusiones Theologicas, et in aliis artibus docte ac laudabiliter sustinuit; Illi Assistente R. M. Joanne Baptista Soriano Procuratore Generale Ordinis; praesentibus etiam fere omnibus Studentibus et Patribus praedicti Conventus Div.ae Mariae Transpontinae. Quem etiam R. M. Diffinitores ordinaverunt Professorem Dialectices in Conventu nostro Coloniensi; si non impedierint eius infirmitates.

R. M. n. Augustinus Suarez Prov.alis nostrae Prov.ae Bethicae huc appulit ad nostra Comitia die octavo Mensis Junii et die 9. post Vesperas ingressus fuit Consilium seu Diffinitorium nostrae Religionis, cum illius Socio M. Didaco a Regibus (2);

---

(1) Provinciae Alemaniae Superioris.

(2) Didacus a Regibus. Laurea doctorali insignitus 20 Febr. 1565,

qui porrexit Litteras Provinciae aliorumque R. Patrum eiusdem Provinciae: et lectis Litteris dictae Provinciae, nihil fuit illis obiectum; Ideo habuit locum suum sicut Provinciae Diffinitor, inter alios Primarios seu Diffinitores.

Restituerunt in Provincia Lusitaniae omnes qui recesserunt ab ea absque licentia Superiorum, et se receperunt ad Magistrum Generalem; id humaniter expostulante R. M. Praesentato Petro Brandano (1) Diffinitore; et illorum poenas omnes iniunctas vel iniungendas Patri Generali remiserunt.

Decreverunt liberam Magnificam Communitatem Gavii de Religione nostra benemeritam a solutione sex scutorum singulis annis pro celebratione unius Missae in Castro illius Communitatis diebus singulis a nostris Regularibus Gaviensibus, quantum ad eos pertinet.

Decreverunt bona quae iure haereditario contingebant quondam Patri Leonardo de Gotolengo, pertinere ad ipsum Conventum Gottolengi, in quo primo Professionem solemnem emiserat, et abolita fuit Conventus Cremonae praetensio.

Quo ad Condemnationes.

Ablegarunt et ablegatos esse statuerunt F.rem Joannem de Pao (2) et F.rem Dionisium a Conventu et Civitate Perpiniani per decennium ad triginta milliaria.

Item F.rem Baltasarem a Campo Rotundo (3) ablegarunt ab eodem loco, decem annorum spatio: et hi omnes manebunt privati loco et voce, nisi cum eis dispensaverit Capitulum Generale vel Mag. Generalis.

---

eodem anno visitationi Beticae incumbens inquisitionem instituit in Melchiorem Nieto; Sequenti anno fuit vicarius Utrerae tempore quo Michael de Ulloa prioratu per Gasparum Nieto iniuste privatus existebat; 1567 candidatus pro officio socii provincialis, 6 Jan. 1569 post obitum Melchioris Lusitani (supra 1564) a Rubeo constituitur prior conventus S. Luciae de Alcala de Guadayra. Praesenti capitulo absoluto confirmatur in suo prioratu in Betica (non dicit in quo conventu) usque ad 18 Oct. 1576.

(1) Supra Brandonis.

(2) Epaunensis.

(3) Campredon.

Capiatur Fr. Andreas Cadarset de Campo Rotundo, manens Apostata in Civitate Valentiae; et captus alligetur ad triremes pro ducendis remis ad quinque annos, ob delicta gravia ab eo perpetrata in Provincia Cataloniae. Et huius temporis prorogationem reliquerunt Priori Generali, nec non abreviationem.

Capiantur Apostatae commorantes in Dioecesi Tridentina, et aliis in locis nisi fuerint privati habitu Religionis.

Fratris Gabrielis Costae Messanensis, Alumni et Sacerdotis Provinciae Siciliae defectionem, seu apostasiam, creberrimas contumacias et rebelliones Priori Generali factas, resciverunt R. Magistri Diffinitores in consueto loco sedentes; et certiores facti quod Mag. Generalis, ob eius incorrigibilitates, idem Magister Generalis illum privaverat societate et habitu huius Ordinis, et idem remissus ad Vicarium SS.mi D.ni N.ri, eadem sententia fuerit mulctatus; tertio appellatione interposita a Signatura Iustitiae S.mi D.ni N.ri traductus fuerat ad iudicium Auditoris Camerae Apostolicae; a quo tertia eiusdem tenoris sententia promanavit. Denique quod a Sanctae Inquisitionis Officio fuit profugus; eum incorrigibilem, et iuste nostra societate et habitu privatum confirmaverunt, (157-v) atque iudicarunt, si captus fuerit, alligandum esse ad cuiusvis Principis triremes perpetuo.

R. M. Consiliarii et Diffinitores, praesente Priore ac M. Generali, auditis culpis F.ris Nicolai Storarii, et gravibus latrociniis ab eodem Generale expositis, et simul proposita parte, an deberet relegari ad aliam Provinciam perpetuo, destitutus omnibus gratiis, favoribus, et actibus legitimis Religionis nostrae; vel alligandus esset ad triremes: per vota secreta cum id expertum fuerit, septem vota habuit ut adstringeretur ad triremes; et octo in sui favorem, ut ab illis eximeretur. Pro exilio autem undecim obtinuit in sui gratiam, nempe ut exemptus a triremibus relegaretur, et quatuor in contrarium. Qui transmissus fuit in Provinciam Apuliae, privatus ut dictum est.

Item sanxerunt, F.rem Marianum (1) alias Heremita del Terdo, et Fratrem Balthasarem Nieto (2) alias Ordinis Minimorum

(1) Marianus eremita del Terdo. Marianus Azaro, inter Discalceatos Ambrosius Marianus a S. Benedicto, cujus vitam refert S. Theresia, Lib. Fundat. c. XVII. De eo passim supra in nota ad fol 150 v.

(2) Baltasar Nieto. Germanus Gaspari et Melchioris, natus Zafrae Extremadurae Ordini Minimorum nomen dederat, sed ex Indulto Apo-

si non resipuerint ab eorum inobedientia, et rebellione adversus Patentes Prioris Generalis, tanquam incorrigibiles expulsos esse ab Ordine Carmelitarum; et reliquerunt eidem Generali, ut eos remittat ad primam eorum professionem.

F.rem Franciscum Monacellum, tanquam maledicum, et obtrectatorem privaverunt loco et voce tam activa quam passiva; et declararunt eum inhabilem ad omnia Officia Ordinis in futurum, nisi aliter cum eo dispensatum fuerit; simulque statuerunt, tam in judicio, quam extra judicium, non posse recipi in testem, quia accusavit R. M. Caesarem (1), et a probationibus defecit.

Confirmaverunt privationem F.ris Vincentii Gambardella Neapolitani ab habitu, et Societate nostra, ob eius incorrigibilitatem.

Laudaverunt sententiam latam contra Fratres Fabricium Salomonium, Petrum Marinum de Cilento, et Laelium, ut maneant in triremibus, sicut decrevit M. Generalis, usque ad tempus ab eo praescriptum.

Si Fr. Theophilus Drepanita (2) repertus fuerit, a quovis Priore, capiatur et alligetur ad triremes ad septem annos, reservata Patri Ordinis facultate contrahendi, aut prorogandi temporis.

---

stolico circa 1563 anno probationis non expleto inter manus fratris sui Gasparis tunc provincialis Carmelitarum professionem emisit habens in votis ad Indias se conferendi, sed remansit in patria. Ipse Pastranae habitum Discalceatorum sumpsit, quippe qui affirmante S. Theresia jam per aliquod tempus perfectioris vitae avidus fuerit et insuper reformam amplectendo poenitentiis impositis plus quam satis faceret. 13 Julii 1569 processione et sermone habito Marianum ejusque socium Carmelitarum vestibus induit et postea seipsum discalceavit. Decreto Antonii de Heredia tempore novitiatus novitiorum magistrum necnon vicarium conventus agebat, ac professione emissa a visitatore apostolico Petro Fernandez vicarius provincialis Discalceatorum constitutus fuit. Ratio cur praesens capitulum severius secum egit desumitur e fundatione conventus Granatensis contra explicitam prohibitionem Generalis facta uti in nota ad fol. 150-v videre est. Anno 1577 una cum Michaele a Columna falsa testimonia contra P. Hieronymum Gratianum dabat, at postea retractavit (cf. Ep. S. Theresiae 18 Sept. 1577 et in fine Oct. ejusdem anni). Fuit praedicator excellentissimus, sed homo inquietus, et impetuosus, tandem sancto fine a. 1589 Ulysiponae quievit.

(1) Magister Caesar, Probabiliter Basadonius.

(2) Theophilus Drepanita, Provinciae Siciliae, sacerdos.

Corroborarunt sententias de retinendis in triremibus ad tempus definitum Fr. Melgaregium (1), et .... donec poenas definitas luerint et expleverint.

Censuerunt manere privatum et spoliatum habitu nostro ac societate Fr. Lucam de Gragnano.

Absoluto negotio gratiarum, condemnationum, et aliarum rerum in Comitiis tractandarum pro regimine ac gubernatione huius Sacri Ordinis; ne quid remaneret inconsultum, quaedam alia proposita fuerunt, post Vesperas terminanda.

Definitiones posteriores.

Fuit expositum, aliquos in sui gratiam obtinuisse, ut amoveri non possent a Conventibus, absque assensu M.ri Generalis; et eas vocant Conventualitates perpetuas. Super his R. M. Diffinitores enuntiarunt, ab ipsomet Priore Generali, vel delendas esse, vel sua benignitate moderandas.

Fuit facta mentio quo ad Gradum Magisterii praesentandis; et determinarunt, Provincias neminem praesentare posse, si non compleverint Cursum legitime sub poena gravissima.

(158-**r**.) Propositum fuit de corrigendo, ac mendis purgando et in meliorem faciem reducendo Joannem Bacconitanum super quatuor Libros Sententiarum, et eius Quolibeta, ut rursum imprimantur: qui decreverunt, ad id faciendum seligendos esse ex nostris Sacrae Theologiae Magistris, ut eorum unusquisque partem assignatam a Priore Generali corrigat et purget: postea typis excudatur, ope et suffragio universae Religionis nostrae, sicut Prior Generalis Ordinis conventa et pacta cum Typographis contraxerit.

Lectae fuerunt Litterae Patentes R.mi Patris Ordinis tributae et concessae in Conventu Barchinonensi die vigesima sexta Julii 1567; quibus constitutus fuerit R.dus Pater honoris Valerius (2) Pater bene meritus de Religione Carmelitica, qui ultra

(1) Nicolaus Melgaregius, Hispalensis.

(2) Valerius. I. e. Valerius Venetus sive Montonius, de quo 1564. In fine diffinitionum notandum est S. Theresiam, Liber Fundationis c. XXVII, 18 affirmare Definitorium istius capituli sibi praecepisse ne unquam egrederetur conventum quem pro libitu elegerit; similiter in ep. ad Rubeum data in principio Februarii 1576. Sed cum in actis

annos triginta magnis laboribus fideliter Mag.ro Generali adfuit, citra omne scandalum intus et foris, sua vigilantia ac sollicitudine Comitiorum Generalium Romae habitorum, non solum Oeconomum sed famulum, se exhibuit; fuit eidem Priori Generali in Visitatione Ordinis ab obsequiis et comes; est etiam bonis moribus et virtutibus ornatus; quibus, ut ex eiusmodi Patentibus liquet, fuit institutus Pater benemeritus, vel Pater Reverendus, ut in posterum frueretur privilegiis, exemptionibus, praerogativis, quibus Magistri in Theologia formati potiuntur, et gaudent; et locum habeat inter Magistros formatos; imo praecedat eos, qui post hunc Gradum sibi collatum habuerunt: et ipse habeat locum in Comitiis Provinciae; sitque habilis ad functionem Provincialatus. Quae omnia R. M. Diffinitores laudarunt, approbarunt: et ob charitatem, qua usus fuit erga omnes in praesentibus Comitiis, Magistrorum nomine et dignitate coronari exoraverunt, decernentes, ut quoties in Comitiis Provinciae Venetiarum fuerit, sit Diffinitor aequali auctoritate cum aliis Diffinitoribus electis.

Decreverunt nunquam fieri debere locationes perpetuas, absque consensu Prioris Generalis, vel Summi Pontificis.

Consenserunt M. Generalem circumferre posse Librum Religionis absque sigillo, quandiu absolverit Visitationem Congregationis Mantuanae, ut repugnantibus possit ostendere quae fuerunt decreta a Patribus.

Rogaverunt Patrem Generalem Patres emeritos, quorum fit mentio cap. 17 primae partis Constitutionum, declarare gratiis et exemptionibus afficere, et potissimum ut locum habeant post Praesentatos, eximantur a Tabula communi, a Matutinis noctur-

---

capituli et diffinitorii istud non habeatur videtur quidem in votis diffinitorum fuisse non tamquam condemnatio sed ut merum desideratum. Praeterea in quadam Relatione Hispalis a. 1575 seu 76 facta refert Dominum Nostrum sibi dixisse fore consilium omnes Monialium conventus destruendi, sed contrarium eventurum. Praeterquam quod dubium sit utrum *Descalzas* et non potius *Descalzos* legendum sit, dicendum est, nullum unquam dissidium extitisse inter Sanctam Theresiam et Generalem seu capitulum generale quoad moniales, cum unicus conventus de quo difficultas oriri poterat (Beasensis enim anceps erat in limine Castiliae et Beticae) nempe Hispalensis tempore capituli nondum fundatus erat. Decursu temporis tamen quidam superiores Calceatorum, minime vero Generalis, etiam in moniales infensi fuerunt.

nis, Festis solemnibus exceptis; mutati a Conventu in Conventum habeant locum et vocem; possint se praesentare D. Ordinario pro Confessionibus audiendis; si tamen non apostataverint, vel non fuerint spurii, vel alterius Ordinis, vel alias turpi nota inusti post 20 annum professionis.

Revocarunt omnia Statuta et consuetudines Provinciarum, quae repugnant Statutis Generalibus Ordinis, et Sacri Concilii Tridentini.

Praeceperunt Provincialibus, uti omni diligentia circa Libros prohibitos, et nulla haeresis suspicio adsit.

Ordinarunt futura Comitia Generalia habenda esse vel Lugduni, vel Barchinonae, vel Vallisoleti. Horum locorum, vel alterius loci electionem, et temporis prorogationem reliquerunt, et remiserunt voluntati et authoritati Magistri Generalis absque ulla contradictione.

R. M. Diffinitores reservarunt sibi authoritatem ad decem dies, et rogaverunt Magistrum Generalem, ut quandiu manserit Placentiae obsignet Patentes Sigillis Capituli Generalis et Gremii.

Providerunt ut in scriptis publicatum fuit in Diffinitorio Provinciae Provinciae, Portugalliae seu Lusitaniae, et Bethicae. Mandantes sub poena rebellionis, et poenis privatoriis, ut poenae non recusent.

Facto fine pia laudetur Virgo Maria.

(158-v.) Ego Fr. Laurentius Lauretus Venetus S. Theologiae Doctor, Provincialis Romae, et primus Diffinitor interfui, et omnia suprascripta confirmavi. — Ego Fr. Joannes Mayerius S. Theologiae Professor, Provincialis Alemaniae Inferioris interfui, et omnia suprascripta confirmavi. — Ego Fr. Erardus Remensis S. Theologiae Doctor, Provincialis Lombardiae et tertius Diffinitor interfui, et omnia suprascripta confirmo. — Ego Fr. Joannes Renohardus Doctor Theologus Provinciae Provinciae Provincialis et quintus Diffinitor praescriptis Comitiis interfui, atque suprascripta confirmavi. — Ego Fr. Joannes Baptista Caffardus Senensis, S. Theologiae Doctor, Provincialis Tusciae, sextus Diffinitor suprascripta confirmo. — Ego Fr. Felicius Zuccolius Patavus Sacrae Theologiae Doctor, Provincialis Venetiarum et septimus Diffinitor interfui et omnia suprascripta confirmavi. — Ego Frater Angelus Emilianus Calaber, Sacrae Theologiae Magister ac octa-

vus Diffinitor interfui, et confirmo omnia ut supra, ut Provincialis Neapolis. — Ego Fr. Thomas Zanottus Lugiensis, Sacrae Theologiae Doctor, Provincialis Provinciae Romandiolae, Marchiaeque Anconitanae, nonus Diffinitor interfui, et omnia suprascripta confirmavi. — Ego Fr. Franciscus Vita Doctor Theologus, Provincialis Apuliae interfui et omnia subscripta confirmo, decimus Diffinitor. — Ego Fr. Augustinus Suarez Provincialis Beticus, et Diffinitor undecimus interfui, approbo omnia ista. — Ego Fr. Hieronymus Tostado R.mi Patris Socius approbo omnia ista. — Ego Fr. Valerius Montonius Venetus Prior Divae Mariae Transpontinae interfui et omnia suprascripta confirmo. — Ego Fr. Pompeius Ragusius Socius Siciliae affirmo omnia ista. — Ego Fr. Antonius Pujol Provinciae Cataloniae Diffinitor confirmo superius scripta. — Ego Fr. Petrus Brandani Diffinitor Provinciae Lusitaniae interfui, et omnia suprascripta approbavi; et ob reverentiam Reverendorum Provincialium inferius subscripsi, sine praeiudicio Provinciae nostrae Portugalliae, cui alius debetur locus. — (159-**r**.) Ego Fr. Martinus Garcia Magister Theologus, Diffinitor Provinciae Castellae appuli Placentiam post Comitia Generalia. Vidi quae decreta fuerunt a Patribus, et omnia acceptavi et accepto. In cuius rei fidem, meam subieci manum, absque praeiudicio loci Provinciae Castellae.

Reverendissimus Pater Joannes Baptista Rubeus Ravennas, in nostro Carmeli Sodalitio apicem tenuit annos sexdecim: extremum vitae suae confecit diem anno septuagesimo octavo supra millesimum quingentesimum in dimidio noctis diei quartae, sequenti die quinta Septembris. Nunc vero Carmelitae pro eius felicitate Summo Deo crebras praeces effundant; fuit enim Vir insigni pietate ornatus, in sermone dulcis, in eruditione clarus, et adeo S.mo D. N. Gregorio XIII gratus, ut pro singulari amore, quo erga eum afficiebatur, nostri Instituti Indulgentias nedum firmaverit, sed auxerit, et ampliaverit. Illius cadaver renascentem expectat Orbem in Ecclesia D. Martini in Montibus. In hoc vero saeculo vixit annos unum supra septuaginta.

(159-**v**.) Acta Comitiorum Generalium Fratrum Venustissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, in Aedibus Divae Mariae Transpontinae, et S. Martini in Montibus habita die XXII

Maii in Festo Pentecostes, Anno Domini M. D. L. XXX., sub felicibus auspiciis R.mi M.ri Joannis Baptistae Caffardi Senensis, totius Carmelitici Instituti Generalis Vicarii amplissimi. Praesente Ill.mo D. D. Philippo Bon Compagno Bononiensi Protectore dignissimo totius Religionis.

Si eadem in Coelo, quae in Terris, apud Deum quae apud homines ordinis ratio; Prisci illi, qui Religionem hanc nostram Sanctissimam fundaverunt; ne parum pii esse viderentur; cum alia permulta ad ornandum atque augendum nostri Carmelitici Sodalitii ritum; in caetera tamen Comitiorum gesta, et cerimonias, quae inferius scribenda sunt, maxima, cultuque digna iudicarunt; quasi nihil inveniatur, quod Regularium quieti tam facile conferat. Namque consulendo, iudicando, ordinando, praeficiendo publicae utilitati, et honestati occurrunt Primarii Patres, Provinciales, Socii, et Diffinitores; qui in omnibus agendis, quae ad Reipublicae Carmeliticae statum attinent, hanc methodum et normam servandam esse putarunt. Ea propter summo mane, facto de Spiritu Sancto Sacro, Suggestum conscendere datum est R. M. Jacobo Raymundo (1) Genuensi a Gavio; qui orationem habuit de Optimi Pastoris munere: et absolutis quae penes nostras Sacras leges fieri consueverunt, Primarii Patres Prioris Generalis electionem aggressi sunt. At priusquam eam ob oculos ponamus, prius eligentes recensere libuit, ut clarior ipsa appareat.

R.mus M. Joannes Baptista Caffardus Generalis Vicarius. R.dus Prov.alis Terrae Sanctae P. Valerius Montonus. R. Provincialis Siciliae M. Paulus Pelulphus (2). R. Prov.alis Romae M. Laurentius Lauretus. R. Prov.alis Vicarius Lombardiae Magr. Hieronymus Aleotus. R. Prov.alis Provinciae M. Andreas Chevillard (3). R. Prov.alis Thusciae M. Laurentius de Rochis. Reverendus Prov.alis Venetiarum M. Caesar Basadona (4). R. Provincialis Cathaloniae M. Hieronymus Tostatus. R. Prov.alis Ara-

(1) Jacobus Raymundi Gaviensis. In adventu Rubei Papiae, 25 Oct. 1567, habuit orationem latinam de ejusdem felici reditu ex Hispania; ibidem 1 Nov. ad gradum cursoratus promotus fuit.

(2) Paulus Pelulphus. Postea Philulphus.

(3) Andreas Chevillard. Prior Massiliensis a visitatore Petro Trocheo indebite ab ufficio suspensus Romam veniens a Generali reinstitutus fuit. 22 Sept. 1573.

(4) Caesar Basadona. Supra Basadonius 1575.

goniae M. Joannes Heredia (1). R. Prov.alis Neapolis M. Philocalus Faraldus. R. Prov.alis Romandiolae M. Grosostomus Stephaninus (2). R. Prov.alis Appuliae M. Caesar de Tripalda (3). R. Vicarius Aprutinus P. Jacobus de Caserta. R. M. Augustinus Vaghistellius (4) Socius R.mi Patris. R. M. Paulus Rondinus Socius R.mi Patris. R. Prior D. Mariae Transpontinae M. Marius Venturinus.

Socii

Primus Socius Siciliae, R. M. Alphius Mathioli. 2. Socius R. M. Seraphinus Carusius (5), Socius Narbonae R. M. Desiderius Buffet. 2. Socius R. M. Arnoldus Ricardus (6). 2. Socius Provinciae Romanae M. Joannes Antonius Bavarus. 1. Socius Lombardiae M. Elias Carnevalius.

(160-**r.**) 2. Socius R. M. Pontius Scalma. Socius Congregationis Mantuanae Vicarii R. M. Lactantius (7). Socius Castellae R. Praesentatus Christophorus à Tolleto (8). 2. Socius R. Praesentatus Petrus Rivvola. 1. Socius Provinciae R. M. Joannes Ronhoardus (9). 1. Socius Thusciae R. M. Ambrosius Praten (10). 2. Socius R. M. Angelus Senensis (11). 1. Socius Venetiarum

---

(1) Johannes Heredia. Praesentatus, a. 1569 inter defensores iibertatum Ordinis recensitus.

(2) Grisostomus Stephaninus. Supra 1575 Chrysostomus.

(3) Caesar de Tripalda. Prior Cryptalearum.

(4) Augustinus Vaghistellius. Supra 1564.

(5) Seraphinus Carusius. Annis 1563 (ut videtur) et 68 inter candidatos pro provincialatu Siciliae. 20 Aug. 68 constituitur iudex in quadam causa criminali.

(6) Arnoldus Ricardus. Nonne idem qui supra 1575 Hernandus Ricardus audit?

(7) Lactantius. I. e. Domaninus. Doctor Bononiensis 15 Julii 1757, Vicarius generalis Congregationis Mantuanae 1577-79 et 84-87. Obiit 1595 aetat. 55. Cf. Vaghi.

(8) Christophorus a Tolleto. Prior Abulae 1581.

(9) Johannes Ronhoardus. Verius Lenohardus, cf. capitulum praecedens.

(10) Ambrosius Praten (sis). Ambrosius a Prato supra 1575.

(11) Angelus Senensis. Habuit licentiam ad construendum ecclesiam et coenobium in oppido nuncupato Abbatia S. Salvatoris in districtu Senensi infra duorum annorum spatium et manendi apud ab-

M. Angelus Panciera (1). 2. Socius M. Cornelius Gottardus. 1. Socius Cathaloniae R. M. Joannes Pedrol (2), qui doloribus stomachi pressus iacebat. 2. Socius R. Praesentatus Matheus Heres. 1. Socius Aragoniae R. Praesentatus Eligius a Jerve. 2. Socius R. Praesentatus Joannes Ezzera. 1. Socius Neapolis R. M. Carminius Philimarinus. 2. Socius R. Bacchalaureus Salvatorius Palmerius. 1. Socius Romandiolae R. M. Sebastianus Avezzanus. 2. Socius R. M. Faelicius Fusarius. 1. Socius Appuliae R. M. Joannes Baptista Ciprianus (3), qui doloribus pressus, votum non dedit. 2. Socius R. M. Albertus Mandatoritius. 2. Socius Bethicae R. M. Joannes De los rios (4). Socius Calabriae R. Bacchalaureus Leonius Sangaletus. 2. Socius R. Bacchalaureus Aurelius Florentinus (5).

Ex eligentibus superius positis facile dignoscitur, placuisse Primariorum Patrum coronae eligere in Priorem Generalem R.mum Joannem Baptistam Caffardum; qui habuit in sui commodum suffragia quadraginta duo, forma electionis secretae servata; nimirum in parva schedula tantum electi nomen ab Ordinis Cancellario scribebatur, quae deinde ab eligente lecta in pixide plicata reponebatur: Et terminata electione, R· M. Pro.alis Siciliae Magister Paulus Pilulphus schedas sigillatim extrahebat; et R. M. Pro.alis Romae electi nomen alta voce promulgabat: Quare mansit electus per voces quadraginta duos Mag.r Joannes Baptista Caffardus in Priorem Generalem. Earum vero vocum quae supersunt supra numerum quadraginta duarum, unam habuit R. M. Hieronymus Tostadus; alteram vero R. M. Augustinus Vaghistellius. Hoc itaque modo electo totius Ordinis Praeside, inter R. Pro.ales primus P. Valerius Montanus Pro.alis Terrae Sanctae ipsum his verbis confirmavit: Ego Fr. Valerius Montonus Pro.alis Terrae Sanctae, ordine primus, pronuntio R.mum M. Joannem

---

batem et monachos habitu nostro retento ad explicandum artes liberales et etiam theologiam. 23 Maji 1568.

(1) Angelus Panciera. Anno 1575 fuit Romae cum Rubeo.

(2) Johannes Pedrol: In capitulo Perpiniani 1576 fuit primus diffinitor.

(3) Johannes Baptista Ciprianus. Supra 1564.

(4) Johannes de los Rios. Post studia agebat moderatorem juvenum Hispalis, licentiatus in theologia 28 April. 1574.

(5) Aurelius Florentinus, supra 1575 Aureolus.

Baptistam Caffardum Senensem esse Priorem Generalem Ordinis nostri; atque virtute privilegii Carmelitanae familiae indulti fore Priorem Generalem legitime electum, et confirmatum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Tunc R. M. Diffinitores, Pro.ales, Socii, et reliqui Patres in generalibus collecti, non mediocri laetitia *Te Deum Laudamus* concantantes, Carmelitarum Ducem ad Ecclesiam duxerunt: et nihil omittentes, quae ad Ordinis nostri cerimonias in Prioris Generalis electione attinent; singuli Fratres denique grati Parentis manus osculati sunt. Sic (160-**v.**) Carmelitae in Dei Laudem, et ipsorum Pastoris electionem Comitia sua auspicati sunt.

Series R.dorum Diffinitorum.

Primus Diffinitor R. Pro.alis Terrae Sanctae P. Valerius Montonus. 2. Diff. R. Pro.alis Siciliae M.Paulus Pilulphus. 3. Reverendus Pro.alis Romae M. Laurentius Lauretus. 4. R. Pro.alis Vicarius Lombardiae M. Hieronymus Aleotus. 5. R. Pro.alis Provinciae M. Andraeas Chevilard. 6. R. Pro.alis Tusciae M. Laurentius de Rochis. 7. R.Pro.alis Venetiarum M. Caesar Basadona. 8. R. Pro.alis Cataloniae M. Hieronymus Tostadus. 9. R. Pro.alis Aragoniae M. Joannes Heredia. 10. R. Pro.alis Romandiolae M. Grisostomus Stephaninus. 11. R. Pro.alis Apuliae M. Caesar de Tripalda. 12. R. Procurator Ordinis M. Timotheus Berardus. 13. R. Pro.alis Vicarius Aprutinus Pater Jacobus de Caserta. 14. R. M. Augustinus Vaghistellius Socius R.mi Patris. 15. Diff. R. Mag.r Paulus Rondinus Socius R.mi Patris. 16. Diff. R. M. Desiderius Buffet 1 Socius Narbonae et Diffinitor. 17. Diff. R. M. Lactantius Domaninus Congr. Mant. 18. Diff. R. M. Christophorus a Tolleto 1 Socius Castellae. 19. Diff. R. M. Carminius Philimarinus 1 Socius Terrae Laboris. 20. Diff. M. Joannes de Los Rios 2 Socius Bethicae.

Praesides Capituli.

In Spiritualibus, R. M. Nicolaus Aurificus. In rebus domesticis et familiaribus R. P. Honorius Julius Faberius.

Auditores Civilium.

R. M. Angelus Senensis. R. M. Franciscus Vita. R. M. Angelus Panciera. R. M. Elias Carnevalius. R. M. Eligius a Jerve. R. M. Cornelius Gottardus.

Criminalium.

R. M. Seraphinus Carusius. R. M. Franciscus Baccharius (1). R. M. Sebastianus Avezzanus. R. Praesentatus Matheus Heres. R. M. Alphius Mathioli. R. M. Ambrosius Praten(sis).

(161-r.) Gradu afficiendorum Litterario Examinatores.

R. M. Laurentius Lauretus Pro.alis Romae. R. M. Hieronymus Tostadus Pro.alis Cataloniae.

Diffinitorii Janitores.

R. M. Felicius Fusarius. R. P. honoris Anellus Camerdella (2).

Diffinitorii Collector.

R. Prior Sanctae Mariae a Sorbo, P. Vincentius Romanus.

Cursores Capituli.

Fr. Joannes Baptista Florentinus. Fr. Gulielmus Lombardus.

Pro Praedicationibus habendis.

Antequam coepta Comitia fuissent, Conciones habuerunt.

In aedibus Divi Petri.

R. M. Christophorus Silvestranus Regens Veronae. R. Baccalaureus Sebastianus Fantonus (3) Bacc. Conventus Neapolis.

In aedibus D. Mariae Transpontinae.

R. M. Ambrosius de Ambrosiis Regens Pisarum.

Incoeptis Comitiis Praedicatores fuerunt.

In aedibus Divi Petri de Vaticano in die Penthecostes non fuit habita concio.

In Ecclesia Putei albi. Sermonem habuit R. M. Pro.alis Venetiarum Caesar Basadona. In Carmelo Sanctae Mariae Transpontinae. R. M. Emanuel Turgius Pedemontanus. Feria 2. In Templo D. Petri R. M. Foelicianus Lunana Prior Papiae. In Puteo

---

(1) Franciscus Baccharius. Supra 1575 Bacearius, Bucearius.

(2) Anellus Camerdella. Supra 1564 Chamardellae.

(3) Sebastianus Fantonus. Postea Generalis.

Albo M. Desiderius Troncus (1) Siculus. In S.ae Mariae Transpontinae R. M. Cornelius Gottardus Regens Venet. Feria 3. In Vaticano Delubro R. M. Albertus Mandatoritius. In Puteo Albo R. M. Ambrosius de Ambrosiis Regens Pisarum. In Sancta Maria Transpontina R. M. Angelus Panciera Prior Vincentiae. Feria 4. In Sanctae Mariae Transpontinae Ecclesia R. M. Genesius Rosanus. Feria 5. R. M. Lucianus Siculus in eadem Ecclesia. Feria 6. R. Bacc. Leonius Sangalletus, ubi supra. Sabbatho. R. M. Elias Carnevalius, ubi supra. Dominica Sanctissimae Trinitatis. In aedibus D. Petri R. M. Nicolaus Aurificus. D. Mariae Transpontinae R. M. Christophorus Silvestranus.

(161-v.) *Series Disputationum.*

Quae habitae sunt in Alma Urbe in Ecclesia D. Mariae Transpontinae, ante Comitia, et Comitiorum tempore.

Et primo. Dominica infra Octavam Ascensionis, quae fuit dies decima septima Maii, insedit R.dus Mr. Christophorus Silvestranus, pro colligendo argumenta Lectore Petro Flandro; et fuit congressus frequens, et laudatissimus.

Sacro Pentecostes die, quae fuit 22 Maii, assistentibus tribus Cardinalibus Ill.mis et R.mis Gambara, Madrutio, et Justiniano, Cathedram eleganter scandere visus est R. M. Prov.alis Romae Laurentius Lauretus. Respondente R. M. Alberto Draga. Hi certe Litterariam palestram tam honorifice et egregie percurrerunt, ut communi Litteratorum applausu in sui amorem et benevolentiam praeditos Litteris Viros facile conciliaverint.

Die 23 pro Theorematibus strenue sustinendis, in arenam descendit R. M. Gaspar Beerus; cui praefuit R. M. Genesius Rosanus.

Die 24, ut veritas vigeret, studium disputandi ingressus est R. Praesentatus Christophorus a Tolledo; ultimam dicendo sententiam R.do M.ro Desiderio Buffet primo Socio Narbonae et Diffinitore. Die 25 primas obectiones eluendas suscepit R. Baccal. Sebastianus Fantonus, clipeo R. M. Carminii Philimarini munitus. Die 26 Argumentorum tela retundit Lector Joannes Baptista de Nardo Appulus; quem in victoriae palmam adduxit R. M. Albertus Mandatoritius.

(1) Desiderius Troncus. Supra 1575 Tronchetus.

Die 27 primas obiectiones suscepit R. Lector Joannes Stephanus Cremonensis proscindente nervos difficultatum R. M. Francisco Zamberto.

Die 28 solus insigni praestantia cathedram conscendit R. M. Petrus Dumas Regens Parisiorum ; qui sic docte, polite, et prompte obiectiones diluere visus est, ut in admirationem prope omnes transtulerit.

Die 29 quae fuit Dominica Sanctissimae Trinitatis, superiorem Cathedram occupavit R. M. Timotheus Berardus Ordinis Procurator : qui quidem laconice nodos et difficultates extricavit, una eum respondente R.do Praesentato Innocentio Baldo (1) Congregationis Mantuae. Die 30 Litterario certamini summa cum laude finem dederunt optatum R. M. Joannes Heredia Prov.alis Aragoniae et M. Joannes Herrera. (2)

(162-r.) QUO AD PROVINCIALES

Consiliarii Patres, de unanimi assensu in hanc sententiam venerunt, cum R. Provincialibus benevole agendum esse, ut super triennium suae functionis tempus addatur penes voluntatem R.mi Patris ; qui laborum, quos in itinere ad Generalia Comitia sustinuerunt, rationem aliquam habeat.

Quo ad Provinciam Terrae Sanctae. — Voluerunt praeclarum huius Provinciae titulum in nostrae Religionis decus et splendorem nequaquam demi ; sed nemini Provincialium perpetuo dandum esse existimarunt. Firmarunt itaque R. M. Valerium Montonum usque ad suum triennium, et ultra, si Gravissimo Patri placuerit.

Provincia Siciliae. — Lubuit Primariis Patribus R. Magistrum Prov.alem in suo munere perseverare, usque ud futurum Festum Penthecostes anni 1582., quo die Comitia Provinciae habentur.

(1) Innocentius Baldus, Bononiensis, natus 1544, doctor 21 Sept. 1582, procurator generalis Congreg. Mantuanae.

(2) Johannes Herrera. Duo fuerunt religiosi istius nominis, primus Abulensis qui annis 1538, 1550 et 1557 inter conventuales illius conventus recensetur tamen sine titulo academico, alter Valentinus de quo probabiliter hic agitur, ordinatus ad Minores ordines 21 Maj 1535 et sequenti die ad subdiaconatum. Cetera desiderantur.

Provincia Angliae. — Dispositioni R.mi Patris subiecerunt Angliae Prov.alis dispositionem.

Provincia Narbonensis. — Fungi voluerunt suo officio Reverendum M. Prov.alem usque ad complementum sui triennii: quo expleto, procedetur ad electionem novi Prov.alis penes nominationem a R.mo Patre factam; et si renuerint novam electionem Patres Primarii Provinciae, sint confossi latae sententiae excommunicationis gladio.

Provincia Romae. — Ex animo concesserunt R. M. Provinciali Romano ad annum Officium suum prosequi.

Provincia Alemaniae Inferioris. — Subditam esse voluerunt dispositioni R.mi Patris.

Provincia Lombardiae. — Electio fuit proposita novi Provincialis, quoniam Vicarius in regimine aderat; et ne consueto Rectore Provincia destitueretur, fuere propositi ad huiusmodi prefecturam R. M. Hieronymus Aleotus (1), et M. Albertus Pectius. Per suffragia itaque secreta, ille supra M. Hieronymus Aleotus habuit vota sexdecim affirmativa, et duo negativa. Hic vero M. Albertus Pectius sexdecim negativa, et duo affirmativa, ea propter remansit Pro.alis legitime et canonice electus R. M. Hieronymus Aleotus.

Provincia Aquitaniae. . . .

Provincia Castellae. — Admiserunt R. M. Angelum Salazarum, ex nunc incipiendo suum terminare triennium.

Provincia Hiberniae. — Elegerunt in Pro.alem Hiberniae R. M. Magonium Moc Suibrie (2).

Provincia Provinciae. — Tribuerunt R. M. Pro.ali Provinciae functionis suae annum supra triennium.

Provincia Tusciae. — Addiderunt annum functionis Reverendo Magistro Pro.ali Tusciae supra suum triennium.

(162-v.) *Provincia Venetiarum.* — Non deficiet a suo munere M. Pro.alis per annum supra triennium.

Provincia Tolosae. . . .

Provincia Franciae. — Confirmarunt in Pro.alem R. M. Simonem Pinguard, usque ad complementum sui triennii.

---

(1) Hieronymus Aleotus, Brixianus, nepos Stephani Facini (supra 1548), Paviae 1 Nov. 1567 baccalaureus designatur; terni ducati sibi destinantur e bonis avunculi pro libris emendis. 30 Junii 1572.

(2) Magonius Moc Suibrie. Supra 1575 Mac Suigne.

Provincia Cataloniae. — Decreverunt, R. M. Pro.alem Hieronymum Tostadum perseverare in sua functione usque ad annum octuagesimum primum supra millesimum quingentesimum.

Provincia Alemaniae Superioris. — Confirmaverunt Reverendum Magistrum Jacobum Ochsenhardum usque ad aliam R.mi Patris dispositionem.

Provincia Guasconiae. — Quam primum Pro.alem illius Provinciae annuerunt eligi ad libitum R.mi Patris.

Provincia Turoniae. — Confirmaverunt in R. Provincialem M. Joannem Brandon (1).

Provincia Saxoniae. — Iusserunt Pro.alem istius Provinciae obtemperare Pro.ali Alemaniae Superioris.

Provincia Aragoniae. — Annum supra triennium R. M. Provinciali Primarii Patres suae functioni suppeditarunt.

Provincia Terrae Laboris. — Statuerunt Provincialatus functionem esse suspensam, donec quid causae decernatur.

Provincia Romandiolae. — Obnixe rogati R. M. Diffinitores absolverunt a sua functione R. M. Grisostomum Stephaninum ; et mox mandarunt, novam electionem Pro.alis haberi, in qua propositi fuere R. M. Sebastianus Avezzanus, et R. M. Dionysius Facharus : M. Sebastianus canonica et secreta electione habuit suffragia omnia in sui favorem, et gratiam ; et quoniam Gradu Magisterii est primus affectus, M. Dionysio non opus fuit calculos et vota dari pro ipsius electione ; namque esto quod omnia habuisset vota affirmativa, remansisset electus Pro.alis R. M. Sebastianus Avezzanus antiquitatis iure.

Provincia Daciae et Boemiae. — Consuluerunt Optimates Patres his Provinciis opportunum adhibendum esse Rectorem.

Provincia Appuliae. — Accipiet annum suae gerendae administrationis supra triennium R. M. Pro.alis.

Provincia Bethicae. — Non fungetur suo munere Reverendus M. Pro.alis, nisi usque ad Dominicam tertiam post Pascha.

Provincia Calabriae. — Communi opinione rati sunt opportunum fore, ut R. M. Angelus Emilianus eligat duos in Religionem Primarios Patres Magistros ; qui causam suam agitent, et agnoscant. Coeterum eum absolverunt, et absolutum declara-

---

(1) Joannes Brandon. Videtur lapsus calami pro Petrus.

runt a Provincialatu Patres Diffinitores, auctoritate in Comitiis Generalibus ipsis credita.

(163-r.) *Vicaria Aprutina.* — Quoniam P. Jacobus de Caserta rogatum voluit R. Diffinitorium, ut sibi indulgere habeat Praefecturam alteri exhibere; huic postulationi animum adhibentes Patres Primarii, electionem fiendam novi Praefecti ordinarunt. Propositi itaque fuere ad Aprutii totius curam R. M. Caesar Spinola, et R. P. Ascensius Gattus. Ille, scilicet M. Caesar, habuit canonice et secrete vota quatuordecim affirmativa, et quinque negativa; et P. Ascensius duodecim affirmativa, et septem negativa. Remansit electus Vicarius Aprutii legitimus M. Caesar Spinola.

De Ordinis Procuratore. — Postmodum R.mus Pater propria auctoritate confirmavit R. M. Ordinis Procuratorem R. M. Timotheum Berardum.

De D. Mariae Transpontinae Priore. — Confirmaverunt R. M. Marium Venturinum Senensem.

De Priore in Conventu Parisiorum. — Statuerunt R. M. Desiderium Buffet Generalem Vicarium praesentare Magistros cuiuscumque Provinciae Galliarum pro electione R.mo Priori Generali; qui ex praesentatis unum postmodum constituat in Priorem Parisiorum quem ipse aptiorem iudicaverit.

In Conventu Neapolis opportune providebitur.

In Conventu Drepani. — Confirmaverunt R. M. Aegidium de Honestis (1) ad biennium, ut perficiat structuram, coeptamque fabricam.

PRO STUDIIS, STUDIOSORUMQUE PROMOTIONIBUS.

In primis; percepta, et bene intellecta deploranda Collegii Parisiensis ingenuarum Artium inscitia, et ignoratione, eiusque causa; Designarunt R. M. Diffinitores, instituendum esse Generalem Vicarium in Conventu Parisiorum; qui illius celeberrimi Gymnasii omnia agnoscat, de Domus regimine, de moribus, de studiorum profectu, et de necessitate novi Prioris constituendi, R.mum Priorem Generalem monitum velit, et faciat certiorem: et

---

(1) Aegidius de Honestis. Ad cursoratum theol. promotus 6 Septembris 1565.

mox fuit suffectus in praedictam Generalis Vicarii Praefecturam R. M. Desiderius Buffet; cui per Litteras patentes committitur, quid pro Reformatione, et instauratione Conventus Parisiorum acturus sit. Fungetur etiam praefectura praefata in Provinciis omnibus Galliae, nutu tamen R.mi Patris amovibilis. Nunc vero in tam praestantissimae Domus opportuni remedii gratiam, statuerunt Primarii Patres, omnes Magistros et Sacerdotes cuiuscumque Provinciae habere vocem activam et passivam in omnibus electionibus, dempta Prioris Conventus electione; quae a R.mo Priore Generale solum habenda, et firmanda est in Comitiis Generalibus: Qui mox elegit in Priorem dicti Conventus Parisiorum R. M. Arnaldum Ricardum. Mandarunt, inviolabili more servandum esse, ut in Studio Parisiensi sint semper duo Lectores; quorum unus Grammaticam; alter Rethoricum profiteatur.

Elegerunt in Regentem primum universi Parisini Collegii R. M. Petrum Dumas; in (163-**v.**) secundum vero Regentem, qui postremo loco laurea insigniendus est.

Praeceperunt Regentibus electis, ut ad Lectiones promovendi a Graduatis eligantur prius triennio, antequam ad Lectionum exercitium se accingant, ut peritiores, et non rudiores, hoc fungantur legendi munere ad quod officium non admittentur, qui non erunt praesentati R.mo Patri, et ab ipso probati.

His addiderunt, Studium Lovaniense, et Coloniense ordinandum esse a Gravissimo Patre. Et diffinierunt, in aliis Galliarum Collegiis in Comitiis Provincialibus Regentes instituendos esse.

In Studiis Hispaniarum. — Observanda esse concluserunt Decreta, quae fuerunt sancita a Comitiis Placentinis actis anno 1575.

Pro Studiis Italiae. — De Regente Ticinensi opportune providebitur. Pro Collegio Patavino R. M. Franciscum de Aloisio. In Conventu Venetiarum R. M. Cornelium Gottardum. In Conventu Florentiae R. M. Nicolaum Senensem. In Conventu et Collegio Pisarum R. M. Ambrosium Pratensem. In Conventu Senarum providebitur opportune. In Conventu D. Mariae Transpontinae opportune providebitur. In Conventu Neapolis R. M. Alphium Mathioli. In Collegio Cattinensi R. M. Desiderium Tronchetum. In Conventi Panormi R. M. Julium de Monasteriis. In Conventu Messanae R. M. Angelum Spinelli. In Conventu Drepani R. M. Franciscum de Michelis. In Conventu Taurini R. M. Antonium Frizzam.

Pio Lectori.

Carmelitarum Sacra Religio in Alma Urbe, hoc Comitiorum Generalium tempore, cum doctrina tum moribus adeo nitere visa est plurimis a S.mo D. N. Gregorio XIII illustrata officiis, ut Fidelium eam suspicientium oculos summopere delectaverit. Res quidem non levi admiratione digna, ut in suis Comitiis plures quatuor centum candidis vestibus indutos, vultuque recto compositos Regulares collegerit, qui non mediocri laetitia ad pedes S.mi D. N. bini ac bini provoluti, eius benedictionem susceperunt : Ad quos tandem Prior Generalis pronus, a Sua Beatitudine haec verba dulcissima audivit. Sancto, Dilecte Fili, incumbas regimini ; pro virili tua ingenuarum Artium Gymnasia refice, et in administratione gerenda utere Sapientioribus, si tibi praesto erunt, Viris. Sin autem, institue Rectores, qui tuum Institutum prudenter ac pacifice regere sciant , et in spiritualibus obsequiis apte versati sint. Nunc habeat, et referat orationibus, et Sacris faciendis Summo Deo gratias immortales nostrum Carmelum Institutum, quod Summi Pontificis Sanctitas prudentissimum et ornatissimum parentem et vigilantissimum Pastorem nobis dederit ; et Ill.mi Protectoris Cardinalis Sancti Sixti summa pietas singulis diebus filiis Carmelitis toto Comitiorum curriculo variis muneribus, et maximis eleemosinis suum contulerit amorem.

(164-**r.**) STATUTA ORDINATA *per Diffinitorium Capituli Generalis celebrati Romae in Conventu Sancti Martini in Montibus Anno Domini 1580, die 22 Maii in Festo Pentecostes.*

In primis, et ante omnia decreverunt quamprimum nostras Constitutiones reconciliari, et in concordiam adduci cum Sanctionibus Sacri Concilii Tridentini, superfluaque praescindi ; et reconciliatores institui a Priore Generali.

De Cultu, Officiorumque Solemniis. — Dum Missae celebrantur, Regularium Studium esse debet, ut Fidelium devotio in eis excitetur : ideo statuitur, in quolibet Conventu saltem duo reperiri tintinabula, quae manibus teneri possint, et pulsari in prolatione Sanctus, et Sanctissimae Hostiae elevatione. In Festis,

quae ab Ecclesia Romana coli iubentur; eorumque Sanctorum solemnitatibus, quorum tituli describuntur in nostris Templis, proferetur in utroque vespere primum et secundum Capitulum, eisque accommodetur. Amplius in Missis praefatorum Sanctorum in Ecclesiis nostris titulo affectis, dicatur Credo.

Vacantibus diebus semel in hebdomada agatur officium de feria. Diebus, quibus de Beata Virgine iubetur dici in Choro officium non praetermittatur; absolvanturque statutis diebus Graduales, Poenitentialesque Psalmi, Defunctorumque consueta suffragia.

In Dominicis et Solemnibus Festis ad Vesperas quintus novissimusque Psalmus semper cantetur pulsantibus Organis, et utroque Choro sedente, et respondente.

Diebus Dominicis Psalmus In exitu Irsael de Aegypto suo proprio legitimo, et ordinario cantu cantetur; etiamsi Antiphona, quae ante eum exordiri debuerit, alium praemonstraverit tonum.

In nostra solemni Provinciarum visitatione novimus maximam in cantu differentiam, ut nedum Provincia a Provincia in eo discrepet; sed quod magis mirum est Conventus a Conventu; cui varietati consulentes, omnino statuimus Conventus omnes Italiae cantus uniformitati studere, et canendi insectari modum, quem caeteri Menticantes Ordines observant: quod ut facilius eveniat, ordinabit quilibet R. Pro.alis, ad nutum R.mi Ratris Ordinis in suae Pro.ae Conventibus singulis Correctorem cantus, qui omnes ad uniformitatem compellat.

In Provinciis vero Galliae sequentur modum suum canendi consuetum; at Libelli recenter proelo tradantur; ut et in illis inveniatur cantus uniformitas.

Adsint in singulis Ecclesiis nostris, praecipue in Sacristiis celebribus Hyacintini, vel punicei coloris casulae, tunicae, Dalmaticae, Cappaeque sericae.

Ex Breviariis et Missalibus saepius dignoscitur varius et dissidens ordo, qui ut sit uniformis, eligentur a Gravissimo Patre nonnulli Regulares in Rubricis versati, qui eos corrigant, et componant. Reficiantur, et accommodentur lapides Sacri, Calices, et reliqua ad Dei cultum spectantia, eo modo, et ea forma, quae in nostrae Provinciarum solemnis visitationis, et Reformationis Decretis praescribitur. Quae Decreta omnia ibi iussa rursus firmantur, rataque habentur.

(164-v.) *De his quae agenda sunt a Provinciis et earum Rectoribus.* — Anno 1575 sancitum fuit a R. Diffinitoribus Comitiorum Generalium Placentiae habitorum, Priori Generali referendos esse a Provinciis tercentum quinquaginta aureos pro sumptu facto in lite, quae versabat inter nos, et nostram Mantuanam Congregationem, aliisque Litteris Apostolicis pro causis et controversiis absolvendis; quae summa cum Religionis aerario communi non sit adhuc exhibita, quamprimum iubetur exigi, et ei assignari, fabricaeque D. Mariae Transpontinae, iussu S.mi D. N. applicari. Cuius summae et pecuniarum praedictarum distributores esse elegerunt R. M. Pro.alem Siciliae, Pro.alem Romae, Lombardiae, et Procuratorem Ordinis; qui imponant Pro.alibus, ut cum primum ad Provinciam appulerint, portiunculam sibi assignatam exigant, sub poena excommunicationis latae sententiae.

Completo triennio, nullus ex Provincialibus fungetur suo officio, sub poena excommunicationis latae sententiae et inhabilitationis ad Ordinis officia per decennium: et volumus eo die quo terminat triennium caeptum a die confirmationis Pro.ali electo publicatae, ipsos absolvi a sua functione. Si vero novi Pro.alis electio brevi fieri non poterit; ne Provincia Praeside destituatur, primus Diffinitor proxime praeteritorum Comitiorum, si fuerit Magister in Theologia, Provinciam administrabit; sin autem non erit eo insignitus Gradu antiquiori Provinciae Doctori obedientiam praestabunt Regulares, tanquam legitimo Superiori Provinciae.

Ab hoc Decreto, pro hac vice, eximitur gratia anni additi super triennium Pro.alibus; quae quidem gratia patet in ordine Provinciarum. Non audebunt Pro.ales, sub poena depositionis ab officio licentiam Sacrorum Ordinum alienae Provinciae Regularibus impartiri, inconsulto Prov.ali illius Pro.ae, vel Priori Generali, esto quod promovendi iam pridem maneant in ea Provincia.

Nequeant diu morari R.di Pro.ales in Conventibus Priori Generali immediate subiectis ultra decem dies, inconsulto Priore Generali, sub poena privationis ab officio et amissione suarum taxarum.

Reformatores Provinciarum electi a Priore Generali, vel a Gremio Provinciali, cum Priores Locales defecerunt a correctione, et Reformatione illis imposita, statuunt R.di Diffinitores, quod libere agere possint in reos et delinquentes omnes, demptis Prioribus Localibus; qui si crimen aliquod eos commisisse compertum

erit, a Pro.ale corripiantur, ipsoque torpente, fiat certior de hoc Prior Generalis; qui iustitiae et aequitati statim consulere poterit.

Instituantur Vicarii, Generalesque Visitatores, precipue in Provinciis Hispaniae, Galliae, et aliarum transalpinarum Provinciarum, quibus omnis potestas et facultas credatur, qua Provincias reformare, instituere, et in bonis moribus componere possint Regulares: cum multi sint, qui sensui indulgentes, vitam non penes nostras Leges, sed secundum propriam sententiam ducant. Et isti sint amovibiles ad nutum R.mi Prioris Generalis.

165-r.) Ad Regem Catholicum Procurator Generalis collocetur assiduus. Etiam similis eligatur apud Regem Gallorum; qui fungatur eo munere, quod agit Procurator Generalis in Curia Romana.

Diffinitores, qui alias gratis Diffinitorium ingressi sunt, posthac non poterunt ferre aditum in Comitiorum diffinitionibus, nisi qui a Gremio Capitulari ad tale munus agendum electi fuerint; ideo irritas et nullas esse volumus Patentes Litteras Regularibus nostris penes hoc exhibitas, vel a nostro Praedecessore, vel a nobis immediate elargitas.

De anno in annum in Dilectissimo nostro Neapolis Carmelo instituatur Prior; qui sufficietur ad libitum R.mi Patris, vel libera votorum electione creabitur, prius propositis a Gravissimo Patre tribus vel quatuor Regularibus, ad id officium agendum aptis et idoneis.

Patres Consiliarii Comitiorum Generalium Placentiae statuerunt R. Provinciarum Prov.ales, qui in posterum tempore praescripto in Constitutionibus Ordinis non solverunt taxam Reverendissimo Priori Generali decretam, pro conservatione ipsius Ordinis, cessante legitimo impedimento, ipso facto suspensos esse ab eorum officio. Quod quidem statutum rursus firmatur et, quatenus opus est, innovatur.

Nullus in Provinciis Italiae Provincialium, Vicarius Generalis, dempto Vicario Generali Congregationis Mantuanae et Priorum per triennium recipiat ad habitum Novitios, inconsulto R.mo Generali, sub poena privationis a functionibus suis.

Ut Prov.ales aequo rectoque iure Provincias regant et ministrent, volumus, exacto et completo triennio, eos Visitatoris et Syndici a Priore Generali assignandi iudicio stare, repetundarumque accusari posse.

Canonice electi Prov.ales Transalpini, sed non firmati a Priore Generali, si ad munus illud gerendum suffectus erit unus ex propositis a Gravissimo Patre Ordinis; quamprimum is poterit suam exercere administrationem; tenebitur tamen curare, ut infra tres menses a Priore Generali sua functio comprobetur, sub poena privationis ab officio, omni reiecta purgatione.

Nemo ex Prov.alibus tentabit expellere Regulares à sua Provincia, inconsulto Priore Generali, nisi sint incorrigibiles. Nec nostrae seu alienae Religionis admittere Apostatas, sub poena privationis ab officio.

Servetur consuetudo antiqua in omnibus Provinciis pro electione Priorum; scilicet in Conventibus Primariis, et Reformatis Priores eligantur a Conventibus; et unus sufficiatur ex his qui fuerunt propositi a R.mo Generali, vel a R.do M.ro Provinciali, vel Vicario Generali; et si infra annum aliquod evenerit, quod opportuno indigeat remedio, R.dus Prov.alis teneatur eligere et recipere in socios praestantiores et prudentiores Patres simul consulere ut opportunum rei eventae addatur remedium.

(165-v.) *De Indumentis.*

Ab omnibus ferantur super nudum indusiae laneae, quae a Conventibus pro vestiario Regularibus tradantur, illisque sapo praebeatur, ut purgentur; et qui aliqua aegritudine, vel praecipua licentia ab illis erunt immunes, caveant ne lineae cernantur in collo, vel in manicis. Vestes et nostri coloris canusini panni caro venduntur pretio; idcirco iubetur in posterum singulo professo pro vestiario tradi summa quatuor aureorum, quae expendatur pèr manum Procuratoris Conventus, et non alio modo.

Statuerunt Sanctissimum D.num consulere de habitus uniformitate, simulque de galeris.

De moribus et honestate servanda.

Rursus innovatur, et firmatur Decretum, de his, qui pro Officiis, et gratiis habendis saecularium studia implorant. Et addimus, eos qui consecuti fuerint hoc medio gratias et favores, quos petunt, privatos esse omni officio dignitateque, et inhabiles fieri ad Ordinis officia in perpetuum.

Et qui ex Regularibus nostris ausi fuerint in causis adire Saecularium Tribunalia, et respuere Magistratum Ordinis, statim sint gladio excommunicationis confossi latae sententiae, carceribus

mancipati per annum: destituti omni officio et Dignitate, nec non expoliati omnibus bonis, quibus gratia Religionis utebantur.

Detractores, oblingues, et loquentes contra R.mum Priorem Generalem convicti, aut confessi, induantur caputio linguarum; de quo fit mentio in priscis Legibus nostris, abdicentur ab officiis suis, diesque suos claudant in carcere; nisi Prior Generalis misericordia motus eis indulgere voluerit.

Non omittantur Capitula culparum quolibet die Veneris in omni Conventu; et qui ex Prioribus consuetudinem hanc non servaverit, statim privetur suo officio.

Qui ex Regularibus more saecularium negotia exercuerit, et proprietatis vitium aliquo modo esset complexus; vel mercatura usus inventus fuerit; praeter poenas, quas penes nostras Constitutiones subire deberet, nunc etiam pro tunc, infamiae labe affectum eum declaramus: inhabilemque ad officia Ordinis perpetuo, exulem a sua Provincia per decennium.

Non mediocri observantia venerentur, et suscipiantur, tum a Fratribus, tum a Monialibus, Litterae cuiusvis generis a Priore Generali scriptae vel datae; promulgentur et adimpleantur, et qui eas parvi penderent, contumacium et rebellium poenas subibunt.

Invigilent Priores, ne quis extra Conventus dormiat, etiamsi apud Parentes hospitare voluerit; nisi sit causa potissima, et urgentissima; quod praecipue agendum praecipitur Neapolitano Priori: et si Prior id concesserit excommunicationis gladio sit confossus, et delinquentes pro prima vice poena gravissima punientur; pro secunda exulabunt a Provincia: pro tertia reddentur non habiles in perpetuum ad Ordinis officia.

Si fuerit notum, et compertum, aliquem ex Regularibus filium habere, et quod filius in Parentem Regularem acceptet, et Regularis in filium noverit; statuerunt huiusmodi Regularem non posse promoveri ad Ordinis officia.

(166-r.) *De Studio, Studentibus, caeterisque Graduatis.*

Ad Studia, et ad Gradus in posterum manuducendos, promovendos in Comitiis Provincialibus propriae Provinciae a Primariis Patribus volumus commendari, et dignos iudicari ea promotione, quam desiderabunt; ipsamque deinceps Prior Generalis firmabit, si bona, et idonea ab eo censebitur.

Studentes, et Graduatos, qui alios recturi, docturi, in exemplumque aliorum futuri sunt, decet nedum moribus, et Litteris

praeditos esse; sed prudentia, experientiaque ornatos, quae longo usu et tempore acquiritur; idcirco decernimus in futurum inviolabili lege servandum, ut studentes nostri maneant in forma simplici constituti per quinquennium; et Lectoratu insigniri nequeant nisi agerent 26. annum, in quo perseverent annos quatuor; ad ulteriorem et novissimum Gradum scandant completo triennio; et ne fallatur et decipiatur de praefata congrua aetate Prior Generalis, erit certior factus de ea a R.dis Patribus Primariis Comitiorum Provinciae onerando eorum conscientiam.

Non praetermittatur digna laudabilisque consuetudo, ut in singulis nostri Ordinis Conventibus adsit Regularis bonae doctrinae, qui caeteris Conscientiae casus explicet, et declaret.

Ut tollatur omnis controversia praecedentiae et praestantiae inter Graduatos, omnes actu legentes, vel alio Gradu honestati obtinebunt locum suum penes nostrum usum communem; ut qui prior Gradu donatus erit antecedat: at inter eos, qui sunt eiusdem classis, et cursus, nolumus quod detrahat, seu inferat praeiudicium professioni Gradus, donec sex mensium spatium elapsum fuerit.

In posterum erunt solum Patres in Conventu et Provincia, cuius sunt alumni et professi; aut certe in alia, in qua diu digne laudabiliterque vixerunt: idcirco nihil esse voluerunt Patentes Paternitatis in omnibus Provinciis Regularibus concessas.

Illi vero Patres honoris, qui inter quatuor Conventus seniores non erunt adscripti, voce dumtaxat Paternitatis potientur, scribentur in Tabula communi, omnibusque Horis absolvendis in Choro erunt addicti; et qui inter Primarios Patres quatuor Conventus primus erit professione, esto quod posterior Gradu fuerit decoratus, priorem tamen locum habebit.

A nobis, nostrisque Praedecessoribus gratiarum Patentes omnes Regularibus concessas, et elargitas, quae Legum nostrarum, et Sanctionum sententiam fregerint, decernimus nihil esse.

Ad populum sermones nemo habeat in futurum, nec a Confessionibus fideles audiat, nisi a Priore Generali, vel Provinciali Provinciae, quam habitat, admittatur, in scriptis licentia obtenta, et praevio examine rigoroso. Et qui secus fecerit, perpetuo non erit aptus ad actus legitimos; onerantes Provincialium in hoc conscientiam.

(166-v.) Bacchalaurei formati praestabunt Patribus honoris, etiam bene meritis; et inter eos locum priorem habeant.

Proposita fuit causa pro primitivis Scalciatis (1).

Omnia unanimi assensu quae agenda erunt in primitivorum Discalciatorum causa R. Diffinitores demandarunt sapientiae et vigilantiae R.mi Patris.

---

(1) Revocatis per Breve apostolicum 3 Aug. 1574 visitatoribus institutisque a D. Nicolao Ormaneto die 22 Sept. a. c. reformatoribus Carmelitarum provinciae Beticae et Castellae (supra in fine notae ad f. 150 v.), Nuntius cupidus Ordini adhuc melius providere consilium cepit ut provinciae Beticae P. Hieronymum Gratianum tamquam provincialem praeficeret, quem ea de re certiorem redditum Matritum arcessivit (Epp. S. Theresiae 11 et 12 Maji 1575) ut rem minutius tractaret. A consiliariis supremis et ab ipso rege benigne receptus fuit, sed negotium per aliquot menses infectum remansit, tum quia Gratianus adhuc junior esset (30 anni), tum quia decreta capituli Placentini interim curiae regali innotescebant. Gratiano nolente tres conventus Beticos dissolvere quippe qui a plus quam septuaginta religiosis spectatae sanctitatis inhabitarentur (Ep. S. Theresiae ad Generalem 18 Junii 1575) ab Angelo de Salazar provinciali Castellae excommunicatus declaratur, quam sententiam Nuntius annullavit. Attamen occurrit fatalis error quod lis Capitulum Generalemque inter et Discalceatos non, uti debuisset, S. Sedi dirimenda commissa fuit, dubio procul propter repugnantiam regis non mediocriter autocratici sine cujus Placet non licebat decreta apostolica publicare. Tandem ad instantiam S. Theresiae erectionem provinciae separatae Discalceatorum sub Gratiano provinciali petentis (Ep. ad Philippum II 19 Julii) Nuntius die 3 Aug. a. c. amplissimas patentes concessit, quibus Gratianum « provincialem et reformatorem in provincia Betica pro reformatione omnium fratrum Ordinis Carmelitarum in eadem provincia, necnon in provincia Castellae fratrum Carmelitarum qui sequuntur regulam primitivam, commissarium apostolicum » nominavit, « non obstantibus . . . diffinitionibus capituli generalis ». Duo heic observanda sunt. Primo, maximam quidem auctoritatem per hasce litteras tributam fuisse sicut ipsemet Gratianus in Actibus visitationis Castellae 3 Aug. 1576 fatetur : « Potestas visitatorum apostolicorum major est potestate Generalis », unde pergit determinare (ad analogiam jurium Congregationis Mantuanae), quaenam Generali circa Discalceatos Hispanicos licerent, quaeve ipsi interdicenda essent. Similiter S. Theresia (Ep. 30 Dec. 1575) : « Nunc majorem habet potestatem quam Pater noster Generalis ». Sed hic patet quaedam con-

Pro Fabrica D. Mariae Transpontinae.

R. M. Diffinitores decreverunt ex communi consensu, summam duorum millium ducatorum solvi ab omnibus Provinciis, sed Reverendi Pro.ales cum suo Diffinitorio curam suscipiant determinandi et diffiniendi modum quo portiuncula huius taxae sibi impositae colligi possit.

---

fusio nam auctoritas cum capituli generalis tum ipsius Generalis a jure est, universalis, perpetua, auctoritas vero Gratiani erat ab homine, regionalis (ergo nullius momenti extra Hispaniam et prorsus inefficax ad coercendum Generalem) et insuper revocabilis. Etenim Gratianus non immediate a Summo Pontifice sed tantummodo a Nuntio (consentiente rege) nominatus erat, a cujus nutu pendebat, sicut ipse Nuntius a nutu Pontificis; et revera D. Nicolao adhuc superstite successor jam constitutus est. Unde recte prosequitur S. Theresia: « Si Deus vitae Papae, regis, Nuntii et Patris nostri (Gratiani) adhuc duos annos addat malis omnibus medebitur, sed uno vel altero moriente omnes peribimus ».

Vix cognoverunt volante fama patentes Gratiano concessas, cum Carmelitae Betici quosdam e suis, Petrum de Cota priorem Cordubensem et Ludovicum Navarete priorem Utrerae ablegarunt, qui cum apud regem nihil proficerent Romam profecti a generali remedium opportunum petierunt (Epp. S. Ther. ad Gratianum initio Oct. 1575 et 9 Maji 1576); is Hieronymum Tostatum socium suum vicarium generalem per Hispaniam constituit, qui Brevi apostolico munitus non solum praesentes complicationes dirimeret sed etiam decreta capituli Placentini executioni daret. Interim Gratianus salutaribus monitis a S. Theresia adjutus, die 22 Nov. 1575 visitationem conventus Hispalensis inchoavit, Augustino Suarez sese Ossunam recipiente, ubi quamdiu Gratianus in Betica agebat, sedit, illo autem abeunte provinciae regimen repetiit.

Hieronymus Tostatus mense Martio Barcinonam appulit, sed aliis curis distentus (e. g. capitulum Perpinianum celebrando a quo ipsemet provincialis Cataloniae electus est) nonnisi mense Augusto Matriti cum Gratiano congreditur, at nihil contra ejus patentes valens, in Portugaliam se recepit, inde ad visitandum quatuor provincias reversurus; sed prohibitus a consilio regali, negotium ab incepto deseruit. Carmelitae Castellae capitulum provinciale apud Moralejam celebrarunt 12 Maji 1576; convocatis prioribus Discalceatorum, in quo decreta capituli Placentini publicata fuere; e contra Gratianus cum suis utriusque provinciae apud Almodovar convenit 8 Augusti ibique Discalceatos definitive (uti putabat) a Calceatis segregavit,

Distributores propositae taxae erunt iidem, qui assignati fuere pro partitione taxae 350 Ducatorum ex Decreto Comitiorum Generalium Placentinorum, Priori Generali debitorum, quibus addiderunt R.dum Mag.rum Pro.alem Aragoniae.

R. M. Diffinitores assenserunt censui sumpto a Monialibus Campi Martii.

---

in provinciam redegit, optimasque pro eis leges sancivit. Proh dolor! S. Theresia futuri haud ignara monuerat ut quosdem Romam mitteret ad Reformam firmius stabiliendam (Ep. 5 Sept. a. c. et passim) sed post multa inutilia tentamina res tam necessaria omissa fuit. Similiter eadem S. Theresia saepe monuerat, ut cum Generali amanter et humiliter tractaret. Eodem tempore quo Gratianus apud Almodovar, Augustinus Suarez apud Astygiam capitulum provincia Beticae celebravit in quo ordinationes nominationesque visitationis tempore factas subvertit ita ut Gratiano Hispalim reverso totum opus quasi ab ovo repetendum esset non sine magnis contradictionibus.

Tandem 18 Junii 1577 D. Nicolaus Ormaneto sanctissime obiit quem paulo post (27 Sept. a. c.) D. Didacus de Covarrubias in mortem secutus est, episcopus Segobiensis, de supremo consilio, firmissima Discalceatorum columna. Novus Nuntius D. Philippus Sega episcopus Placentinus Romae contra Discalceatos circumventus 30 Aug. Matritum pervenit, in cuius manus Gratianus non semel a S. Theresia monitus, quatenus ab officio visitationis sese expediret, quod a principio non nisi coactus susceperat (Ep. S. Ther. ad Generalem initio Febr. 1576), munus resignavit, at iussu regis de legis peritorum consulto iterum suscepit. Hispalim reversus a falsis fratribus, Michael de Columna et Balthasare Nieto (a Jesu) postea poenituris, criminum atrocium accusatus, a Calceatis male receptus, tandem Betica relicta in Castellam se recepit.

Hieronymus Tostatus de Nuntii protectione confisus Discalceatos coram se citavit, sed S. Theresia regis auxilium implorante (Ep. ad Philippum II 18 Sept. 1577) compellitur exhibere patentes, quae cum post longam actionem iuridicam, utpote regali Placet minime munitae, invalidae censebantur, ab incepta visitatione desistit. « Trovai difficile, ait D. Sega, la riuscita della visita di Castiglia al Padre Tostado, lo persuasi a voltar in Aragonia, Cathalogna et Valenza per dove hebbe patente dal Rè, se n'andò et passa co' la visita co' universal soddisfattione di quelle provincie... » (Ep. ad Secretarium status S. Sanctitatis, 16 Oct. 1578). Recedente Tostado pax nullatenus coagmentatur; e contra noviter electus provincialis Castellae cui nomen Joannes Gutierrez de la Madalena in Discalceatos saevire incepit. Electionem

Revisores Librorum fabricae D. Mariae Transpontinae.

R. Pro.alis Siciliae, Pro.alis Lombardiae, et Procurator Ordinis, qui Libros examinent, rationes computent, et errores corrigant, damnando debitores, si invenerint.

Unanimi assensu R. M. Diffinitores; cum non constet ipsum P. Valerium Montonum fuisse constitutum Procuratorem et Expo-

---

S. Theresiae in priorissam monasterii Incarnationis Abulae (Oct. 1577) irritavit, electrices numero quinquaginta quinque excommunicavit et per tres menses affligebat; S. Joannes a Cruce praedictis monialibus a confessionibus inserviens noctu rapitur (3 Dec. a. c.), Toleti incarceratur et per plus quam octo menses inhumaniter tractatur. Iam antea semel violenter a monasterio Incarnationis amotus, iussu Nuntii Nicolai restitutus fuerat (Ep. S. Ther. ad Generalem, initio Febr. 1576).

Ab Hispalensibus multae reprehensiones contra Gratiani regimen proferuntur. Nuntius 23 Julii 1578 omnes patentes, auctoritates et potestates Gratiano olim a D. Nicolao concessas revocavit et annullavit, praecipiendo ut infra tempus praefinitum libros, scripta, processus, sigilla ceteraque omnia ad officium pertinentia in manus suas traderet (sicut revera tradidit), increpando eum quod post prohibitionem sibi verbotenus factam visitationem prosecutus esset, et prohibendo ne quisquam in posterum sibi utpote a D. Nicolao instituto superiori obedientiam praestaret. Simul assignavit ei conventum Pastranensem quo tamquam in carcere sub obedientia prioris viveret, proponendo apud semetipsum (uti Secretario Status 16 Oct. a. c. scribit) eligere duos religiosos alterius Ordinis qui de vita et regimine Gratiani necnon de regula constitutionibus et modo vivendi et agendi universorum Discalceatorum inquirerent ut tandem quid S. Sedi circa eos proponendum esset intelligeret.

Sed antequam ad hoc ventum esset Antonius de Heredia (a Jesu) qui in Capitulo Discalceatorum anni 1576 primus diffinitor et pro casu mortis, absentiae seu revocationis Gratiani eius vices gerens constitutus fuerat non sine legisperitorum consilio priores Discalceatorum eorumque socios apud Almodovar convocavit (9 Oct. 1578) a quibus ipsemet in provincialem electus est, et insuper quidam fratres ablegati sunt, ut apud S. Sedem pro Discalceatis agerent. Capitulo vix absoluto Nuntius de cunctis certior factus non solum acta capituli rescidit (quippe quod virtute litterarum olim a D. Nicolao concessarum sed ob eius mortem exstinctarum et praeterea a semetipso revocatarum celebratum esset), electionem Antonii irritam declaravit, istum cum aliis quibusdam coram se citavit (13 Nov. nondum comparuerat!), provinciam Discalceatorum penitus dissolvit, eorum domos, fratres et moniales respective provinciis Beticae et Castellae incorporando, ordi-

sitorem dictae pecuniae, atque nulla ratione in ius vocari posse, liberum declararunt; atque in hanc sententiam venerunt, non posse cogi ad reddendam rationem de huiusmodi fabrica; ideo exemptus erit, et immunis ab huiusmodi pecuniae ratione reddenda.

Causa inter Moniales, et Conventum Leodiensem remissa fuit diligentiae et prudentiae R. Procuratoris Ordinis.

---

nariam super eos iurisdictionem provincialibus Didaco de Cardenas et Joanni Gutierrez committendo quibus nihilominus iniunxit ne instituta salutaria mutarent vel turbarent neve priores vel alios officiales ab eorum officiis amoverent. Super ista omnia confecit litteras patentes 16 Oct. quo die etiam relationem minutam Secretario Status Gregorii XIII mandavit.

Praeter ea quae iam dicta sunt constat Nuntium severius cum pluribus Discalceatis egisse, sed provinciales, praesertim Joannem Gutierrez non solum praeter, verum etiam contra ipsius decreta omnia perturbasse cum apud moniales tum apud fratres, in quorum conventus non aliter quam in castrum obsidione expugnatum intraverunt, uti multifariam apud auctores legitur.

Acceptis a Secretario Gregorii XIII litteris Nuntius die 3 Nov. rescripsit se interim accuratius de Discalceatis inquisiisse quorum gesta inde a principio pergit referre, non uti revera fuere sed uti sibi a personis evidenter passione obcaecatis (forsan a Johanne Gutierrez) enucleata sunt, quibus si fidem adhiberes facile crederes totam Reformationem nonnisi congeriem fraudum et ambitionum ac vitiorum sentinam fuisse. Omnibus itaque sursum deorsum versatis Comes de Tendilla (Ludovicus Hurtado de Mendoza, Vicerex Neapolitanus), praepotens Discalceatorum amicus, apud Regem et Nuntium intercedit (Ep. 19 Novembris a. c.) eorum vitam maximis elogiis extollit ita ut Nuntius intelligeret se hucusque unam tantum partem audiisse ac proinde sibi assistentiam quorundam assessorum necessariam fore qui rem funditus investigarent; simul consilium supremum decrevit, ne quaecunque decreta Nuntii a foris et tribunalibus admitterentur quousque Discalceati iuridice audirentur. Qui assistentes 20 Dec. sententiam finalem in Gratianum tulerunt (quam ille die insequenti se executurum fatetur), scilicet quod absolvatur a censuris, recedat in conventum Complutensem unde sine licentia Nuntii numquam exire possit, ieiunet tribus diebus et se verberet semel per hebdomadam, nullatenus negotiis Discalceatorum sive fratrum sive monialium sese ingerat, nemini litteras mittat, patre et matre atque Nuntio tantummodo exceptis; poterit tamen Missam celebrare et Verbum Dei praedicare.

Interim Generalis Rubeus mortem obierat qui cum sibi a Discal-

Connexuerunt Conventum Bisuntinum Provinciae Narbonae, donec reformetur, et in meliorem faciem restituatur.

Moniales nostri Conventus Abulae poterunt celebrare Octavas D. Annae, et decem millium Martyrum.

Expleto tempore sui officii, Priores non poterunt eligi in eodem Conventu, nisi transacto triennio; in aliis vero statim completa functione poterunt quidem eligi ad hoc munus obeundum.

(176-r.) Decreverunt Breviaria, Missalia, Constitutiones, Kalendarium perpetuum, Librosque cantus, et funebres Religionis sumptu quamprimum praelo tradi, corrigi, in venustioremque formam restitui.

Fuit Decretum, ut Utrerae in Provincia Bethica acceptaretur Conventus pro Monialibus, quem Conventum dat D. Catherina

---

ceatis illusum crederet, per ultimos quatuor annos vitae suae ipsis infensus manserat; verum Joannes Baptista Caffardus vicarius generalis primam occasionem nactus Discalceatis Hispalensibus peramanter scripsit, qui 1 Dec. humiliter Paternitati suae se submiserunt obedientiam filialem uti religiosis decet promittentes. Signatae sunt litterae a viginti patribus Nicolao Doria (tunc vicario) primum, et S. Joanne a Cruce quasi ultimum locum tenentibus.

Collegium assistentium lento passu res omnes investigando falsa a veris secrevit, eo successu ut 1 Aprilis 1579 Nuntius revocatis quas provincialibus concesserat litteris patentibus Angelum de Salazar superiorem Discalceatorum constituerit, cui minutissimas instructiones circa eorum benevolum regimen tradidit. Novis deinde a Comite de Tendilla porrectis litteris (26 April. 1579) collegium assistentium in eam sententiam ivit, Discalceatos esse a Calceatis segregandos et in provinciam redigendos, eorumque res nedum in integrum restituendas, quin immo omnibus viribus tuendas fovendasque (15 Julii). Quam sententiam Nuntius 11 Nov. Secretario Status S. Sanctitatis laudando et approbando transmisit. Die 15 eiusdem mensis capitulum provinciale Castellae apud Moraleiam celebratum est, in quo priores sociique Discalceatorum locum et vocem habuerunt eorumque conventibus de more provisum fuit; quo expleto (20 eiusdem mensis) Angelus de Salazar Joanni Baptistae Caffardo vicario generali minutam relationem de gestis misit nomine proprio et de consensu universali separationem faciendam commendans quam praesens Capitulum generale ratam habuit, uti in textu exprimitur. Erectio provinciae Discalceatorum per Breve apostolicum 22 Junii 1580 (Bull. II, 208) concessa et 3 Martii 1581 effecta est.

de Cerna; dummodo et ille Conventus, et Confessarius, et Commissarius sint subditi Pro.ali, sicut aliae Moniales subsunt.

Etiam in Conventu Hispalensi confirmaverunt concordiam inter Religiosos illius Conventus et Confratres, qui vulgo dicuntur della Soledad.

In Conventu Caesar Augustano Provinciae Aragoniae confirmarunt concordiam inter Religiosos illius Conventus, et Confratres S. Sebastiani, prout in scriptura latius patet.

Acceptaverunt excusationem R. M. Pro.alis Aquitaniae. Fuerunt lectae Litterae Episcopi Damasceni, precantis Collegium Parisiense eximi a Congregatione Albiensi, ut studia bonique mores convalescant et provideri de Magistris, seu Ministris prudentissimis, qui illud regant, et instruant.

Decreverunt ex Regularibus Bethicae, ut qui in Italia Ordinibus Sacris hactenus affecti sunt, in illis ministrent: Prohibentes, ne in futurum hi qui ordinabuntur, Ordines susceptos unquam exercere possint.

Decretum pro Barolo et Putiniano.

R.di M.ri Diffinitores decreverunt, litem, quae versatur inter Conventum Baroli et Conventum Putiniani pro bonis Patris Antonii Tertii de Putiniano sic esse sedandam, ut cum R. Pro.alis Appuliae illas Appuliae partes attigerit, videat, interroget, examinet, an praefatus P. Antonius professionem canonicam ac legitimam emiserit nomine Conventus Putiniani; et esto quod professionem habuerit in praedicto Conventu Putiniani, tertia pars bonorum praedicti Patris Antonii erit Conventus Putiniani. Si vero neque habitum sumpserit, neque professionem emiserit nomine Conventus Putiniani, statuunt R.di Diffinitores omnia bona dicti Patris Antonii esse applicanda Conventui Baroli.

Fuerunt lectae M. Trochei Litterae excusatoriae, et aliae Litterae, quibus statum Provinciae significabat. Quibus lectis, Diffinitorium statuit a Commissario in illis partibus M. Trocheum audiendum esse.

Negotium, quod versatur inter Conventum Cremonae et familiam Carnevalium demandarunt R. Diffinitores R.mo Patri, ut ipse causam agnoscat, tractet et diffiniat.

Sub poena privationis ab Officio, et excommunicationis latae sententiae, bona Fratrum Defunctorum non capiantur a Pro.ali; sed disponantur iuxta statuta Ordinis.

Revocentur, et revertantur ad Prov.ales suos Regulares nostri manentes extra claustra, infra spatium Festivitatis Divi Martini, non obstantibus quibusvis generis Patentibus, sub poena triremium.

Applicarunt Provinciam Sardiniae, et univerunt Provinciae Cataloniae.

Decreverunt, Apostolicam Sedem consulendam esse pro translatione trium Conventuum Provinciae Provinciae.

(167-v.) *Decreta pro Reformatione Conventuum Provinciae Galliae.*

Teneantur R.di M.ri Pro.ales Galliae, et Priores Conventuum, quantum fieri ab ipsis poterit, ex quolibet Conventu suae Provinciae unum studentem ad minus, et ex qualibet Provincia duos mittere ad Studium et Carmelum Parisiense, tanquam ad bonorum morum, et Litterarum Emporium, et Seminaria multa in suis Provinciis et Conventibus praeparent; et non solum in pietate et eruditione; ad etiam in numero certare Ordo noster cum aliis in Vinea Domini laborantibus iure possit.

Caveant autem praedicti R.di Prov.ales, ne suorum Fratrem aliquem, aut aliquos in Civitate Parisiensi Studii praetextu extra Conventum manere permittant; sed vel ingredi tales Conventum compellant, vel eos a studio penitus revocent; alioqui tanquam Apostatas in Carceres Conventus vel saecularium, si opus fuerit, a R. Priore Parisiensi illico coniiciendos.

Non liceat, Fratres a suis Conventibus educatos, aut Promotos in aliis Provinciis vel Conventibus recipere, aut retinere, sine expressa suorum Provincialium licentia, et scripta obedientia; sed tenentur illi, ad quos confugerent, eos statim remittere ad suos Conventus nativos, sub poena excommunicationis latae sententiae, ipso facto incurrenda, tam praedictis Fratribus fugitivis, quam Provincialibus et Prioribus eos statim non reiicientibus, et remittentibus infligenda.

Simile fiat de Fratribus, qui effugiunt evitandae correctionis causa, quos teneant Priores Conventuum, ad quos se contulerint, statim incarcerare, et orationum ac Mensae communionem eis negare; et super factis eorum ad Priores ipsorum nativos, et Prov.ales scribere, sub poena praedicta; donec dicti Fratres discessus sui causam, aut causas legitimas esse probaverint; nec possent a quoquam, etiam Provinciali, absolvi; nisi prius poenitentiam egerint in Conventibus a quibus effugerunt, et ibi culpas suas

reparent, ubi eas commiserunt, in aliorum aedificationem; et ne ex fuga, aut apostasia sua putent se reportaturos commoda vel correctionem evitaturos.

Addenda Statutis pro Reformatione Conventus Parisiorum

Poterunt eligi in Officiarios Conventus Parisiensis etiam illi, qui actualem residentiam in illo Carmelo non faciunt tempore electionis; sive sint in Conventibus Provinciarum Galliae, sive Congregationis Albiensis.

Recipientur etiam Juvenes, qui ex Provinciis ad praedictum studium fuerint promoti ad Grammaticam et Rethoricam audiendam; quorum Praeceptores et Regentes eligentur a Magistris et Sacerdotibus Conventus, eruntque immunes a contributione Symboli pro victu, atque in celebratione Missarum pro Conventu non celebrandarum caeteris praeponentur, sicut et alii Regentes actu legentes.

Solvatur autem pensio pro rata temporis, habita ratione penuriae vel abundantiae annonae secundum aestimationem quam quotannis post Pascha, et vindemias peractas, faciant sex Graduati ad id electi a Conventu cum Priore.

(168-**r.**) Quisquis promotionem a Gravissimo Patre Ordinis ad Cursum Theologicum in Facultate Parisina impetraverit, seque ab eadem recipi fecerit, cursum eundem ad Magisterium et Doctoratum usque prosequi satagat, alioqui privandus omni Gradu in Ordine.

Graviora negotia oeconomica Conventus, et maxime punitiones fratrum dirigantur per prudentiam R. Prioris, duorum Doctorum Regentium et Clavariorum; qui ad minus bis quolibet mense solemnem rationem Computorum fieri curabunt, omnibus Graduatis vocatis ad audienda Computa, qui interesse voluerint, praesentibus.

Abrogantur et revocantur omnia et singula, quae in contrarium praecedentium Decretorum possent allegari vel proponi, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda, et perpetuae eiectionis et exilii ab illo Parisiensi Conventu. Et ne Decretis istis, et praecedentibus aliis reluctari audeat prohibetur, cuiuscumque sit Gradus et conditionis in Ordine nostro; nonobstantibus in oppositum facientibus quibuscumque.

De Condemnationibus.

Noverunt R. Diffinitores M. Bartholomaeum de Roncilione

non paruisse mandatis Ill.mi D.ni Protectoris; qui iusserat ei ne recederet a Conventu Florentiae, sine licentia Suae D. Ill·mae, sub poena privationis omnium Dignitatum et Officiorum et inhabilitatis ad ea in perpetuum. Quare cum non obedierit, sed per fugam neglexerit Ill.mi Protectoris mandata: declararunt et statuerunt ipsum P. Bartholomaeum debere subiici praedictis poenis, et in eas incidisse. Amplius voluerunt, ubicumque repertus fuerit, in carcerem detrudi, et reponi ubi loci placuerit R.mo Patri Generali.

Fuit vocatus R. M. Philocolus Pharaldus Prov.alis Terrae Laboris, num cognosceret litteras sibi ostensas, scriptas R. Magistro Bartholomaeo Capallo; quae in initio haec verba continet: « Per insino che la R. V. non mi dará occasione ». Et in fine: « Li restò per sempre servitore. Da Nap. il dì 2 d'Ottob. 1579 »; et affirmavit suas esse. Et interrogatus de sensu litterarum, dixit: quoniam scriptum ei erat a R. M. Bartholomaeo, R.mum Patrem futurum Episcopum, idcirco praedictus Bartholomaeus petebat eius favorem, ut eligerereretur in Priorem Generalem; cui petitioni ipse promittebat se satisfacturum. Et emisso M. Philocolo praedicto a Deffinitorio, calculis secretis 15 scilicet affirmativis, et duobus negativis deffinitum est mereri ab Officio deponi: et ita depositum esse declararunt R. Diffinitores, reservatis aliis poenis R.mo Priori Generali.

Gratiae.

Decreverunt, aliquos in Provinciis Hispaniarum, qui nonnullam hactenus poenam subibant, liberari, et gratia donari, qui numerantur inferius, qui loco et voci restituuntur

Fr. Hieronymus Jordanus Aragonus - Fr. Dionysius Catalanus - Fr. Joannes de Pau (1), ut possit redire in Conventum Perpiniani - Fr. Cadarcet (2) - Fr. Martinus Gali.si - Fr. Jacobus S.ti Jago - Fr. Baldasar Cavascus, ut redire possit in Conventum Maurae.

Posteaquam benedictionem acceperit Pater Clemens Sicilia Agrigentinus a Sede Apostolica, poterit suis Officiis fungi, et dignitatibus potiri; et quantum est in Religione, omnis poena condonatur; (168-v.) teneatur tamen solvere Conventui Agrigentino summam, quam noverit R. M. Pro.alis Siciliae debitam, vel alius ab ipso assignatus.

---

(1) Joannes de Pau. Supra 1575 de Pao.

(2) Frater Cadarcet. Supra 1575 Andreas Cadarset.

Misericordiam R.di Diffinitores maximam demonstrarunt Fr. Archangelo Ladriano, et Fr. Joseffo de Monte Leone, et omnem poenam condonarunt.

Reddiderunt locum, vocem, et gradum Fr. Mathaeo de Vita.

Habilem voluerunt esse ad Ordinis Officia F.rem Joannem Comparinum.

Liberaverunt a condemnatione sibi imposita F.rem Basilium Simaphontem.

Nullos esse voluerunt omnes processus actos usque ad praesens tempus contra Sebastianum Colone, et F.rem Thomam Donadio; et statuerunt, in posterum non posse accusari de his a quibus hactenus accusati sunt, nisi in facta rursus labantur.

Unanimi assensu statuerunt, P. Nicolaum Storiarium reponi in propinquiori Provincia Provinciae Venetiarum a Gravissimo Patre, cum loco et voce activa tantum; et permiserunt ut secundum actiones proprias ipsius possit in dies R.mus Prior Generalis poenam eius mitiorem facere.

Declararunt Patrem Livium Cremensem restitui in integrum, in Conventuque Cremae collocari per Pro.alem.

Remiserunt in Studium Ticini F.rem Sigismundum Papiensem Studentem.

Voluerunt P. Silvium Puteoleorum liberari a triremibus, exulari a Conventu Provinciae, et Conventu Neapolis, usque ad complementum sui biennii.

Assenserunt F.rem Vincentium de Panormo (1) gratiam eius commendatam esse M. Pro.ali Siciliae, ut cum eo misericorditer agat, ut eum a triremibus liberare possit.

Franciscum de Velasco remiserunt quo ad gratiam iudicio sui R. Provincialis Castellae.

Remiserunt causam F.ris Dominici Conversi R. M. Pro.ali Thusciae, ut quo ad gratiam cum eo benigne agat.

---

(1) Vincentius de Panormo. « Olim procurator Panormi extra provinciam profectus est et mansit sub obedientia priorum localium; venit ad capitulum generale; committimus ei ut revertatur Panormum ubi sine ullo molestiarum genere vel poenarum recipiatur, sibique facultas concedatur ut libros computuum quos non perfecit absolvat, etiam auxilio computistae extranei et si quid deficiat solvat conventui ». 14 Julii 1575.

Causa Bartholomaei de Vares cognoscatur a R. Pro.ali et Deffinitorio Capituli futuri Bethicae, interea maneat in eo statu in quo modo reperitur.

Quantum ad negotium Petri de Magdalena, remiserunt tractari apud R.mum Patrem.

Cassarunt et annullarunt Processum F.ris Josephi Martiani, et restituerunt illum in integrum.

Fr. Joanni Billeae, qui exivit a Conventu Parisii sine licentia, et moratus est in Provincia Franciae multis annis, gratia fit, ut possit reverti in Parisiorum Conventum cum loco et voce: et Vicarius Congregationis annuat huic gratiae.

R. M. Pompeum Ragusium, qui inconsulto Priore Generali volebat constitui in Priorem D. Mariae Transpontinae, remiserunt benignitati R.mi Patris.

R. M. Jacobo Lalicatae, qui Conventum nostrum Monialium Panormi violavit, et Monialem foecundavit, contulerunt Reverendi Diffinitores locum, vocem et Gradum; et quo ad facultatem redeundi in Provinciam Siciliae, remiserunt voluntati et dispositioni R.mi Patris.

(169-**r.**) Fratri Pompilio Siculo, qui in eadem Lalicatae causa comes fuit, Studium condonarunt.

Honorandus P. Girardus Tagliaficus, qui Crucem argenteam Crucifixumque abstulit, habeat Conventum pro carcere, usque ad complementum sui quadriennii, et possit participare in Divinis; et R.mo Patri sit facultas poenam mitigandi.

Honorandum P. Petrum de Azato, qui neglexit R.mi Patris Litteras, decreverunt liberari a triremibus.

Statuerunt cum F.re Simone Siculo, qui accusatus est interfecisse Eremitam, iure procedendum esse; et eius causam dimittunt Judicibus, et processus explicationem.

Gratiam fecerunt, ut Fr. Raymundus Pedemontanus possit se conferre quando voluerit in Provinciam Lombardiae cum voce communi.

Decreverunt Patrem Anselmum Palaziolum (1) esse suffectum in Priorem S.ti Petrini; ad nutum tamen R.mi Patris, vel Magistri Pro.alis; et hoc pro singulari benevolentia Ill.mi Comitis Manfredi Tornidi erga Ordinem nostrum.

---

(2) Anselmus Palaziolus. Supra 1575 Pallazzolius.

Adoptarunt Patrem honoris Leandrum Albertinum (1) in Filium Conventus Venetiarum.

Adoptarunt etiam in filium Conventus Hispalensis Patrem Franciscum Lopes (2) Provinciae Bethicae.

Revocarunt in Gremium Ordinis et Provinciae Narbonae R. M. Bartholomaeum Spiritum, locum et vocem activam et passivam ei restituentes, iuxta gratiam eidem a Definitorio Capituli Provinciae Narbonae factam anno praeterito Molinis.

Concesserunt P. F.ri Vincentio de Trivisio, et eum absolverunt ab omnibus criminibus hucusque sibi obiectis; et quod de iisdem non possit accusari, nisi in eadem lapsus fuerit.

In gratiam receperunt Patrem F.rem Nicolaum Salernum de Terra nova, cum voce activa, et passiva; remittentes eumdem Patrem in Conventu Terrae novae.

Adoptaverunt in filium Conventus Saccae R. P. honoris Augustinum de Montefusco Provinciae Terrae Laboris.

(169-v.) *Taxae in Comitiis Generalibus Placentiae ordinatae, ob calamitates Provinciarum Franciae, quas subierunt Haereticorum perniciosa injuria; et in Comitiis Generalibus Romae approbatae.*

Provincia Terrae Sanctae duc. 15, non solvit; Siciliae d. 76 auri in auro; Narbonae d. 8; Romae d. 12; Franciae d. 10; Alemaniae inferioris d. 24; Lombardiae d. 39; Aragonae d. 10; Provinciae d. 10; Venetiarum d. 39; Tusciae d. 25; Tolosae d. 6; Cataloniae d. 15; Turoniae d. 10; Castellae d. 10; Terrae Laboris d. 18; Portugaliae d. 15; Romandiolae d. 16; Appuliae d. 17; Bethicae d. 10; Calabriae d. 10; Aprutinae d. 2; Congregationis Mantuanae d. 18; Congregationis Albiensis d. 15, pro quinque monasteriis, nempe Tolosae, Montis Albani, Albi, Meduni et Parisii. Summa omnium taxarum d. 415.

---

(1) Leander Albertinus. 8 Julii 1563 committitur sibi et provinciali Venetiarum et regenti ibidem (Angelo Ambrosiano et Nicolao Aurifico) ut transcribi faciant patentes omnium priorum ad vitam constitutorum, de eorum vita et de consuetudinibus et negotiis omnium fratrum conventuum Paduae et Venetiarum inquirant. 1568 erat prior Paduae.

(2) Franciscus Lopes. Olim eremita venit Romam annum decimum sextum agens ut habitu indueretur quem Hispalenses sibi dare noluerant quamvis annum novitiatus expleverit. Indutus fuit 30 Sept. 1569.

(170-r.) *Taxae extraordinariae aureorum bis mille pro fabrica Transpontinae, additis trecentum quinquaginta aureis, qui in lite Congregationis Mantuanae expensi sunt, in Summa aurei 2350. Partitio infra annum 1583 exigenda.*

Aragonia d. 51; Bethica d. 51; Castilia d. 51; Catalonia d. 85; Portugalia d. 119; Lombardia d. 332; Venetia d. 232; Romandiola d. 98; Tuscia d. 100; Romana d. 54 1\2; Aprutium d. 13; Calabria d. 31; Appulia d. 151; Terra Laboris d. 140 1\2; Conventus Neapolis d. 168; Sicilia d. 673.

(170-v.) Addenda Decretis.

Quoniam R. Diffinitores unanimi assensu decreverunt, Reverendum Provincialem Terrae Sanctae nequaquam perpetuo functurum suo Officio: idcirco elapso suae confirmationis tempore, R.mus Pater in futurum constituet illum ad eius voluntatem et sententiam.

Commissarius Sanctimonialium Sanctae Crucis Civitatis Neapolis singulo biennio a Reverendissimo Priore Generali eligetur, et firmabitur.

Lectae fuerint in Diffinitorio Litterae, quas mittebat Reverendissimus Nuntius Philippus de Sega, et Statuta quae ille pro Reformatione, ut dicebat, Provinciarum Hispaniae fecerat. Quae quidem Reformationem concernebant, erant extracta ex nostris Sacris Constitutionibus. Si quae alia erant, magis Antiquae et Reformatae vitae adversabantur, quam novam constituerent Reformationem: R.mus tamen Pater Ordinis, una cum R. Diffinitorio commisit aliquibus ut Constitutiones reviserentur, et reformarentur, si in aliquo vitae Regulari contradicebant.

(171-r.) Filiis Carmelitis

Ne tradant oblivioni R. M. Prov.ales singulos et omnes Carmelitas Regulares illis subiectos crebris suasionibus hortari, ut preces vivas Deo Opt. Max. effundant pro Summo Pontifice Gregorio XIII; qui ob sua erga nostrum Coetum Carmeliticum studia, favores et officia, omnes nostros ita devinxit animos, ut si occasio daretur, pro ipso vitam exponere deberemus. Nec alienos esse a spiritualibus suis obsequiis, permittant Reges, Principes omnesque qui Dignitate vel Maiestate praediti sunt, ut Deus pacatum eorum Imperium reddat, corda invicem conciliet, et assiduam inter eos pacem vigere faciat.

Colentes Carmelitae benevolentiam Ill.mi et R.mi Protectoris

Cardinalis Sancti Sixti, ingratitudinis notam profugiant, a quo tot beneficiis, totque muneribus singuli et omnes affecti sumus, ut teneamur suam erga nos humanitatem memoria complecti sempiterna.

Deo supplicabunt, ut hoc Sacrum Carmeli Institutum sic dirigatur, sic foveatur, sic amplificetur, ut Venustissima Virgo Maria eius Patrona pro eo intercedere facile dignetur, quo sub eius patrocinio militantes, omni desidia reiecta, fruges et laboriosi coloni in Ecclesia Christi fiant, et maneant.

Piissimis orationibus memoriam agite pro Fratribus, Confratribus, Litterasque Confraternitatis habentibus, tam pro vivis, quam pro defunctis, ut spiritu animi contrito, et humiliato pro illis placetur summus Deus.

Demum ante omnia obsequentissimi sint filii nostri Sacro-Sanctae Sedi Apostolicae, atque sic horreant Haereticos, ut ab eorum conversatione perinde ac ab igne caveant; Jesu Christi Evangelium fervide ac catholice promulgantes. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

(171-**v.**) Conclusio

Capitulum futurum quo ad locum et tempus remittitur a R.dis Diffinitoribus Gravissimo Patri; cui et conceditur, ut Librum hunc reserare, ac reseratum tenere pro legendo possit: Diffinitorumque auctoritas ad octo dies reservatur, et ab iisdem R.dis Difflnitoribus haec, et omnia alia R.mi Patris auctoritati et prudentiae disponenda subiiciuntur.

Quae omnia publicata fuerunt die XXVII Mensis et anni supradicti in Templo D. Martini in Montibus.

(172-**r.**) Ego Fr. Valerius Montonius Venetus Prov.alis Terrae Sanctae, et primus Diffinitor affirmo, et approbo in quantum possum et debeo - Ego Fr. Paulus Peluphus Prov.alis Siciliae 2. Diffinitor suprascriptis interfui, et confirmo - Ego Fr. Laurentus Lauretus Prov.alis Romae 3. Diffinitor supradictis omnibus subscribo, et ea confirmo - Ego Fr. Hieronymus Aleotus Prov.alis Lombardiae 4. Diffinitor supradictis omnibus subscribo - Ego Fr. Andreas Chevillardi 5. Diffinitor supradictis omnibus his subscribo - Ego Fr. Laurentius Senensis Prov.alis Tusciae 6. Diffinitor, omnibus me subscribo - Ego Fr. Caesar Basadonna Prov.alis Venetiarum 7. Diffinitor omnibus subscribo - Ego Fr. Hieronymus Tostado octavus Diffinitor Prov.alis Cathaloniae con-

firmo ut supra - Ego Fr. Joannes ab Heredia Magister Theologus et sextus Diffinitor omnibus me subscribo - Ego Fr. Caesar de Tripalda Prov.alis Apuliae, Diffinitor interfui, et approbo - Ita est Fr. Augustinus Vaghistella Senensis Socius R.mi - Ego Fr. Paulus Rondineus Socius R.mi Patris omnia superius expressa confirmo, et approbo - Ego Fr. Desiderius Buffet primus Socius Prov.alis Narbonae ac Diffinitor confirmo, et approbo - Ego Fr. Lactantius Domarinus Socius et Diffinitor pro Congregatione Mantuana confirmo et approbo - Ego Fr. Christophorus a Toleto Praesentatus, et primus Socius Castellae confirmo et approbo - Ego Mag. Carminius Philimarinus Neapolitanus, Diffinitor Provinciae Neapolis, confirmo quae supra - Ego Magister Fr. Joannes de los Rios 2. Socius Bethicae, et 20. Diffinitor, approbo et confirmo, quantum in me est.

(172-**v.**) Reverendissimus Magister Joannes Baptista Caffardus de Senis, cum Religionem nostram Carmeliticam supra tredecim annos probe sapienterque rexisset in Officio primum Vicarii Generalis, mox Generalis totius Ordinis, ac Congregationem Albiensem in Regno florentissimo Galliae per Commissarios suos R.dos Magistros Joannem Stephanum Chizzolam, tunc Prov.alem Romae, et Hieronymum Aleotum, eo, uti Litterarum Apostolicarum foel. mem. Gregori XIII super extinctione dictae Congregationis Dat. Romae Cal. Maij 1584 confectarum Executores missos; et earum omnium Provinciarum Reformatoris, ad Provinciarum debitam obedientiam reduxisset, Portamque novae Transpontinae pro Fratrum habitatione, et Divinis Officiis persolvendis sub die 9 Februarii 1587 aperuisset; tandem in Conventu Senarum, cuius erat Alumnus, die 3. Aprilis 1592, sedente Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro Domino Clemente Divina Providentia Papa VIII. anno eius Pontificatus primo, suum clausit diem extremum: in cuius locum, ne Capite Ordo destitutus maneret, suffectus est R.mus Magister Joannes Stephanus Chizzola Cremonensis Provinciae Lombardiae, Vicarius Generalis per Diploma Apostolicum, sub die 8. eiusdem mensis et anni: Indictis Comitiis Generalibus pro electione Generalis in Conventu Cremonae Provincia Lombardiae, die 6. Iunii in Festo Pentecostes 1593, quae sequuntur.

(173-r.) *In nomine Domini Jesu Christi et ad honorem Gloriosissimae semper Virginis Mariae Carmelitarum singularis Patronae. Amen.*

Acta Comitiorum Generalium Universi Ordinis Fratrum B. M. de Monte Carmelo, habitorum in praeclarissima, ac munificentissima Civitate Cremonae, in die Sacratissimo Pentecostes, quae fuit sexta Junii M.D.L.XXXXIII; in quo cantatur Evangelium: *Si quis diligit me,* etc., sub tutissimis auspiciis R.mi Patris M.ri Joannis Stephani Chizzolae Cremonensis, totius Carmelitici Instituti Generalis Vicarii Apostolici.

Hominès a natura ita sunt instituti, ut societate maxime delectentur et animorum coniunctionem valde diligant. Hinc Religiosorum Societates multae et variae exortae sunt; et ne dissolverentur, sed potius in dies augerentur, et si in aliquo dispendium passae viderentur, ad suam integritatem revocarentur, Maiores nostri Comitia habere consueverunt; in quibus primo unus ex omnibus seligeretur, qui omnibus tanquam Caput, et Pater praesit; deinde quod bene actum esset, commendaretur; si quid erratum fuisset, emendaretur: et, quod omnium caput ést, pietas erga Deum coleretur, et augeretur. Ad haec praestanda nihil est quod magis conducat, et Regularium quieti magis conferat, quam ut Comitiorum gesta, ritus et ceremoniae serventur, scriptisque mandentur. Namque consulendo, iudicando, ordinando, praeficiendo, publicae honestati et utilitati subcurrunt Primarii Patres, Provinciales, Socii, et Definitores, qui in omnibus agendis quae ad Reipublicae Carmeliticae Statum attinent, hanc methodum et normam servandam esse putarunt.

Idcirco, die Sabbati, quae fuit vigilia Pent. M.D.L.XXXXIII summo mane omnes Fratres in Ecclesiam cum cappis albis convenerunt; et facto Sacro de Spiritu Sancto, R. M. Joannes Antonius Bovius Provinciae Lombardiae Professus luculentam Orationem de eligendo Pastore habuit; deinde facta Commemoratione Defunctorum, R.mus Pater Ordinis Hymnum *Veni Creator Spiritus,* etc. canere coepit; quem alii canendo prosequentes venerunt in claustrum, et hymno dicto, et orationibus consuetis a R.mo Patre recitatis, in refectorium se receperunt omnes R. Gremiales, scilicet, R.mus M. Joannes Stephanus Chizzola Generalis Vicarius Apostolicus; R. Prov.alis Terrae Sanctae M. Elias Carnevalius, R. Prov.alis Sancti Alberti M. Desiderius La Placca,

R. Prov.alis Romae M. Basilius Angussola, R. Prov.alis Franciae M. Natalis de Senis (1), R. Prov.alis Lombardiae M. Pontius Scalma, (173-v.) R. Vicarius Generalis Congregationis Mantuanae M. Aurelius Ragninus (2), R. Prov.alis Aragoniae M. Paschasal Pontius, R. Prov.alis Tusciae M. Ambrosius de Ambrosiis, Reverendus Prov.alis Venetiarum M. Andreas Targhetus, Reverendus Prov.alis Cataloniae M. Joseph Saranus (3), R. Provincialis Alemaniae Superioris P. Georgius Sattler, R. Prov.alis Neapolis M. Franciscus de Aloysio, R. Prov.alis Vicarius Romandiolae M. Cirillus Milanus, R. Prov.alis Bethicae M. Ferdinandus de Vargas, R. Prov.alis Sancti Angeli M. Pompeius Zuccala, Reverendus Prov.alis Apuliae M. Joannes Antonius Bavarus, Reverendus Prov.alis Calabriae M. Angelus Emilianus, R. Procurator Ordinis M. Alphius Mathiolus, R. Vicarius Generalis Congregationis Discalceatorum Pater Nicolaus Doria (4), R. Provincialis Castellae Veteris Sanctae Eliae, Pater Joannes a Sancto Paulo, R. Prov.alis Castellae Novae Spiritus Sancti, Pater Joannes Baptista, R. Prov.alis Cataloniae Sancti Joseph, Pater Dominicus a Praesentatione. Et supradicti tres Prov.ales sunt ex Congregatione Discalceatorum. R. Vicarius Aprutinus R. M. Gabriel a Prato, R. Prior D. M. Transpontinae de Urbe M. Henricus Sylvius (5), R. Prior Neapolis M. Seraphinus Marotta, R. M. Michael a Caranza de mandato S.mi D. N.

Socii

R. M. Caesar Basadonna primus Socius R.mi Patris. R. Magister Eliseus Venturinus secundus Socius R.mi Patris, R. Magister Hieronymus Catania primus Socius Sancti Alberti, R. Magister Martinus La Vacara secundus Socius, R. Antoninus Frizza primus Socius Romanae, R. M. Nicolaus Emus secundus Socius,

---

(1) Natalis de Senis. De Senonibus. Anno 1596 fundationi monialium reformatarum Carmelitarum apud Albamarlam (Aumale) favit quae tamen effecta non fuit.

(2) Aurelius Ragninus. Alias Regninius, de Crema, vicarius Congregationis a. 1593 usque 96.

(3) Joseph Saranus. Infra Serrano.

(4) Nicolaus Doria. Nicolaus a Jesu Maria, de quo cf. opera Discalceatorum.

(5) Henricus Sylvius. Postea Generalis 1598 sqq.

R. M. Joannes Duval (1) unicus Socius Franciae, R. M. Jacobus Raymundus (2) primus Socius Lombardiae, R. M. Helcodorus Carnevalius secundus Socius, R. M. Georgius Vercelonus (3) primus Socius Congregationis Mantuanae, R. M. Joannes Petrus Chizzola (4) secundus Socius, R. M. Joannes Sanctius primus Socius Aragoniae, R. Praesentatus Dominicus Fernandez secundus Socius, R. Pater Abraam de Sancto Lupo socius unicus Provinciae Provinciae, (174-r.) R. M. Nicolaus Aurificus primus Socius Tusciae, R. M. Joannes Baptista Romanus secundus Socius, R. M. Angelus de Nepotibus primus Socius Venetiarum, R. M. Gregorius Canalius (5) secundus Socius, R. M. Michael Coronez primus Socius Cathaloniae, R. M. Honoratus Taila secundus Socius, R. P. Joannes Cocus (6) Socius unicus Alemaniae Superioris, R. Praesentatus Ambrosius Valderama, (7) primus Socius Castellae, R. Bacc. Egidius Fernandez secundus Socius, R. M. Jacobus Ramirez primus Socius Neapolis, R. M. Andreas Ambra (8) secundus Socius, R. M. Dominicus Carnevalius primus Socius Romandiolae, R. Bacc. Petrus Maria Bertocius secundus Socius, R. M. Hieronymus Ferrerius (9) primus Socius Bethicae, R. M. Benedictus Henriquez secundus Socius, R. M. Felicianus La Nanna primus Socius Sancti Angeli, R. M. Eleodorus Scrineus

---

(1) Johannes Duval, Atrebatensis, doctor Parisiensis 1594, primus provincialis provinciae Belgicae, vir insignis, obiit Atrebati 1600. Bibliotheca Carmel. teste Juliano a S. Norberto errat, confundendo eum cum Jacobo de Wailly.

(2) Jacobus Raymundus (a Gavio).

(3) Georgius Vercelonus. De Mediolano, doct. Bononiensis 1 Febr 1578, vicarius Congreg. Mantuanae 1590 usque 93.

(4) Johannes Petrus Chizzola. Riparolensis, doct. Bononiensis 27 Aug. 1584. Quod Vicarius Generalis Congr. Mant. possit habere duos Socios, declaratum est de mandato speciali Clementis VIII. Bull. II p. 263.

(5) Gregorius Canalius. Postea 1625 Generalis.

(6) Johannes Cocus. (Koch).

(7) Ambrosius Valderama. Anno 1566 fuit sacrista Abulae.

(8) Andreas Ambra. A. 1573 assistebat Rubeo Romae.

(9) Hieronymus Ferrerius. Anno 1576 lector theologiae a Hieronymo Gratiano tunc provincialem Beticae agente prior Granatenssi nominatur.

secundus Socius, R. M. Joannes Baptista a Nerico primus Socius Apuliae, R. M. Anibal Balsamus secundus Socius, R. M. Carminius Caesaranus primus Socius Calabriae, R. M. Franciscus Ardita Vita secundus Socius, R. P. Augustinus a Regibus primus Socius Vicarii Generalis Congregationis Discalceatorum, R. P. Joannes a Jesu secundus Socius, R. P. Franciscus a Matre Dei primus Socius Castellae Veteris S. Eliae Discalceatorum, R. Pater Didacus ab Incarnatione secundus socius, R. P. Petrus a Jesu primus Socius Castellae Novae Spiritus Sancti Discalceatorum, R. P. Joannes a Jesu Maria secundus Socius, R. Pater Franciscus Chrysostomus primus Socius et unicus Portugalliae Sancti Philippi Discalceatorum, R. P. Eutropius a Carmelo Socius unicus Bethicae Angeli Custodis Discalceatorum, R. Pater Baptista a Trinitate primus Socius Cathaloniae Sancti Joseph Discalceatorum, R. P. Joseph a Jesu Maria, secundus Socius.

Ubi primo lectae fuerunt Litterae Sociorum R. Prov.alium; et interrogante R.mo Patre sigillatim, an haberent aliquid adversus eiusmodi Litteras, responderunt omnes: nihil habemus. Et quia adm. R.dus Vicarius Congregationis Mantuanae habebat duos Socios, cum unum solum soleret habere, protulit patentes Ill.mi et R.mi DD. Cardinalis Pinelli Protectoris nostri, quibus dabatur ei facultas duos Socios adducendi ad Capitulum Generale. Post haec R.mus Pater declaravit Socios suos, scilicet R. M. Caesarem Basadonna, et R. M. Eliseum Venturinum. (174-v.) Deinde declaravit R. M. Michaelem a Caranza habere vocem activam et passivam in praesentibus comitiis, de mandato S.mi D.ni N.ri Clementis Papae VIII, et Ill.mi Cardinalis Protectoris Nostri. Postea productae fuerunt Litterae Patentes Ill.mi Protectoris, quibus conceditur vox activa et passiva R. Priori Neapolis in Capitulis Generalibus, cum antea non haberet: et admissae fuerunt ab omnibus. Hinc R.mus Pater interrogavit, an aliquid haberetur contra aliquem sociorum, vel aliorum Gremialium? Et responderunt omnes, se nihil habere. Deinceps R.di Prov.ales dixerunt culpas suas. His peractis, Reverendissimus Pater habuit piam et devotam orationem, qua ita exhortatus est Gremiales ad suscipiendum iuramentum sub hac forma, nempe quod quicumque in Generalem electus fuisset, teneretur observare sub poena periurii quaecunque a Capitulo Generali, cum hac conditione, observanda statuerentur; ut omnes

responderint, et iuramento promiserint, se observaturos ut supra. Denique devenerunt ad electionem R.mi Generalis Ordinis; in qua facienda hic servatus est ordo. Primo numerati sunt eligentes; qui fuerunt septuaginta duo. Deinde Scriba Ordinis R. M. Benedictus Sinori seiunctus ab aliis praestito ei iuramento de non revelandis nominibus eligentium in schedula parva, suppresso eligentis nomine, accepit singulorum vota; et lecta schedula a singulo eligente complicata ponebatur in vase, iuxta formam nostrarum Constitutionum Parte 4. Capite sexto, paragrapho tertio, non obstante Constitutione, seu Decreto Ill.mi Cardinalis Protectoris circa modum eligendi officiales formato, cum sit abrogatum per eiusdem Ill.mi Protectoris Patentes, huius tenoris:

Dominicus tit. S. Chrysogoni S. R. E. Presbyter Cardinalis Pinellus ac universi Ordinis Carmelitarum Protector. Dilectis nobis in Christo admodum R.dis Praesidenti Vicario Generali et universis Gremialibus, seu Vocalibus Capituli Generalis in Conventu S. Bartholomaei Cremonae congregatis Salutem in Domino, et in agendis Spiritus Sancti consilium. Cum hominum voluntas saepe saepius ex rerum existentia pendeat; hinc pluries evenire solet, quod sicuti rerum universitas non semper in eodem permanet statu, sed in continuo fluxu, et mutatione conspiciatur; sic humana voluntas diutius uno in Consilio, eademque deliberatione persistere fixa nequit; quin potius volubilis appareat, ut quod quandoque approbavit, mox reprobare cogatur; et quod semel sibi placuit, postea displicere incipiat. Diebus elapsis cum variae coram nobis allatae essent difficultates, quae ex modo eligendi Superiores, Ministros, et Officiales in religione, qui Part. 4 cap. 6. in Constitutionibus vestris discribitur, oriri videbantur: Nos qui Ordinem vestrum nostrae protectioni, curae et vigilantiae demandatum (175-r.) in visceribus caritatis gerimus, et Paterno prosequimur affectu; hisce incommodis occurrere, et remedium, quantum in nobis est, afferre cupientes, facto verbo cum S.mo D.no N.ro, per Decretum nostrum Dat. Romae die XXV Mensis Septembris Anni proxime praeteriti M.D.LXXXXII certam viam, modum, et formam eligendi Superiores, Ministros, et Officiales, sub certis poenis ibidem positis, praescripsimus observandam; ac quaedam alia adiunximus ad id spectantia, ut plenius in dictis Litteris continetur, quae satis congrua, et opportuna nobis tunc visa fuere. Caeterum res aliter evenit,

quam sperabamus: nam nec fraus, dolus, et malitia, ut credebamus, sublata fuit; et multo graviores difficultates, tum ob ignorantiam simplicium, tum ob astutam calliditatem prudentiorum, tum ob aliorum nequitiam subortae sunt, ut ex hisce rerum eventibus voluntatis actum, licet non affectum mutare cogamur: quapropter, facto verbo cum eodem S.mo D.no N.ro, et habita super hoc diligenti et matura deliberatione, de mandato eiusdem S.mi D.ni N.ri, praefatas Litteras nostras, et Decretum praedictum, omniaque et singula in ipsis litteris contenta, tenore praesentium cassamus et annullamus, sublataque cassata, et annullata decernimus, definimus, et declaramus dictum modum et formam eligendi, caeteraque ibidem expressa ad terminos iuris, et Constitutionum rejicientes. Rogamus tamen, monemus, ac in D.no requirimus, et obtestamur, ut in Diffinitorio cum reliqua quae ad Reformationem spectant, tractabuntur, videatis, consulatis, definiatis; ac praehabita diligenti fidelique inter vos discussione, consilio et deliberatione, statuatis circa hoc quae potissimum opportuna et necessaria videbuntur, a Sancti Concilii Tridentini Decreto cap. VI Sess. 25 de Reg. et Mon. nequaquam discedentes; et ut omnis tollatur difficultas circa electiones tam Sociorum quam Pro.alium, quae in hunc usque diem sunt secutae, declaramus nos, de Mandato S.mi D.ni N.ri dispensasse, ut ex aliena Provincia eligerentur, et assumerentur Socii, licet in dicta Pro.a tunc temporis non residerent, ubi Magistrorum ad id idoneorum defectus reperiebatur: id quod potissimum in Provincia Calabriae evenisse nobis relatum fuit: similiter in hac Provincia Romana, ubi cum votum omnium Gremialium audissemus et propter maximam qua laborat, paupertatem, et inopiam, ipsi statuissent eligere socios ex Pro.a Lombardiae ad evitandas expensas, etiam de Mandato eiusdem S.mi D·ni N.ri, annuimus. Super aetate tandem illorum Pro.alium, qui fortasse contra nostrum praefatum Decretum electi fuerunt, dispensavimus; ac illis caeterisque omnibus ut supra vocem activam et passivam concessimus, et elargiti fuimus, ac tenore praesentium concedimus et elargimur; eisdem omnibus omnes poenas ibidem contentas in omnibus, et per omnia remittentes, et relaxantes. In quorum omnium fidem praesentes fieri iussimus, et nostra manu, nostroque sigillo muniri voluimus. Dat. Romae in Palatio nostrae solitae residentiae die XXV Aprilis 1593, Pontificatus Sanctissimi in

Christo Patris D. Clementis VIII Anno secundo. Dominus Cardinalis Protector. Fabius Rogerius Secretarius.

L. ✠ S.

(175-v.) Terminata electione R. Pro.alis Terrae Sanctae M. Elias Carnevalius primo extraxit sigillatim Schedas a vase, et numeravit; et repertae sunt tot schedulae, quot erant eligentes; deinde singulas alta voce legebat et promulgabat. Ex quibus votis R.mus Pater M. Joannes Stephanus Chizzola habuit scxaginta octo; R. M. Alphius Matthiolus Procurator Ordinis habuit tria, et R. M. Michael a Caranza habuit unum; quae faciunt summam septuaginta duorum: et sic canonice et legitime remansit electus in Generalem Ordinis R.mus M. Joannes Stephanus Chizzola Cremonensis. Facta et promulgata electione R. M. Elias Provincialis Terrae Sanctae uti primus, interrogavit, an aliquis haberet aliquid contra hanc electionem, et an esset legitima electio? Responderunt omnes: est legitima et nihil habemus adversus illam. Hoc itaque modo electo totius Ordinis Praeside et Generale, inter R. Pro.ales primus M. Elias Carnevalius Provincialis Terrae Sanctae ordine primus ipsum his verbis confirmavit: Ego Fr. Elias Carnevalius Pro.alis Terrae Sanctae ordine primus, pronuntio, R.mum M. Joannem Stephanum Chizzolam Cremonensem esse Priorem Generalem Ordinis nostri, atque virtute privilegii Carmelitanae Familiae indulti fore Priorem Generalem legitime electum et confirmatum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Tunc R. M. Pro.ales, Definitores, Socii, et reliqui Patres in generalibus collecti non mediocri laetitia *Te Deum laudamus* concinentes Carmelitarum Ducem ad Ecclesiam duxerunt; et nihil omittentes quod ad Ordinis nostri ceremonias in Prioris Generalis electione attinet, singuli fratres denique grati Parentis manus sunt deosculati; sic Carmelitae in Dei laudem, et ipsorum Pastoris electionem Comitia sua auspicati sunt.

Series Reverendorum Definitorum.

Primus Diffinitor R. M. Elias Carnevalius Pro.alis Terrae Sanctae. 2. Dif. R. M. Desiderius La Placca Pro.alis Sancti Alberti. 3. Dif. R. M. Basilius Angussola Pro.alis Romae. 4. Diffinitor R. M. Natalis de Senis Pro.alis Franciae. 5. Dif. R. M. Aurelius Ragninus Vicarius Generalis Congregationis Mantuanae. 6. Dif. R. M. Balthasar Pontius Pro.alis Aragoniae. 7. Diffinitor R. M. Ambrosius de Ambrosiis Pro.alis Tusciae. 8. Diffinitor

R. M. Andraeas Targhetus Pro.alis Venetiarum. 9. Dif. R. M. Joseph Saranus Prov.alis Cataloniae. 10. Dif. R. M. Franciscus de Aloysio Pro.alis Neapolis. 11. Dif. R. M. Ferdinandus de Vargas Pro.alis Bethicae. (176 r.) 12. Dif. R· M. Pompeius Zuccalà Provincialis Sancti Angeli. 13. Dif. R. M. Joannes Antonius Bavarus Pro.alis Apuliae. 14. Dif. R. M. Angelus Emilianus Pro.alis Calabriae. 15. Dif. R. M. Alphius Matthiolus Procurator Ordinis. 16. Dif. R. P. Nicolaus Doria Vicarius Generalis Congregationis Discalceatorum. 17. Dif. R. P. Joannes a S. Paulo Pro.alis Castellae Veteris Sancti Eliae ex Congregatione Discalceatorum. 18. Dif. R. P. Joannes Baptista Pro.alis Castellae Novae Spiritus Sancti ex Congregatione Discalceatorum. 19. Dif. R. P. Dominicus a Praesentatione Pro.alis Cataloniae, Sancti Joseph, Discalceatorum. 20. Dif. R. M. Gabriel a Prato Pro.alis Vicarius Aprutinus. 21. Dif. R. M. Henricus Sylvius Prior D. M. Transpontinae de Urbe. 22. Dif. R. M. Caesar Basadonna primus Socius Reverendissimi Patris. 23. Dif. R. M. Eliseus Venturinus 2. Socius R.mi Patris. 24. Dif. R. M. Jacobus Raymundus primus Socius Lombardiae. 25. Dif. R. P. Joannes Chochus Socius unicus Alemaniae Superioris.

Praesides Capituli

In spiritualibus R. M. Joseph Falconus (1). In rebus domesticis et familiaribus R. P. Benemeritus Eliseus Pedronus (2).

Auditores Causarum Çivilium

R. M. Hieronymus a Catina (3) primus Socius Provinciae S. Alberti. R. M. Antonius Frizza primus Socius Romae. Reverendus M. Joannes Duval Socius Franciae. R. M. Eleodorus Carnevalius Socius Lombardiae. R. M. Joannes Baptista Romanus Socius Tusciae. R. M. Gregorius Canalius Socius Venetiarum. R. M. Andreas Ambra Socius Napolis. R. M. Hieronymus Ferrerius Socius Bethicae.

Auditores Causarum Criminalium

R. M. Angelus de Nepotibus Socius Venetiarum. Reverendus M. Michael Coronez Socius Cathaloniae. R. P. Georgius Sattler

---

(1) Joseph Falconus. Supra 1575 Falconius.

(2) Eliseus Pedronus. Socius Joannis Stephani Facini in concilio Tridentino, unde ex illius bonis sibi in tribus ducatis pro necessitatibus subvenitur. 30 Junii 1572.

(3) Supra Catania.

Prov.alis Alemaniae Superioris. R. Bacc. Egidius Fernandez Socius Castellae. R. M. Dominicus Carnevalius Socius Romandiolae. R. M. Felicianus La Nanna Socius Sancti Angeli. R. M. Anibal Balsamus Socius Apuliae. R. M. Carminius Caesaranus Socius Calabriae.

Examinatores eorum qui ad Lauream erunt promovendi

R. M. Antonius Frizza Regens Papiae, et Socius Romae. R. M. Angelus de Nepotibus Regens Patavii et Socius Venetiarum. R. M. Jacobus Ramirez Regens Neapolis et Socius Terrae Laboris, et R. M. Benedictus Henriquez Socius Bethicae.

Cursores Capituli

P. Gulielmus de Vos Provinciae Narbonae. P. Joannes Baptista Provinciae Lusitaniae. Fr. Andreas Mediolanensis et Frater Bernardinus Placentinus.

Diffinitorii Ianitores.... Diffinitorii Collector....

Pro Praedicationibus habendis.

In die Sancti Jacobi et Philippi concionem habuit in Ecclesia maiori R. M. Anibal Balsamus. Dominica secunda post Pascha R. M. Anibal Balsamus. In die Sanctae Crucis in Ecclesia maiori R. M. Anibal Balsamus. In Dominica tertia post Pascha in Ecclesia maiori R. M. Ambrosius de Ambrosiis Provincialis Tusciae. In Dominica quarta post Pascha in Ecclesia majori R. M. Ubaldus Badia. R. M. Carminius Caesaranus in Ecclesia nostra. (177-r.) In Dominica quinta post Pascha in Ecclesia maiori R. M. Angelus de Nepotibus. In Ecclesia nostra D. Bartholomaei R. M. Ubaldus Patavinus (1). In Ecclesia Sanctae Agathae R. M. Ambrosius de Ambrosiis Prov.alis Tusciae. In die Ascensionis in Ecclesia maiori R. M. Eliseus Venturinus. In Ecclesia nostra R. M. Anibal Balsamus. In Ecclesia Sanctae Agathae R. M. Dominicus Carnevalius. Dominica infra Octavam Ascensionis in Ecclesia maiori R. M. Franciscus de Aloysio Prov.alis Neapolis. In Ecclesia nostra R. M. Francus Bressanus. In Ecclesia Sanctae Agathae R. M. Joannes Baptista Juniorius. Die Mercurii sequentis in Ecclesia nostra R. M. Franciscus Ardita Vita. Die Veneris R. M. Joannes Baptista Nardò. In die Pentecostes in Ecclesia maiori R. M. Joseph Saranus Provincialis Cathaloniae. In Ecclesia nostra R. M. Eleodorus Scrineus.

---

(4) Idemne ac Badia?

In Ecclesia Sanctae Agathae R. M. Leonardus Crivellus. Feria secunda Pentecostes in Ecclesia maiori R. M. Benedictus Falettus. In Ecclesia nostra R. M. Alphonsus Duarte. In Ecclesia Sanctae Agathae R. M. Andreas Ambra (177-**v.**) In die tertia Pentecostes in Ecclesia maiori R. M. Joannes Baptista Nardò. In Ecclesia nostra R. M. Benedictus Henriquez. In Ecclesia Sanctae Agathae R. M. Nicolaus Aurificus. Feria quarta in Ecclesia nostra R. P. Congregationis Discalceatorum (1). Feria quinta in Ecclesia nostra R. Bacc. Angelus Scannus Congregationis Mantuanae. Feria sexta in Ecclesia nostra R. M. Anibal Balsamus. Sabbatho R. M. Nicolaus Emus orationem habuit pro gratiarum actione. Dominica S.mae Trinitatis in Ecclesia maiori R. M. Franciscus Ardita Vita. In Ecclesia nostra R. M. Anibal Balsamus. In Ecclesia Sanctae Agathae R. P. Congregationis Discalceatorum.

Series Disputationum

Quae habitae sunt Cremonae in Ecclesia D. Bartholomaei ante Comitia, et Comitiorum tempore. Et primo Dominica secunda post Pascha R. M. Anibal Balsamus, respondente Bacc. Bartholomaeo Argotto. Dominica tertia post Pascha R. M. Christophorus Sylvestranus. (178-**r.**) Dominica quarta post Pascha Reverendus M. Joannes Antonius Bovius; respondente Fr. Theodoro Zibello. In die Ascensionis R. M. Basilius Angussola Provincialis Romae, Respondente Lectore Theodoro Stratio (2). In die Veneris R. M. Angelus de Nepotibus, respondente Lectore Clemente Piovano. Dominica infra Octavam Ascensionis R. M. Henricus Sylvius; respondente Cursore Aegidio Rizzo. In die Mercuri R. M. Antonius Frizza; respondente Bacc. Francisco Perotto. In die Veneris R. M. Eliseus Venturinus, respondente Dominico Carnevalio. In die Pentecostes R. M. Desiderius La Placca Prov.alis Sancti Alberti; respondente M. Paulo a Cathania. Feria secunda R. M. Hieronymus Ferrerius; respondente M. Benedicto Henriquez. Feria tertia R. Bacc. Aegidius Socius Prov.alis Castellae. Feria quarta R. P. Augustinus a Regibus; respondente P. Petro a Matre Dei (3) ex Congregatione

(1) Nicolaus a Jesu Maria (Doria).

(2) Postea 1632 nominatus Generalis.

(3) Petrus a Matre Dei. Circa istam disputationem cf. Historiam Generalem Fratrum Discalceatorum Congreg. S. Eliae, lib. I, cap. XXII.

Discalceatorum. Feria quinta R. M. Joannes Petrus Chizzola; repondente Bacc. Angelo Scannis, ex Congregatione Mantuanae. Feria sexta R. M. Gregorius Canalius. Sabbatho R. P. Dominicus a Praesentatione Prov.alis Cathaloniae; respondente P. Joanne a Jesu Maria (1) ex Congregatione Discalceatorum. (178-**v.**) In Festo Sanct.mae Trinitatis R. Licentiatus Claudius Prior Parmae ex Congregatione Mantuana, Assistente R. M. Jacobo Ramirez.

De Provincialibus Titularibus (2)

Cum Ill.ma Congregatio Concilii Tridentini declaraverit institui posse Provinciales Titulares Provinciarum demolitarum; prout patet per litteras Ill.mi Secretarii eiusdem Congregationis sequentis tenoris. A tergo: Admodum R.do in Christo Patri Vicario Generali Ordinis Carmelitarum in Sicilia.

Admodum Rev.de in Christo Pater.

Cognosces ex libello cum his litteris coniuncto, quid Frater Stephanus Chizzola istius Ordinis Procurator Generalis declarandum petierit ab Ill.mis Patribus, qui Tridentino Concilio interpretando praefecti sunt. Patres censuerunt Titulares perpetuos a Congregatione Regularium eligi consuetos, et habentes veros titulos suarum Ecclesiarum a quarum possessione vi excluduntur, ut sunt Priores Angliae et Ungariae, et similes; non prohiberi Decreto Concilii eiusdem cap. VI sess. XXV de Reg., ferre suffragia in electione Superiorum. Quod tibi perscribere voluimus, ut de re proposita teneas ipsorum Patrum sententiam. Deus te incolumem servare dignetur. Romae die XIII Junii M.D.XCII.

Tuus in Christo Hier. CARD. MATHAEIUS.

Tenor libelli citati in his litteris est talis:

Ill.mi ac R.mi D.ni.

Fr. Joannes Stephanus Chizzola Procurator Generalis Carmelitarum humillimus devotissimusque Ill.marum Dominationum vestrarum Servus, et orator supplicat pro declaratione cap. VI. sess. 25 de Reg. et Mon., ut dignentur exponere, an Generalis possit instituere Prov.ales Angliae, Hiberniae, Scotiae, Daciae, Saxoniae et aliarum Provinciarum, quae olim in (179-**r.**) religione

(1) Johannes a Jesu Maria. Cf. opus proxime citatum, lib. I, cap. XXIX.

(2) Bullarium II 260.

verum et reale ius et dominium, iurisdictionemque habere, licet modo ob infidelium persecutiones, reale ius et dominium inrisdictionem actualem amiserint; ita ut potiantur gratiis omnibus et privilegiis, tam in Capitulis Generalibus, quam extra, sicut olim de facto habebant, quod se interpretaturum sperat.

A tergo: Ill.mis et Rev.mis D. D. Cardinalibus Sancti Concilii Interpraetibus, pro declaratione cap. VI, sess. XXV de Reg. et Mon., ad instantiam Procuratoris Generalis Carmelitarum.

Ut Religionis decori et honestati consulerent, Provinciarum per Haereticorum incursus extinctarum memoriam retinerent, et nonnullos graviores Patres cohonestarent; Rev.mus Pater et Reverendi Diffinitores decreverunt, instituendos esse Provinciales earum Provinciarum, quae olim in partibus ab Hostibus Christiani nominis et sanctae Romanae Ecclesiae nunc obsessis vigebant, hoc autem tempore, propter eorum perfidiam deperiere, sub his legibus et conditionibus:

Primo R.di Provinciales Titulares instituantur in Capitulo Generali quotiescumque habentur Comitia; extra Comitia instituantur a R.mo Patre Ordinis. 2. Socios cum voce sibi adsciscere non valeant pro quibuscumque Capitulis. 3. De triennio in triennio mutentur vel confirmentur a R.mo Padre Ordinis. 4. Dum R.mus fuerit assumptus vel vita functus, Generalis Vicarius Apostolicus non possit eos arbitratu suo amovere, et alios instituere. 5. Circa Pro.alem Terrae Sanctae decreverunt servandam esse consuetudinem Religionis. 6. Habeat locum et vocem immediate post Priorem Conventus, in quo degunt. 7. In Capitulo Generali et coram R.mo Patre teneant locum Provinciae cuius titulum habent. 8. Si contigerit plures simul commorari, post Priorem Conventus inter se unusquisque teneat locum suae Professionis vel Gradus. 9. Subsint immediate R.mo Priori Ordinis; ipsi et eorum socii. 10. In Capitulo Generali habeant vocem activam et passivam in omnibus in quibus caeteri R.di Pro.ales de iure vel de consuetudine habent. 11. Possint habere munia et officia in Conventu et Provincia in quibus degunt quae alioquin habere possent. 12. Privati non sint hoc titulo, ob quodcumque Officium sibi iniunctum, nisi Provincialatum alium obtinuerint. 13. Intersint omnibus, quibus alii Patres Primarii, et Discreti interesse debent in his Conventibus in quibus habitant. 14. Si assumantur ad Prioratum, licet non teneantur renunciare titulo; tenentur

tamen subesse dispositioni, et obedientiae R.di Provialis Provinciae in qua Prioratum obtinent.

DE PROVINCIALIBUS SINGULARUM PROVINCIARUM.

Provinciae Terrae Sanctae. Confirmarunt R. M. Eliam Carnevalium in Provincialem praedictae Provinciae. — (179-v.) *Provinciae S. Alberti.* Confirmarunt R. M. Desiderium la Placca. — *Provinciae Angliae.* Remiserunt dispositioni R.mi Patris; qui constituit et declaravit Pro.alem dictae Provinciae R. M. Henricum Sylvium. — *Provinciae Narbonae.* Confirmarunt R. M. Desiderum Buffet usque ad dispositionem R.mi Patris. — *Provinciae Romanae.* Confirmarunt R. M. Basilium Angussolam. — *Provinciae Franciae.* Confirmarunt R. M. Natalem de Senis, usque ad dispositionem Reverendissimi Patris. — *Pravinciae Alemaniae Inferioris.* Confirmarunt R. M. Laurentium Cuperum, usque ad dispositionem R.mi Patris Generalis. — *Provinciae Lombardiae.* Confirmarunt R. M. Pontium Scalmam. — *Provinciae Aquitaniae.* Confirmarunt R. M. Raymundum ab Ecclesia usque ad dispositionem Reverendissimi Patris. — *Provinciae Aragoniae.* Confirmarunt Reverendum M. Balthasarem Pontium usque ad dispositionem Reverendissimi Patris. — *Provinciae Hiberniae.* Propositus fuit R. M. Hieronymus Catania, et habuit omnia vota affirmativa; et sic fuit electus Pro.alis Hiberniae. — *Provinciae Provinciae.* Confirmarunt R. M. Ludovicum a Vigne electum in suis Comitiis Provincialibus. — *Provinciae Scotiae.* M. Joannes Baptista Spinola habuit vota XXV affirmativa, et VI negativa, M. Stephanus Placentinus habuit vota XXV negativa et VI affirmativa; et sic remansit electus Pro.alis Scotiae R. M. Joannes Baptista Spinola. — (180-r.) *Provinciae Tusciae.* Confirmarunt R. M. Ambrosium de Ambrosiis, usque ad dispositionem R.mi Patris Generalis. — *Provinciae Venetiarum.* Confirmarunt R. M. Andream Tanghetum. — *Provinciae Tolosae.* Confirmarunt usque ad dispositionem Reverendissimi Patris R. M. Petrum Sabaterium. — *Provinciae Cathaloniae.* Confirmarunt R. M. Josephum Saranum. — *Provinciae Alemaniae Superioris.* Confirmarunt usque ad dispositionem Reverendissimi Patris R. M. Georgium Sattler. — *Provinciae Vasconiae.* Confirmarunt usque ad dispositionem R.mi Patris Reverendum M. Joannem Artiganum. — *Provinciae Turoniae.* Confir-

marunt usque ad dispositionem R.mi Patris R. M. Petrum Bertoldum. — *Provinciae Saxoniae.* Propositi fuerunt R.di Magistri Jacobus Raymundus (1) et Eadmundus Matherot; R. M. Jacobus habuit vota XXV affirmativa et sex negativa; et R. M. Eadmundus habuit tria affirmativa et viginti vota negativa; et sic remansit electus Pro.alis Saxoniae R. M. Jacobus Raymundus.

Provinciae Castellae. — Propositi fuerunt R.di Magistri Licentiatus Ambrosius de Valderama, et Petrus de Rivela; R. Licentiatus Ambrosius habuit vota XXVI affirmativa et quatuor negativa; et R. M. Petrus habuit XXVII negativa et quatuor affirmativa tantum. Et sic remansit electus Prov.alis Castellae R. M. Licentiatus Ambrosius de Valderama.

Provinciae Neapolis. — Confirmarunt R. M. Franciscum de Aloysio.

Provinciae Portugalliae. Confirmarunt usque ad complementum triennii R. M. Antonium Spiritus Sancti. — *Provinciae Romandiolae.* Propositi fuerunt R.di M. Eliseus Venturinus et Cyrillus Milanus. M. Eliseus habuit vota affirmativa XXVIII, et duo negativa; M. vero Cyrillus duo tantum affirmativa. Et remansit electus Provincialis Romandiolae Magister Eliseus Venturinus. — (180-v.) *Provinciae Daciae.* Confirmarunt R. M. Caesarem Basadonna. — *Provinciae Beticae.* Confirmarunt usque ad tertiam Dominicam post Pascha 1694 R. M. Ferdinandum de Vargas. — *Provinciae Sancti Angeli.* Confirmarunt R. M. Pompeium Zuccalà. — *Provinciae Boemiae.* Propositi fuerunt R.di M. Jacobus Ramirez et Anastasius Cochelet. M. Jacobus habuit vota quinque negativa, et XXVI affirmativa; R. vero M. Anastasius quinque tantum affirmativa. Et ideo remansit electus Provincialis Boemiae R. M. Jacobus Ramirez. — *Provinciae Poloniae.* Confirmarunt usque ad complementum triennii R. M. Stanislaum (2). — *Provinciae Apuliae.* Confirmarunt ad annum R. M. Joannem Antonium Bavarum. — *Provinciae Calabriae.* Confirmarunt R. Magistrum Angelum Emilianum. — *Vicaria Aprutina.* Propositus fuit R. M. Franciscus Maria Leonellus, et habuit vota XXVII affirmativa, et quatuor negativa. Deinde propositus fuit R. Magister Gabriel a Prato; et habuit vota negativa XXVII; et tria

(1) A Gavio.

(2) 1598 Stanislaus Cracoviensis.

affirmativa. Et sic remansit electus Prov.alis Vicarius Aprutii R. M. Franciscus Maria Leonellus; cuius officium durabit per triennium, non ultra; nisi a R.mo Patre confirmetur. — *Procurator Ordinis.* Remittitur dispositioni R.mi Patris Ordinis, qui illico declaravit R. M. Alphium Matthiolum Procuratorem Ordinis.

(181-r.) *De Priore in Conventu Parisiorum.* — Remittitur dispositioni R.mi Patris qui remisit nominationem Patribus Gremialibus dicti Conventus.

De D. Mariae Transpontinae Priore. — Remittitur R.mi Patris dispositioni. Qui declaravit R. M. Angelum Gravasa.

De Priore Neapolis. — Confirmarunt ad annum, ita ut sui Prioratus officium terminetur in die Festo Pentecostes anno futuro 1594 R. M. Seraphinum Marotta.

Ob multa et varia pericula, quae in itinere subiere, et labo res quos perpessi sunt R.di Prov.ales ut ad Capitulum Generale accederent; censuerunt, ut mos est antiquissimus, omnibus esse prorogandum sui officii tempus ad annum; exceptis iis qui in Comitiis Generalibus instituti fuerunt: huiusmodi enim Provinciales transacto triennio, perseverare in Officio non debent.

DECRETA

De Studio et Collegiis.

Collegia Romae in Conventu S. Martini in Montibus, Papiae, Patavii, Drepani et Neapolis, tanquam bonarum disciplinarum Emporia, recenter constituenda esse statuerunt; in quibus, ne alicui studioso bonas litteras addiscendi aditus recludatur, omnium Provinciarum studentes ad ea transmitti poterunt. Et qui in Collegio Provinciae Castellae operam litteris dare voluerint, solvant pro victu triginta aureos.

Et ut profectus studentium facile videri possit, Examinatores etiam in dictis Comitiis statuantur; qui aptos, et idoneos pro studiis exercendis cum admissorum tum admittendorum discernant et seligant.

Et ne indigni admittantur studiis bonarum Artium, quisquam admitti non poterit, nisi a dictis examinatoribus comprobatus et a Provinciae Gremio praesentatus fuerit; nec Prior Generalis ullo modo suis patentibus aliquem ad studium promovere poterit, nisi dicto modo admissus et approbatus. Regentes qui

nuper pro dictis Collegiis eliguntur, Baccalaureos omnes, Lectores, cursores, studentesque simplices, quos in Collegiis invenerint, diligenter examinent; et qui idonei non erunt, atque de eis spem aliquam haberi non posse iudicabunt, a dictis Collegiis reiiciant, et ad suos Provinciales remittant; qui illis de Conventu in Provincia sua providere poterunt.

Et quoniam sine libris, tanquam propria studiosorum supellectili in studiis operam sedulo navare non possumus: ut facile in unoquoque Collegio Bibliotheca confici possit, omnes Regularium Defunctorum libros ad dicta Collegia deferri statuerunt, donec copiosa Bibliotheca erecta fuerit.

Statuerunt bona fabricae Conventus Astae administranda esse eo modo, quo administrantur caetera bona Conventus iuxta decretum factum in Cap. Prov. Vercellis celebrato anno 1589.

(181-**v.**) Dictorum autem Collegiorum Regentes a R.mo Patre, et non ab alio instituendos esse voluerunt.

Et ut omnis contentio tollatur inter Graduatos, constituerunt praecedentiam incipiendam esse a die datarum litterarum, ubi lis suborta fuerit, in posterum vero incipiatur etiam a die datarum litterarum, modo infra annum Lauream Doctoratus suscipiat, qui praecedentiam voluerit.

Declararunt amplius, emeritos, et benemeritos abolendos esse; et qui modo sunt emeriti et benemeriti, quadragesimum quintum annum in Religione complentes Jubilei vocentur; coeteri vero Patres honoris, ita ut solum titulus Patris honoris et Jubilei in Religione nominetur. Tenebunt autem locum Patres Jubilei supra Patres honoris; Patres vero honoris praecedent Lectores. Statuerunt in Conventu D. Mariae Transpontinae de Urbe inter Priorem et Proales servandum esse antiquam consuetudinem. De Conventus autem Divi Martini in Montibus Priore, decreverunt Priorem dictum D. Martini habere locum in Urbis Processionibus post Priorem D. Mariae Transpontinae; et Provinciales quoscumque immediate supra alios omnes, etiam Graduatos.

Locus autem praecedentiae Provinciarum servetur, qui descriptus est in recitatione illarum. Prov.ales vero, qui officio suo functi fuerint praecedent omnes alios Magistros Provinciae, in qua Provinciales fuerunt; et inter ipsos qui officium suum terminaverint, servetur locus a die assumptionis suae ad Provin-

cialatum : Provinciales tamen Italiae renuntiarunt iuri suo : ita ut inter ipsos servetur locus Professionis, non assumptionis.

Ut servetur uniformitas in Cerimoniis in Missis celebrandis, statuerunt quamprimum imprimendum esse Ordinarium, seu Cerimoniale, supplementum, processionale, et Mare Magnum.

Ulterius voluerunt Librum Actuum Generalium Religionis transcribendum esse et eorum exemplum retineri apud R.mum Patrem ; originale vero in Religionis Archivio Romae recondi.

Non audebit quisquam in posterum Librum seu opusculum aliquod praelo tradere, sine licentia Prioris Generalis, sub poena privationis loci et vocis et Gradus. Ab unaquaque autem Provincia deputentur quatuor Examinatores et Revisores operum, et Librorum imprimendorum , qui R.mo Priori Generali de opere reviso sententiam suam significabunt : Conclusiones vero de licentia R. M. Provincialium et regentum imprimi poterunt, pro disputationibus ineundis.

Decreverunt, Provincias Italiae solvere debere R. Procuratori Ordinis centum aureos in auro singulis annis.

De Electionibus.

In omnibus electionibus habendis servetur modus descriptus in Constitutionibus Part. 4. cap. 6.

(182-r.) Prov.alis ultra montes electus poterit exercere offcium suum electione statim habita, teneatur tamen infra annum recipere confirmationem suae functionis a R.mo Priore Generali sub poenis in constitutionibus descriptis.

Pro hac vice tantum per suffragia secreta in Priorem Conventus Hispalensis elegerunt R. M. Benedictum Henriquez.

Priores vero locales cuiuscunque debitae aetatis poterunt eligi iuxta nostras constitutiones.

In Aquensi Conventu confirmarunt in Priorem R. M. Claudium Grossi, approbantes litteras olim a R. Patre eidem concessas.

In Conventibus autem Maioribus non immediate R.mo Patri subiectis eligantur a Gremialibus Conventus, facta nominatione a Prov.ali eius Provinciae.

In Conventibus autem minoribus fiat electio in Capitulo Prov.ali a R.do diffinitorio : infra annum vero, si ob aliquam iustam causam sit mutandus Prior, instituatur alius a Provinciali.

Nominatio vero Prov.alium et Priorum Conventuum immediate subiectorum Priori Generali, a dicto Priore Generali fiat.

Statuerunt spolia quoruncumque nostrorum Regularium, quos in dies mori contigerit, applicari debere fabricae D. Mariae Transpontinae, exceptis libris applicandis ut supra ; Declararunt tamen, bona illa stabilia super quibus aliquod ius Conventus acquisiverunt, esse eorum Conventuum qui ius iam acquisiverunt.

Prior Leodiensis abstinebit a visitatione Monialium Leodiensium, nisi accedente licentia Prov.alis Franciae.

Moniales vero Leodienses poterunt Confessarium ex nostris Religiosis eligere quicumque extiterit, iuxta privilegium illis concessum a Leone X. Poterit etiam Priorissa confirmari, urgente necessitate.

Statueruntque, facultatem dandam esse Prov.ali Franciae, ut creet novum Priorem Leodiensem ; et qui modo fungitur officio Prioris, revertatur in suam Provinciam. Sed R. Diffinitorium, ut hoc negotium citius compleretur, elegerunt in Priorem Leodiensem Mag.rum Jacobum Vvaly (1).

Fratres vero Leodienses, qui ob demerita sunt exules, non poterunt ingredi Civitatem Leodiensem, sine licentia Provincialis; qui quidem Prov.alis revocabit eos, qui extra Claustra curam exercent in Dioecesibus illius Provinciae. Conventus Bisuntinus, sedatis tumultibus bellicis, restituetur Provinciae Franciae.

(182-v.) Statuerunt ut Conventus Walanscenensis (2) assignet aliquam stationem et locum pro habendis Concionibus singulis annis in Dioecesi Cameracensi, praeter Pagos consuetos ; in quo loco Prior Conventus Brugeleti aut aliquis alius eiusdem Conventus Concionator, habeat Conciones, et colligere possit eleemosynas pro manutenendis Fratribus dicti Conventus Brugeleti, sub poena privationis officii R.di Prioris dicti Conventus Walanscenensis. Omnes Regiones scilicet Italia, Gallia, et Hispania, sustinebunt Consiliarium Regularem nostrum Romae suarum Provinciarum expensis.

Insuper, vagi, et profugi qui Romam petierint tradantur carceribus, sumptu Provinciae, cuius sunt filii. Et Fratres alienae

(1) Jacobus Vvaly. Melius Jac. de Wailly, Valencenensis, lic. s. theol. prior Leodii, Valencenis et Marchiae, saepius diffin. provincialis, et a. 1600 provincialis. 1632 adhuc vivebat. Distinguendus a Joh. Duval (contra Bibliothecam Carmel.) teste Juliano a S. Norberto.

(2) Valenciennes.

Religionis non recipientur ad habitum nostrum, nisi in Capitulo Generali; etiamsi obtinuerint litteras a S.mo D.no. Qui tamen recepti sunt, habeantur tamquam legitimi, et optime recepti.

In partibus Transalpinis, scilicet Hispaniarum, et Galliarum, aliisque huiusmodi Regionibus non sufficiatur Vicarius Generalis perpetuo; sed R.mus Pater opportuno tempore, et ad eius libitum instituere et destituere poterit.

Statuerunt Provincias concurrere ad expensas Conventus Transpontinae pro litteris a variis partibus Romam missis. Amplius decreverunt R.dos Procuratorem Ordinis, Prov.alem Romae, Sancti Angeli et Terrae laboris debere examinare libros Fabricae Transpontinae. Nullus Regularis alienae Provinciae emittat Professionem extra Provinciam, nisi de assensu illius Conventus suae Provinciae, in quo integrum annum probationis habuerit: neque aliquis professionem emittere tentabit nomine alicuius Conventus, sine assensu Gremii illius Conventus, sub cuius nomine professionem emittere voluerit, neque etiam aliquis poterit affiliari seu incorporari ex Conventu in alterum, sine assensu et voluntate Gremii Conventus cuius filius esse optabit; ita ut tam in Professione tam in affiliatione habeatur assensus Gremii Conventus; et ideo R. M. Alexander Scarlatus desiderans affiliari Conventui Florentiae, cum pro huiusmodi affiliatione dicti Conventus assensus non fuerit, optatam affiliationem a R.do Diffinitorio consequi non potuit.

Quoniam libera obedientia praestanda est Maioribus, nulla adhibita conditione, et quandoque Regulares nostri Lusitani pro Religione amplificanda ad Indos in Regnum Braziliae mitti expedit; ne in hoc aliqua resistentia a dictis Regularibus fiat, decretum est, ut Lusitani, qui a R.do Pro.ali Lusitaniae litteras obedientiae susceperint gratia adeundi dictum Regnum, omni posthabita excusatione, dicto R.do Pro.ali obediant, sub poenis ab eodem R.do Pro.ali imponendis.

Pro hac vice tantum elegerunt in Priorem Conventus Drepani R.dum M.rum Joannem Rizzium.

(183-r.) Statuerunt Regulares nostros in omnibus Provinciis, ut sint uniformes, alios non posse deferre pileos quam nigros.

Caetera vero decreta, et statuta coram R.dis Diffinitoribus lecta, examinata et approbata; quae ad Collegiorum, et Stu-

diorum normam, et vitae Regularis Reformationem attinent quam primum praelo a R.mo Patre Ordinis mandabuntur (1).

Condemnationes.

Solvat R. M. Apolonius a Mele taxas, quas debet Fabricae D. Mariae Transpontinae; deinde videbuntur causae cum Provincia sua. Expulerunt F.rem Didacum de Avolos a Religione propter multa scelera, atque delicta.

Pro.alis Cathaloniae procedat contra F.rem Andream Cadercet, et puniat illum, visis videndis, usque ad sententiam inclusive. Executioni demandetur sententia data contra F.rem Petrum Gomez (2), et perficiatur integre a R. M. Pro.ali Aragoniae; qui etiam procedere poterit contra F.rem Bartholomaeum Junora Professum Aragoniae; ab eodemque Pro.ali puniatur tanquam incorrigibilis Fr. Matthaeus Vives. Qui etiam, iuxta allegata et probata castigabit F.rem Antoninum Viegas.

Approbarunt sententiam latam contra F.rem Ludovicum Vomez (3) del Castiglio, Provinciae Castellae Professum.

R. Pro.alis Cathaloniae procedat contra F.rem Angelum Gilabertum Provinciae Cathaloniae Professum, per allegata et probata, usque ad sententiam inclusive.

Joannes de Aparitio sit exul a Provincia Aragoniae per triennium. Confirmarunt sententiam latam contra F.rem Franciscum Scarzo de Asaro a R. M. Pro.ali Sancti Alberti, cuius Provinciae est Professus. Demandarunt R. P. Pro.ali Franciae, ut revocet F.rem Joannem Cotreir Provinciae Provinciae Professum, et cogat eum deferre habitum; qui, si noluerit obedire, procedat R. Pro.alis contra ipsum omni meliori modo, quo potest, usque ad sententiam inclusive.

Sententiam contra M. Joannem Renoldum commiserunt R. M. Procuratori Ordinis, Pro.ali Franciae, Vicario Generali Congregationis Mantuanae, et Pro.ali Aragoniae.

Demandarunt R. M. Stephano de Placentinis, ut Placentiam se recipiat, et causam F.ris Joannis Baptistae Maruffi, usque ad sententiam inclusive, consulto tamen prius R.mo Patri Generali,

---

(1) Impressa sunt Cremonae apud Christophorum Draconium 1593. Pp. 96 in 4.

(2) Petrus Gomez. Bartholomaeus Tuvora (?).

(3) Ludovicus Vomez. (Gomez).

cognoscat, et terminet. Confirmaverunt sententiam prolatam contra Patrem Andream Caracappa Pro.ae Sancti Angeli Regni Siciliae.

Tandem M. Didacum Milgar Provinciae Bethicae Professum privaverunt loco, et voce activa, et passiva; et exulem fecerunt a sua Provincia per quinquennium. Declarantes, ipsum hoc tempore non posse gaudere Magisterii privilegiis, et gratiis; et collocaverunt ipsum in Provincia Aragoniae in Conventu Pampilona; (183-v.) hac lege, ut non egrediatur limites illius Civitatis. Quod si huic sententiae reluctari, aut non obedire praesumpserit, vel de ea appellaverit, ad triremes per quinquennium alligandum esse decreverunt.

Denuncietur Inquisitioni Romae Fr. Thomas Tostatus Lusitanus, quia favet Regi Navarrae contra Catholicos, et Fr. N. Alemaniae superioris Professus, quia vendidit Sacratissimam Eucharistiam cuidam Haeretico.

Quo ad Gratias.

Pater Joannes Baptista (1) Procurator Generalis Congregationis Discalceatorum supplicem Libellum nomine totius Congregationis porrexit R.do Diffinitorio huius tenoris.

R.me Pater, R.di Adm. Patres M.ri Diffinitores Capituli Generalis.

Fr. Joannes Baptista Procurator Generalis, tam Fratrum, quam Monialium Congregationis Carmelitarum Discalceatorum, nomine dictae Congregationis, expono Paternitati vestrae Reverendissimae et R.dis adm. Mag.ris Diffinitoribus Capituli Generalis, quod propter bonum pacis, tranquillitatis, et augmenti, tam totius Ordinis, quam dictae Congregationis, et propter causas alias iustas, R.dus Vicarius Generalis, et Diffinitores cum aliis Capitularibus dictae Congregationis, in suo Diffinitorio determinarunt, ut a Paternitate Vestra R.ma, et a Capitulo Generali totius Ordinis, in quo omnes actu sunt congregati, humiliter postularem, ut separatio, et renunciatio iurisdictionis utriusque partis fieret; ita ut dicta Congregatio nec locum, nec vocem activam, et passivam in Capitulo Generali totius Ordinis amplius habeat; nec quomodolibet in suis Capitulis se intromittat; renunciantes quan-

(1) Joannes Baptista. Quae separatio tandem effecta est per Litteras apostolicas 20 Decembris a. c. Vide Bullar. II, 268.

tum ad hoc litteras Apostolicas Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIIII et S.mi D.ni N.ri Clementis VIII: et Paternitas Vestra R.ma cum suo Capitulo Generali renunciet nomine totius Capituli, per se, et per Capitulum totam illam iurisdictionem, facultatem, et auctoritatem, quae Paternitati V.rae R.mae, et Capitulo Generali per dictas litteras Apostolicas concessa est. Maius enim pacis vinculum erit, si nec Paternitas V.ra R.ma in nos, nec nos in totum Ordinem, seu Capitulum Generale aliquam iurisdictionem, sive auctoritatem exerceamus. Quae omnia Sanctissimo D.no N.ro proponenda sunt, ut suae benedictioni, et consensu confirmentur et corroborentur.

Et per vota secreta decreverunt, faciendum esse iuxta petitionem; ita tamen ut dicta Congregatio, vel eius Superiores, omnino in perpetuum non praesumant accipere loca, vel Conventus nostrae Religionis, etiamsi sponte a Civitatibus, vel Principibus, sive Communitatibus eis exhibeantur, vel offerantur. Quod si oppositum aliquando ipsos fecisse compertum fuerit, nulla sit, et irrita ista concessio, et nullum ius omnino acquisitum intelligatur (1).

Affiliaverunt Conventui Mediolani R.dum M.rum Bartholomaeum Aruntium; et eo libentius hoc fecerunt, quod R. Magister Prov.alis Provinciae Lombardiae, et M. Prior Conventus Mediolani assentiti fuerint.

Suspenderunt sententiam latam a R. M. Caesare Basadonna contra Patres Hieronymum Brandinum, Josephum Canalium, et Antonium Biragum Provinciae Venetiarum, in causa ipsi praefato R. M. Caesari commissa a R.mo Caffardo defuncto pro Fr. Paulino Mauroceno, usque ad aliam recognitionem Reverendissimi Patris.

Liberatus ab Apostasia P. Nicolaus Massa, et habilitatus fuit ad officia Ordinis.

(184-**r.**) Vicarius Sardiniae obtinuit, ut in Capitulo Generali in posterum detur ei vox; et etiam ut Sardinia sit Vicaria absoluta; ita tamen ut non recipiat Fratres alterius Provinciae, sine licentia R.mi Patris, vel Procuratoris Generalis; neque audebit alicui alienae Provinciae facultatem concedere ut promoveatur ad

---

(1) Concordia confirmata est a Clemente VIII 20 Dec. 1593 (Bull. II 268, etc.).

Sacros Ordines, inconsulto Provinciale suae Provinciae, vel Reverendissimo Patre Ordinis, seu Procuratore Generali.

Statuerunt R. M. Dominicum Carnevalium, pietatis intuitu, pro Laurea Doctoratus accepturum a Conventu suo Caesenae decem aureos, pro hac vice tantum.

Confirmaverunt in Administratorem Provinciae Calabriae perpetuum, ob labores, quos in recipiendis multis Conventibus sustinuit, R. M. Angelum Emilianum.

Condonarunt residuum poenarum, et gradus suos restituerunt Patribus Honorio Petralia Provinciae S. Angeli, et Desiderio Pisano Provinciae S. Alberti, praeterquam quod non redeant ad Conventum Pisarum.

F.rem Thomam Luparellum Neapolitanum liberarunt a triremibus.

Ab Apostasia liberatus, et in integrum fuit restitutus Frater Matthias Cavalier. Quae supererat agenda poenitentiae pars condonata fuit F.ri Francisco Sanzez Provinciae Aragoniae, a triremibusque eruitur.

Transacto sexennio, omni excusatione posthabita, Generalia Comitia celebranda esse voluerunt; atque eorum locum in pectore R.mi Patris commiserunt.

Taxae in Comitiis Generalibus Cremonae ordinatae, ob calamitates Provinciarum omnium Franciae et Alemaniae, quae subierunt Haereticorum perniciosa iniuria.

Provincia S. Alberti scuta 50 auri in auro. Romae 20. Lombardiae 50. Aragoniae 20. Venetiarum 50. Tusciae 30. Cathaloniae 20. Castellae 24. Terrae Laboris 22. Portugaliae 30. Romandiolae 20. Appuliae 20. Bethicae 22. S. Angeli 50. (184-v.) Calabriae 13. Aprutinae 4. Sardiniae 3. Congregationis Mantuanae 22. Conventus Neapolis 30.

Summa omnium taxarum 500.

Quae omnia publicata fuerunt die 12 Mensis et anni supradicti in Templo D. Bartholomaei Cremonae.

Ego Fr. Elias Carnevalius Cremonensis Pro.alis Terrae Sanctae Primus Diffinitor, approbo et confirmo, in quantum possum et debeo.

Fr. Desiderius Placa Pro.alis S. Alberti, secundus Diffinitor praedictis interfui, et subscripsi.

Ego Fr. Basilius Angussola Cremonensis Pro.alis Romae et 3. Diffinitor praedictis omnibus interfui, et subscripsi.

Ego Fr. Natalis de Senis Rothomagensis Pro.alis Franciae et 4. Diffinitor praedictis omnibus interfui, et subscripsi. N. de Senis.

Ego Fr. Aurelius Regninus Cremonensis Vicarius Generalis Congregationis Mantuanae, et Diffinitor, interfui, et subscripsi, iuxta Diploma f. r. Gregorii XIII.

Ego Fr. Baltasarius Pontius Valentinus Pro.alis Aragoniae, sextus Diffinitor, praedictis omnibus interfui, et subscripsi.

Ego Fr. Ambrosius de Ambrosiis Pratensis Pro.alis Tusciae Diffinitor praedictis omnibus interfui et subscripsi.

Ego Fr. Andreas Targhettus de Gottolengo Pro.alis Venetiarum praesentibus omnibus interfui, et subscripsi.

(185-**r**.) Ego Fr. Josephus Serrano Pro.alis et Definitor Provinciae Cathaloniae iis omnibus interfui, et subscripsi.

Ego Fr. Georgius Sattler Pro.alis et Definitor Alemaniae Superioris suprascripta approbo.

Ego Fr. Franciscus de Aloysio Pro.alis et Diffinitor Provinciae Terrae Laboris, omnibus supradictis interfui, et mea propria manu subscripsi.

Ego Mag. Fr. Ferdinandus de Vargas Diffinitor et Provincialis Provinciae Bethicae, praedictis omnibus interfui, et subscripsi.

Ego Fr. Pompeius Zuccalà Pro.alis et Diffinitor Provinciae S. Angeli omnibus supradictis interfui et subscripsi manu propria, singula probans.

Ego Fr. Joannes Antonius Bavarus Bitontinus Pro.alis Provinciae Apuliae, et Diffinitor, praedictis omnibus interfui, et subscripsi.

Ego Fr. Angelus Emilianus Pro.alis et Diffinitor Provinciae Calabriae confirmo omnia et singula ut supra manu propria.

Ego Fr. Caesar Basadonna Primus Socius R.mi Patris confirmo ut supra.

Ego Fr. Eliseus Venturinus 2. Socius interfui.

(185-**v**.) Jacobus Raymundus primus Socius et Diffinitor Lombardiae affirmo.

Fr. Ambrosius Valderrama primus Diffinitor Provinciae Castellae affirmo et approbo ut supra.

Fr. Nicolaus a Jesu Maria Vicarius Generalis Discalceatorum Carmelitarum praedictis interfui, et approbo, sine praeiudicio Congregationis nostrae Discalceatorum.

Fr. Joannis a S. Paulo Provincialis Provinciae S. Eliae Discalceatorum Carmelitarum praedictis iuterfuit, et approbat sine praeiudicio nostrae Congregationis.

Fr. Joannes Baptista Prov.alis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Spiritus Sancti, praedictis interfui, et approbo, sine praeiudicio Congregationis dictae Discalceatorum.

Fr. Dominicus a Praesentatione Prov.alis Provinciae S. Joseph Carmelitarum Discalceatorum, praedictis interfui, et approbo, sine praeiudicio nostrae Congregationis.

Fr. Franciscus Chrysostomus Deffinitor Provinciae S. Philippi Carmelitarum Discalceatorum, praedictis interfui, et approbo, sine praeiudicio nostrae Congregationis.

Fr. Henricus Sylvius Prior Transpontinae affirmo.

Fr. Seraphinus Marotta Prior Neapolis affirmo.

(186-**r**.) Die Dominica in Festo Sanctissimae Trinitatis, R.mus Pater Generalis pro coronide totius Capituli, auctoritate sibi per Apostolicum Diploma tradita et concessa, Lauream Doctoratus novem Praesentatis R.dis Baccalaureis infrascriptis imposuit, hoc ordine servato. Primo enim praesentati sibi fuerunt, deinde promulgatum fuit

Apostolicum Diploma (1); quo dabatur facultas a S.mo D.no N.ro Clemente Papa VIII R.mo Patri Generali, ut posset viginti quatuor Praesentatos ex Ordine nostro Laurea Doctoratus insignire. Postea professionem fidei emiserunt. Postremo insignia Doctoratus de manu R.mi Patris susceperunt.

Laurea donati sunt. R. Praesentatus Ambrosius Valderama Prov.alis Castellae. R. Praes. Aegidius Ferdinandez Prov.ae Castellae. R. Baccalaureus Petrus Maria Bertoccius Prov.ae Romandiolae. R. Praes. Benedictus Sinori a Secretis R.mi Patris Pro.ae Lombardiae. R. Bacc. Bartholomaeus Argottus Provinciae Lombardiae. R. Bacc. Franciscus Perottus Provinciae Lombardiae. R. Bacc. Theodorus Straccius Provinciae Lombardiae. R. Praesentatus Lupus Saranus Provinciae Lusitaniae R. Bacc. Elias zelus Provinciae Lombardiae.

(1) Bullarium II 265.

Fr. Alphius Matthiolus Procurator Ordinis interfui. Fr. Angelus Emilianus Pro.alis Calabriae et Diffinitor interfui. Fr. Pompeius Zuccalà Pro.alis S. Angeli et Diffinitor interfui. Fr. Basilius Angussola Pro.alis Romae et Diffinitor interfui. Fr. Elias Carnevalius Pro.alis Terrae Sanctae Primus Diffinitor interfui. Fr. Henricus Sylvius Pro.alis Angliae interfui. Fr. Andreas Targhettus Diffinitor, et Pro.alis Venetiarum interfui.

(186-v.) *Copia.* Cum mota esset lis coram Ill.mo Nuntio Apostolico apud Catholicum Regem a R.R. M. et Patribus Provinciae Castellae contra R. M. Ambrosium Valderama eius Pro.ae Pro.alem electum a Definitorio proximi Capituli Generalis Cremonae celebrati; eo quod assererent, eiusmodi electionem legitimam et canonicam non esse, Ill.mus Nuntius huius causae cognitionem, et plenam determinationem ac iudicium commisit R.mo Patri Joanni Stephano Chizzolae nostri Ordinis Generali; qui tunc temporis ex officii sui munere, ac insuper auctoritate Apostolica Commissarius Hispaniarum Provinciae visitabat. Visis ergo videndis, et consideratis considerandis, R.mus Pater infrascriptam tulit sententiam; quam statim, nullo contradicente, executioni demandavit. Sententiae autem ipsa verba haec sunt: Christi nomine invocato. Amen. Nos Fr. Joannes Stephanus Chizzola Prior, ac M. Generalis, Commissarius item, et Visitator Apostolicus omnium Carmelitarum, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, visis videndis, et consideratis considerandis; inspectoque processu in curia Ill.mi, ac R.mi D.D. Nuntii Apostolici formato de, et super praetensionibus R.dorum Diffinitorum huius nostrae Dilectissimae Provinciae Castellae, nomine proprio, ac totius eiusdem Provinciae, contra et adversus electionem in Capitulo Generali anno praeterito in Conventu Cremonae de mense Junii celebrato, officii Provincialatus dictae Provinciae in Persona R. M. Ambrosii de Valderama subsecuta; auditis etiam hinc et inde utriusque partis rationibus; ac desuper habita matura consideratione, per praesentem nostram sententiam; quam de consilio R. M. Sociorum nostrorum Alphii Matthioli in Curia Romana, et Ferdinandi Suarez in hac Curia Procuratorum Ordinis, in his scriptis ferimus; dicimus, sententiamus et pronunciamus, praefatam electionem officii Provincialatus in Persona dicti R. M. Ambrosii, ut supra in Capitulo

Generali proxime praeterito subsecutam, fuisse et esse rite, recte, legitime, ac (187-r) canonice factam; ac proinde praefatum Reverendum M. Ambrosium de Valderama esse verum, legitimum, ac canonicum Prov.alem dictae Provinciae; eique uti vero, legitimo, ac canonico Provinciali ab universis Regularibus praefatae Provinciae praestandam esse debitam obedientiam, prout de more fieri consuevit; sicuti de facto praestari debere praecipimus et mandamus. Et ita dicimus, sententiamus, et pronuntiamus omni meliori modo, etc.

In quorum fidem praesentes fieri, et nostra nostrorumque Sociorum manu firmari, necnon nostro Communitatis sigillo muniri voluimus. Datum Madritii die 26. Junii MDLXXXXIIII.

Ita dicimus, sententiamus, et pronuntiamus.

Fr. Joannes Stephanus Chizzola Generalis Carmelitarum.

Ego Fr. Alphius Matthiolus Procurator Ordinis, et Socius R.mi ita consulo, et in fide subscribo.

Ego Fr. Ferdinandus Suarèz (1) Procurator Ordinis in Hispania, et Socius R.mi ita censeo, et in fidem subscribo.

---

(1) 1569 Prior Hispalensis.

Series Capitulorum Generalium huius Primi Tomi.

Imagines.

Noverint universi quod nos tempore quo in conventu nostro Treveris in festo penthecostes anno domini m ccc xviij. Nos frater Johannes prior generalis ordinis fratrum beate marie de monte carmeli ac diffinitores capituli generalis in predicto capitulo congregati determinavimus diffinivimus ordinavimus et disposuimus de hiis que pertinent ad regimen totius ordinis ac studia sicut est mos consuetus et approbatus. In quo capitulo fuit concordata diffinitio quod pro quibus ordinis solvatur

Primo provincia terre sancte solvet annuatim — xx. flor.
Item provincia Sicilie — xv. fl.
Item provincia Anglie — xxx. fl.
Item provincia Narbone — xx. fl.
Item provincia Romane — xxv fl.
Item provincia Francie — xxxv fl.
Item provincia Alemanie inferioris — xvi. fl.
Item provincia Lumbardie — xv. fl.
Item provincia Aquitanie — xiiij fl.
Item provincia Hispanie — xij. fl.
Item provincia Hybernie — xv. fl.
Item provincia Provincie — xij. fl.
Item provincia Scocie — xij fl.
Item provincia Tuscie — xv. fl.
Item provincia Bononie — xx. fl.
Item provincia Tholose — xij. fl.
Item provincia Cathalonie — xvj fl.
Item provincia Alemanie superioris — xij. fl.
Item provincia Vasconie — xvj. fl.

De qua taxatione debentur primo solvi magistro generali pro sociis et famulis suis et vestiario.
Item magistro regenti Parisius — xv flor.
Item biblico ibidem legenti — viij fl.
Item de toto ordine quicumque Parisius pro consiliis — l. fl.
Item pro solario famulorum prioris generalis — xij. fl.
Item pro loco patronis in consistorio — v fl.
Item magistro regenti in curia Romana — xv. fl.
Item bachallario ibidem legenti sub eo — v. fl.
Item ibidem legenti philosophiam naturalem — iij fl.
[margin: Procuratori generali ad ... xv. flor.]
Procuratori generali ordinis in curia et audiencie domini pape — vi. fl.
Advocato generali ordinis in consistorio domini pape — xx. fl.
Item ianitoribus domini pape prime et secunde custodie — viij. fl.
quorum prime custodie ianitores habebunt — iiij fl.
Et ianitores secunde custodie habebunt — iiij fl.

Sequitur ordinatio priorum provincialium. In primis ordinamus
priorem provincialem terre sancte fratrem Johannem de ...
priorem provincialem Sicilie fratrem Henricum de Petralia
priorem provincialem Anglie magistrum Thomam Brom
priorem provincialem Narbone fratrem Guillelmum Galati.
priorem provincialem fratrem Zenobium de ... .
priorem provincialem Francie magistrum Johannem de Amereto.
priorem provincialem Alemanie inferioris magistrum ...
priorem provincialem Lumbardie fratrem Bartholomeum de Mediolano.
priorem provincialem Aquitanie fratrem Petrum Rogerij.
priorem provincialem Hispanie fratrem Johannem de Castro.
priorem provincialem Ybernie fratrem Hugonem de Wyston.
priorem provincialem Provincie fratrem Andream Thore
priorem provincialem Scocie fratrem Adam Sper
priorem provincialem Tuscie fratrem Johannem de Sepho
priorem provincialem Bononie fratrem Franciscinum.
priorem provincialem Tholose fratrem Johannem Gilberti
priorem provincialem Cathalonie fratrem Jacobum Coste.
priorem provincialem Alemanie superioris fratrem Conradum de ...
priorem provincialem Vasconie fratrem Philippum de Causato
Procuratorem generalem ordinis ordinamus fratrem Johannem Tusse
Socium prioris generalis ordinis fratrem Bernardum Olerij.
Item priores conventuum.
priorem conventus Parisius ordinamus fratrem Jacobum Balbi
priorem conventus Tholose ordinamus fratrem Arnoldum ... .

Sequitur ordinatio eorum qui Parisius et alibi sunt lecturi sententias.
Ordinamus ad legendum sententias Parisius primo loco fratrem Michaelem de Bolonia.
pro secundo anno fratrem Symonem de ... .
pro tertio anno fratrem Franciscum Bacone
pro quarto anno fratrem Petrum ...
pro quinto anno fratrem Bernardum Olerij.
pro sexto anno fratrem Petrum de sancto Martino

Sequitur ordinatio eorum qui Parisius lecturi sunt bibliam
pro primo anno leget fr. Symon de ...
pro secundo anno fr. Petrus ...
pro tertio anno fr. Petrus de sancto Martino
pro quarto anno fr. Stephanus Galeti.
In studio Florentino primo anno leget sententias fr. Philippus ... .
pro secundo anno fr. Jacobus de Cremona.
pro tertio anno fr. Bartholomeus Jovij
pro quarto anno fr. Conradus de Rortenberg
In studio Tholosano primo anno leget sententias fr. Guillelmus ... .
pro secundo anno fr. Michael de Bruxella
pro tertio anno fr. Bernardus Aureoli
pro quarto anno fr. Franciscus Petri
Ordinamus in eodem studio ad legendum bibliam
pro primo anno fr. Bernardum Aureoli
pro secundo anno fratrem Petrum et Franciscum.
pro tertio anno fratrem Guillelmum ...
pro quarto anno fratrem Robertum ... .
Magistrum regentem in curia Romana ordinamus magistrum Petrum de ...
Magistrum regentem Tholose fratrem Johannem de monte ...
Magistrum regentem Florentie fratrem Marchum ... .
Bachalarium curie ordinamus Bartholomeum ...
Ordinamus studium generale in conventu Burdegale
Ordinamus capitulum generale ad quatuor annos in proximo in conventu montis Albani.
Item committimus reverendo in christo patri priori generali nos...

Liber Ordinis fol. 6-a.b (supra p. 49-52)

APPENDIX [1]

Elenchus praecipuorum Patrum de quibus uberiores notitiae habentur in opere Vaghi: Commentaria etc. *(vide supra pag. 5)*.

---

(1) Quia Vaghi notitias ex locis authenticis desumpsit, operae pretium duximus, hic referre nomina Patrum de quibus agit, ne frustra opera perdatur in requirendo opere satis raro. Agit praeterea de omnibus Prioribus Generalibus Ordinis et Vicariis Generalibus Congr. Mantuae et, ut patet, etiam de illis qui ante constitutam Congregationem in illis Conventibus vixerunt. Cf. *Analecta,* I, p. 195, 215, 247.

N. B. — *De plurimis aliis etiam ibi notitiae inveniuntur, sed non tam uberes et praesertim post annnm 1593.*



Habitus Ordinis depinctus Anno 1484 a Philippino Lippi in Capella *Brancacci* ecclesiae Carmeli Florentiae. *(Cf. supra p. 15.)*

INDEX PERSONARUM

A

D

E

F

G

H

I

M

N

O

P

Q

R

S

T

W

X

Y

Z

INDEX CONVENTUUM

---

(1) Conventus Aniciensis idem est ac Podii (*Le Puy-en-Velay*) et pertinebat ad Provinciam Narbonae. Annecii (*Annecy*) nunquam videtur extitisse conventus Ordinis. Prope Podium est mons *Anis*, unde forse nomen. Non est impossibile, hunc conventum Podii per aliquod tempus incorporatum fuisse in Provinciam Turoniae.

Corrigenda et Addenda

Pag. 38. Dele notam 2.

» 40. l. 24 Ad notam: Nicolaus de Trocinio sive de Truncinio (Dronghe) conventus Gandesis ubi etiam priorem agebat, s. Paginae insignis doctor expleto provincialatu anno 1351 Brugas se recepit ubi publice s. theologiam docuit, ab Innocente VI in quodam Brevi laudatus. Obiit a. 1358 juxta Necrolog. Bruxellense unde Lezana aliique qui ejus obitum ad a. 1348 notant corrigendi sunt.

» 62. l. 25. lege *praedictam*.

» 64. ultima linea lege *debuerit*.

» 100. nota 1 dele vocem Zollner.

» 105. nota 1 adde *Bonus* de Padua.

» 106. nota 4 lege *Kizingen*.

» 163. nota 4 lege fol. 15-a.

» 166. l. 21 adde notam: Petrus Bartholomaei post studium Tolosae seu in Monte Pessulano peractum (1417) fuit socius conventus Pisarum in capit. provinciali a. 1424, pluries prior Florentiae a 1428 usque 39, magisterium adeptus 1433, prior Prati 40, Senarum 43, iterum Prati, Lucae 1446. Obiit post 1448.

» 174. nota 1 l. 2 lege: *incertum utrum idem an alius a Gerardo a Trăpano*.

» 176. l. 15. lege *Causalibus*.

» 189. nota 8 lege 169.

» 193. nota 1 lege: *nisi Johannes Walton intelligendus sit qui tamen nunquam provincialis fuit*.

» 223. ultima l. textus lege *promotionem*.

» 233. l. 6 lege *Ramureli*.

» 236. l. 27 lege *Oxoniensis*.

» 244. l. 5. Agitur de conventu Biterrensi, *Bituricis* ponitur per lapsum calami.

l. 7. Conventus Anicensis (Annecy) nullo modo potuisset uniri provinciae Turoniae, unde manifestum est agi hic

de conventu qui apud Bostium Aumaji audit, in elencho provinciae Aulnensis (Aulnay). Vide Notam p. 643
l. 26. Aureliacensis qui ad provinciam Aquitaniae spectabat, non vero Amelianus prov. Narbonae.

Pag. 250. nota 3 l. 4 lege *Turoniae*.
» 278. nota 1 lege *Gobioni*.
» 288. l. 21 adde notam: Videtur idem ac Corradus Distell (infra P. 304).
» 289. l. 2 lege *Orgileto*.
» 304. ad notam 8 adde: Videtur idem ac Conradus Fistelli, (supra P. 288).
» 333. l. 20 lege *Thosanus*.
» 394 l. 15 quae lege *quas*.
» 396. l. 1 concordata lege *concordanda*. l. 28 R.ni lege D.ni.
» 400. l. 8 adde *eundem*.
» 412. l. 21 loco diei lege *dici*.
» 417. nota 1 l. 4 lege 1550.
» 459. l. 5 lege *aut*.
» 542. l. 5 a calce lege *Pater honoris*.
» 545. penultima linea textus lege 1581.
» 549. l. 37 loco spinelli lege *spinella*.
» 550. l. 7 loco recto lege *erecto*.
» 552. l. 5 loco versabat lege *versabatur*.
» 558. Post lineam undecimam notae adde sequentia:

Secundo quaeritur qua ratione Nuntius instituerit P. Gratianum provincialem non solum Excalceatorum Beticae immo etiam Calceatorum cum ille provincialatus eo tempore nullatenus vacaret. Etenim Augustinus Suarez legitime in provincialem electus erat mense Septembri 1573, primo a Generali 24 Febr. 1574 confirmatus ac iterum a capitulo generali terminum officii usque 18 Oct. 1576 protrahendo, unde maxima confusio oriri debuit ob institutionem novi provincialis priore neque per lapsum officii neque per sententiam juridicam (pro qua nulla aderat ratio) destituto. (Cf. Epp. S. Ther. 11 et 12 Maji 1575 et patentes citatas).

Pag. 564. l. 16 loco ad lege *sed*.
» 568. ultima linea textus lege *Tornieli*.
» 569. ultima linea textus lege *Meldunensi*.
» 574. l. 4 lege *Baltasar*. l. 16 loco Sanctae lege *Sancti*.
» 586. l. 23. lege 1594.
» 592. nota 2 dele vocem Bartholomaeus Tuvora.
» 601 l. 7 lege: *Aureliacense (Orleans)*.

Leviora lectori.

Speciales gratias adhuc referre debemus R. P. Ben. Zimmerman pro duobus Indicibus ab eo summa cura confectis.

Indicem rerum omittimus, quia in singulis fere Capitulis de praecipuis materiis aliquid invenitur et singula Capitula satis ordinate composita sunt, unde quaesita facile inveniantur. Insuper in *Analectis Ord. Carm.* vol. II ad verbum exscripsimus omnia, quae ad Ritum Ordinis pertinent una cum aliis notitiis ex Breviariis antiquis, Missalibus, Ordinalibus et variis Constitutionibus.

IMPRIMATUR

Romae e Collegio S. Alberti die 18 Sept. 1914.

Fr. Joannes M. Lorenzoni
Vic. Prior Generalis Carmelitarum.

IMPRIMATUR: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister
IMPRIMATUR: Franciscus Faberi Vic. Urbis Adsessor

